This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

The Fitger-Williams
Book Fund

Stanford University Libraries

537

A 200.-

579/447

POETARUM LATINORUM

HOSTII, LAEVII, C. LICINII CALVI, C. HELVII CINNAE, C. VALGII RUFI, DOMITII MARSI ALIORUMQUE VITAE ET CARMINUM RELIQUIAE.

SCRIPSIT, COLLEGIT

ET

EDIDIT

M. AUGUSTUS WEICHERT

ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS ET SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SOCIUS HONORARIUS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXXX.

VIRO

ILLUSTRISSIMO. GENEROSISSIMO
AUCTORITATE. GRAVITATIS. SAPIENTIAE
ET. CONSILII IN. REPUBLICA. REGUNDA
EXCELLENTISSIMO

ET

INGENIO. DOCTRINA. SCRIPTIS
PRAENOBILISSIMO

GOTTLOB. ADOLPHO. ERNESTO
NOSTITZ ET JAENCKENDORF

DYNASTAE OPPACENSI

POTENTISSIMI. SAXONIAE. REGIS. IN. CONSILIIS
CONFERENDIS. ADMINISTRO. CONSILIORUM. INTIMORUM
PARTICIPI. EORUM. QUI. IN. SAXONIA. ERGASTULORUM
NOSOCOMIORUM. ET. ALIMENTARIORUM. CURAM. GERUNT
DIRECTORI. ILLUSTRIS. EPISCOPATUS. MERSEBURGENSIS
SENIORI. PRIMUM. IN. ORDINE. SAXONICO. VIRTUTIS
CIVICAE. LOCUM. TENENTI. ORDINIS. IOANNITARUM
MELIT. EQUITI. RELL. RELL.

ET

V I R O

ILLUSTRISSIMO. GENEROSISSIMO

HONORIS. DIGNITATISQUE. SPLENDORE

ET

VITAE. IN. REBUS. HONESTIS. MAGNISQUE

GERUNDIS. SPECTATAE. GLORIA

PRAECLARISSIMO

JOANNI. GEORGIO DE CARLOWITZ

DYNASTAE. OBERSCHOENENSI

POTENTISSIMO. SAXONIAE. REGI. A. CONSILIIS. INTIMIS

ILLUSTRIS. EPISCOPATUS. MERSEBURGENSIS. CANONICO

ORDINIS. SAXONICI. VIRTUTIS. CIVICAE. PRAEFECTO

PRIMUM. IN. ORDINE. LEOPOLDI. AUSTRIACI. LOCUM

TENENTI. ORDINUM. ST. ANNAE. APUD. RUSSOS. ET. ST

IOANNIS. APUD. BORUSSOS. EQUITI. ET. CIVI

FRANCOFURTI. AD. MOENUM. HONORARIO.

MAECENATIBUS. LIBERALISSIMIS

ET

PATRONIS. INDULGENTISSIMIS

HOC. OPUSCULUM

OTII. AC. NEGOTII. MONUMENTUM

QUALECUMQUE. VENERABUNDUS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Numquam ego cogitaveram, futurum esse, ut, quae per varias vitae scholasticae opportunitates nescio dicam an necessitates a me separatim editae erant scriptiones, eas uno comprehensas volumine evulgarem. Illae enim omnes per temporis intervalla compositae erant a me, non quo doctrinae aliquam opinionem et famam peterem aut antiquitatis Graecae et Romanae studia insigniter promoverem, sed ut muneris mei rationibus et officiis pro virili parte satisfacerem, et anniversariis dierum in Illustri hoc Moldano celebrandorum sollemnitatibus more rituque majorum proluderem. Neque etiam mea mihi adeo placere solent, ea ut eruditis quoque hominibus placere, aut ad litteras ornandas multum conferre putem. Bene enim memini, mihi istas prolusiones exaranti nequaquam licuisse tam otioso esse et ab aliarum rerum curis vacuo, ut eis tantum, quantum ipse et voluerim et debuerim, studii tenorem et limae laborem adhibere possem.

Quapropter verissime possum dicere, mihi necopinanti plane atque insperanti accidisse, ut has qualescumque scriptiones Virorum Doctorum assensum et laudem

tulisse inaudirem et passim in diariis litterariis legerem. Quod etsi magno me gaudio afficiebat, tamen haec una res non poterat eam habere vim, ut mihi illarum conjunctim edendarum atque ita latius propagandarum cogitationem et consilium injiceret. Ex quo autem a multis, quorum magna apud me est auctoritas, publice privatimque rogatus incitatusque eram, ut si non omnes, certe eas commentationes, quae jam dudum divenditae in tabernis librariis frustra quaererentur, typis repeterem earumque copiam empturientibus facerem lectoribus; minus alienus esse coepi ab isto consilio, praesertim cum Teubnerus, librarius honestissimus, ultro se redemptorem offerret, mihique diu multumque tergiversanti precibus instaret humanissimis. Evenerat enim nonnullis mearum scriptionum idem, quod talium libellorum commune esse solet, fatum. Plerumque pauca eorum exemplaria formulis typographicis describuntur: haec vulgo per viciniam dispersa in paucorum manus et notitiam veniunt et mox rarescere incipiunt sensimque, ut fieri assolet, ex oculis usuque hominum prorsus evanescunt. Rogatus igitur a Viris Doctis praesertim exteris, quibus illi nomine tantum innotuerant, ut meis libellis a tali fato atque interitu caverem; tandem eorum precibus concedendum esse existimavi non veritus, ne eam ob causam in ridiculae vanitatis et ambitionis suspicionem incurrerem.

In commentationibus autem, quas uno volumine complecti et denuo publici juris facere placuit, eum feci delectum, quem mihi quaedam argumenti rerumque in illis tractatarum similitudo suadere et vero etiam commendare videretur. Exclusis reliquis omnibus, eos tantum hic recepi libellos, in quibus de Poetis quibusdam Latinis, quorum quidem opera aetatem nostram non tulerunt, a

me expositum fuerat. Qua in re non diffiteor me aliorum exempla secutum simul id spectasse, ut hac opusculorum et argumento et tractatione similium collectione et compage unum quasi et integrum neque ex disparibus compositum membris corpus prodiret, atque aliquod si non ingenii doctrinaeque meae, saltem industriae et qualiscumque de litteris antiquis merendi voluntatis monumentum exstaret. Propterea istos libellos in unum volumen ita compegi, ut non temporis, quo a me scripti editique sunt, sed aetatis, qua quemque illorum Poetarum vixisse probatum iveram, rationem et ordinem ob oculos haberem. Deinde singulos cum cura retractavi, multa in eis correxi, aliena resecui, nonnulla adjeci atque unum et item alterum plane rescriptum novis factis accessionibus amplificavi. Denique perorationes, ejusmodi prolusionibus scholasticis adjici solitas, abesse jussi omnes, nec quidquam reliqui, quod cum ipsius scriptionis argumento parum esset conjunctum aut affine. Nihil, paucis ut dicam, ad diligentiam studiumque intermisi, quin scriptiones, quas noveram singulatim emissas Viris intelligentibus haud displicuisse, eae conjunctim editae et curis secundis politae magis etiam placerent. Atque si boni et aequi harum rerum arbitri judicaverint, hac mea opera historiae cum litterarum apud Romanos in universum, tum maxime artis poeticae aliquid lucis allatum esse, pergratum mihi erit perque jucundum, neque umquam otii in illustranda hac antiquitatis Romanae parte collocati poenitebit.

Praeterea nihil habeo quod addam, nisi ut meritis laudibus ornem Virum clarissimum, *M. Christ. Gottlob. Immanuel. Lorenzium*, qui et ipse, Q. Horatii Flacci Opera cum veterum Scholiastarum commentariis propediem editurus, Viris Doctis de meliore nota se com-

mendabit. Is enim pro suo in me, suum quondam in hoc Moldano magistrum, singulari studio et amore speciminum typographi emaculandorum curam imponi sibi passus est, eamque tam dextre administravit, ut hoc volumen gravioribus, quod sciam, mendis immune ex officina prodeat. Idem, me rogante, ingratum, sed necessarium indicum conficiendorum laborem suscepit, in quo profligando quam perite gnaviterque versatus sit, Lectores ipsi intelligent, eique se mecum magno officio obstrictos esse fatebuntur. Scribebam in Illustri apud Grimam Moldano prid. Kalend. Apriles A. R. P. C. S. clolo ccc xxx.

CONSPECTUS

COMMENTATIONUM.

I. *De Hostio Poeta.* Edita est mense Aprili a. 1829. . . . . P. 1 — 18.

II. *De Laevio Poeta.* Comment. I. ed. m. Septembri a. 1826. Comment. II. ed. m. Martio a. 1827. . . . — 19 — 88.

III. *De C. Licinio Calvo Poeta.* Ed. m. Septembri a. 1825. . . . — 89 — 146.

IV. *De C. Helvio Cinna Poeta.* Comment. I. ed. m. Septembri a. 1822. Comment. II. m. Martio a. 1823. . . . — 147 — 202.

V. *De C. Valgio Rufo Poeta.* Ed. m. Septembri a. 1827. . . . — 203 — 240.

VI. *De Domitio Marso Poeta.* Ed. m. Aprili a. 1828. . . . . — 241 — 269.

VII. *De Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus.* Edita m. Septembri a. 1821. et repetita in *Friedemanni* et *Seebodii* Miscell. Criticis Vol. II. P. 4. p. 656 sqq. . — 270 — 330.

The Fitger-Williams
Book Fund

Stanford University Libraries

537
579/447

cibus, commissa fortissime dimicans cecidit, teste Livio Libr. I. c. 12. Non desunt, quibus haec conjectura ornetur atque stabiliatur. Nominum enim gentilium eam apud Romanos invenimus fuisse rationem, ut primitiva nominum propriorum forma duplici modo produceretur. Ut praeteream nomina *Quintus*, *Quintius*, *Quintilius*, *Sextus*, *Sextius*, *Sextilius*, alia, quis est, a quo in nominibus *Lucius*, *Lucilius*, *Manius*, *Manilius* et per Syncopen *Manlius* non agnoscantur primitiva *Lucus* et *Manus*? Illud haud dubie cognatum cum Gr. λύκος seu λύκη, hoc, quod in Inscript. ap. Gruter. p. CCL. et p. CDLXVII. 4. *Mannus* exaratur, suam fortasse originem debet antiquo v. *manis* seu *manus* i. e. bonus, de quo vide Varron. d. L. L. Libr. V. p. 52. Bip. et Servium ad Virgil. Aen. I. v. 139. Hac in nominum gentilium originatione P. Nannius in Miscell. V. 5. haud inscite ὑποκόρισμα quoddam invenit, et cum forma voc. Gr. εἰδύλλιον, βρεφύλλιον, μειρακίλλιον comparavit.

Jam sicut gens *Tullia*, auctore Plutarcho in Vit. Ciceron. c. 1., referebatur εἰς Τύλλον Ἄττιον βασιλεύοντα λαμπρῶς ἐν Οὐολούσκοις καὶ πολεμήσοντα Ῥωμαίοις οὐκ ἀδυνάτως [1]); ita vix dubitari potest, quin nomina *Hostus*, *Hostius*, *Hostilius* cognata sint, et gentis *Hostiae* princeps habendus sit fortissimus ille *Hostus Hostilius*, avus tertii Romanorum regis, qui *Tullus Hostilius*, *Hosti filius*,

---

1) Perperam ap. Plutarch. l. c. olim legebatur εἰς Τύλλιον Ἄνιον. Quam nos repraesentavimus lectionem, eam tuentur cum Livius Libr. II. c. 35. ibiq. Intpp. Vol. I. P. 2. p. 302. Drak: et Arntzenius ad Aurel. Victor. d. Vir. Illustr. c. 19. p. 117., tum maxime Silius Ital. Punic. Libr. VIII. v. 404.

Tullius aeratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies et Tullo sanguis ab alto.

ubi Rupertius existimat, hunc Tullum Attium dici a Cicerone Q. Tusc. Libr. I. c. 16. *suum gentilem*, qui regnante Pherecydes Syrus vixerit. Sed magnopere dubito, num Cicero imperio regis Volscorum Pherecydis aetatem significaverit. Itaque *gentilem suum* appellat Cicero aut *Servium Tullium* regem, ut Sturzius d. Pherecyde p. 6. (Lips. 1824.) censet, aut *Tullum Hostilium*, quem Wyttenbachius ad Ciceronis d. Legg. Libr. II. c. 1. p. 159. ed. Mos., intellectum voluit. Id si verum est; Cicero et Hostius poeta gentiles erant, et utrique regis ortus stirpe. Ut vero gentem Tulliam plebejam fuisse discimus ex Ciceronis Brut. c. 16. §. 4. ibiq. Wetz.; ita suspicari licebit, Hostios quoque fuisse plebeji ordinis.

appellatur a Macrobio Saturn. Libr. I. c. 6. p. 228. Z. Utraque igitur gens et antiqua et illustris fuit: Hostiliorum multi domi forisque inclaruerunt, quos recensuit Glandorpius in Onomast. p. 407. sqq.; Hostiam gentem nemo praeter poetam, de quo loquimur, illustravit [2]). Nam qui a Plutarcho in Vit. Romuli c. 22. *πρῶτος μετὰ τὸν Ἀννιβαϊκὸν πόλεμον ἱςορεῖται Λεύκιος Ὄςιος πατροκτόνος γενέσθαι*, is genti suae dedecori potius fuit, quam laudi ac gloriae [3]). Eodem in numero ac loco habendus est *Hostius Quadra*, homo dives, avarus et profligatissima libidine infamis, cujus meminit Seneca Nat. Quaest. Libr. I. c. 16. [4]) Hic vixit sub Augusto, qui eum, a servis occisum, vindicta indignum judicavit, et tantum non pronuntiavit, jure caesum videri.

§. 3.

Praeter hos, quos diligentia Glandorpii in Onomast. p. 407. collegit, Hostios, nemo ex hac gente nobis innotuit. Nec videntur Hostii honores magnopere expetisse, alioqui permirum esset, quod nullus eorum, quantum sciam, in Fastis caeterisque monumentis inveniretur. Sed tamen ad eamdem gentem non dubito referre Inscript. ap. Gruter. p. DCLXXVII. 4.

DIS MAN.
P. HOSTIO. P. F.
SEVERO
V. AN. XIII. DIEBVS X.
P. HOSTIVS
FESTVS
ET
CERENIA. GRAPTE. PARENTES.
FILIO.
DVLCISSIMO. FECERE.

---

2) Nomina *Hostus*, *Hostius*, *Hostilius*, *Hostia* et *Hostilia* passim in Codd. Mstis confusa esse, notarunt Drakenborch. ad Livii Libr. I. c. 12. Vol. I. P. 1. p. 113. et Arntzenius ad Aurel. Victor. d. Vir. Illustr. c. 2. §. 7. p. 57. itemque Intpp. ad Apuleji Apolog. Vol. II. p. 405. ed. Bosscha.

3) Minus recte a Reiskio in Ind. Plutarchi hujus viri nomen scribitur *L. Ostius:* quod nomen quum Romanum sit, scribendum est cum aspiratione: vid. Schneideri Grammat. Lat. I. 1. p. 186.

4) *Hostius Quadra* ex Memmii Codd. et P. Pithoei membranis edidit Ruhkopfius Vol. V. p. 62. pro Vulg. *Hostius quidam* seu *Hostius princeps quidam.* Ruhkopfius pro cognomine *Quadra* maluit *Quadratus*, quod *Asiniis*, *Numiis*, *Numidiis*, *Vindiis*, *Volusenis* adhaesit.

Ex eadem gente quin oriunda fuerit *Cynthia*, celebratissima illa Propertii amica, dubitare nos non sinit Apulejus in Apologia p. 279. Elm. „*Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit: et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.*“ Propertius igitur, dissimulato vero *Hostiae* nomine, Cynthiam appellavit, more poetarum, qui puellarum nomina permutarent, ut amorem et turpem consuetudinem cum ingenua puella populum celarent. Nomen Cynthiae, quo Diana a Cyntho, Deli monte, cognominetur, habere castitatis et pulchritudinis significationem ac laudem, observat Huschkius in Analect. Litter. p. 308. Caeterum Passeratius ap. Apulejum l. c. legi vult *Hostiliam:* quam lectionem Bentlejus ad Horat. Libr. II. od. 12. v. 13. et Burmannus ad Propert. p. 2. ita confutarunt, ut, adnotatione Acronis Scholiastae ad Horat. Sermon. Libr. I. 2. v. 64. usi, dicerent, illam nominum commutationem eodem semper numero et mensura syllabarum factam esse. Ab hoc more nonnumquam serioris aetatis poetas discessisse, concedimus Huschkio l. c. p. 303.; sed item contendimus, ab aureae aetatis poetis illam veluti legem religiose observatam fuisse. Quare Passeratii lectionem, cui nullus Codex patrocinatur, jure rejecerunt Viri Docti, et verum Cynthiae nomen *Hostiam* fuisse judicarunt: cf. Intpp. ad Apulej. l. c. Vol. II. p. 405. ed. Bosscha.

Alius cujusdam Hostiae memoria servata legitur in Inscript. ap. Gruter. pag. DCCCLXXIII. 7.

DIS. MANIBVS.
HOSTIAE. C. F.
PROPINQVAE
F.
MANLIA PROPINQVA.
VIXIT ANN. VII. M. XI.
D. XXII.

§. 4.

Quamvis igitur gens Hostia, ejus originem si spectamus, et antiqua fuerit et illustris, tamen temporis progressu delituit in obscuro et ignobilis permansit. Neque ipsi quidem Hostio poetae per fati quamdam invidiam licuit, cum sibi, tum suae genti multum splendoris ac gloriae apud posteros conciliare. Etenim ejus memoria in antiquis monumentis ita oblitterata est, ut de aetate, qua vixerit, perdifficilis sit quaestio.

Qui nostra memoria de Romanorum litteris scripsere, ii tantum non omnes ne meminerunt quidem Hostii poetae, nedum tempus, quo floruerit, cum cura indagaverint. Et si qui eum commemorarunt, ab eis receptam video sententiam G. J. Vossii dicentis in Cap. II. d. Poet. Lat. p. 237. Vol. III. Opp., Hostium sub C. Julio Caesare vixisse [5]). Id quam laxe ambigueque dictum sit, liquet. Si Vossius de tempore cogitavit, quo C. Julius Caesar, devicto ad Pharsalum Pompejo M. a. U. C. 706., unus Romae rerum potitus erat, ejus sententiam nullo negotio refelli posse nemo non intelligit; sin haec ejus mens fuit, ut Hostium floruisse statueret, quo tempore Julius Caesar magnus haberi coeperit in civitate h. e. post Sullae mortem, quae a. U. C. 676. accidit; vereor, ne magna cum veritatis specie proferri disputarique possint, quibus haec quoque sententia, si non plane falsi redarguatur, certe admodum dubia reddatur. Nullam Vossius opinationis suae attulit rationem et caussam, nisi quam a Cynthia, Propertii amica, repetiit. Haec enim quum, auctore Apulejo, vero nomine Hostia fuerit appellata, eam non tantum cognatam Hostii poetae, sed adeo ejus filiam fuisse praecipiti conjectura dicit in Libr. I. d. Histor. Lat. c. 16. p. 25. Vol. IV. Opp.

Quod de utriusque cognatione monet, id licet et ipsum in conjectura positum sit, veri tamen est simillimum.

---

5) Vossium secutus est *J. Chr. F. Bähr* in libr. *Geschichte d. Röm. Litterat.* §. 33. p. 81., ita ut diceret, Varronem Atacinum Hostio exemplum praecivisse, quo incitatus historicum argumentum versibus tractandum sibi sumpserit: quae sententia vereor ne vana sit et mea disputatione convellatur.

Atque hoc si sequimur, Propertius ipse nos eo ducit, ut Cynthiam non filiam, sed neptem Hostii poetae fuisse statuamus. Propertius enim Libr. III. El. 18. v. 7. de Cynthia sua haec ait:

Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.

Quum Cynthia haud raro ob ingenii poetici facultatem a Propertio laudetur, ut Libr. I. El. 2. v. 27.

Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram [6]*);*

nihil est liquidius, quam cogitandum hic esse de poetica laude ac fama, quae refulgeat ad Cynthiam ab avo. Hunc autem cum virtute et excellentia quadam appellari *doctum*, quandoquidem scriptis carminibus inclaruerit, apertum est [7]). Quum vero ex gente Hostia praeter poetam, quo de agimus, nemo in hoc doctrinae genere elaboraverit nomenque consecutus sit, non temere colligimus, illum hic *docti avi* nomine significari. Atqui hic Propertii locus Vossianae sententiae prorsus adversatur, ut jam Broukhusius p. 305. et Burmannus p. 670. cl. p. 2. monuerunt. In eamdem sententiam transiit nuperrimus Propertii editor, H. Paldamus in Epist. Dedicat. p. VII., qui ad eumdem poetam, Cynthiae avum, referendum censuit locum Propertii Libr. II. El. 10. v. 9.

---

6) Broukhusius ad h. l. p. 9. collegit Propertii loca, quae contestentur, Cynthiam eruditam fuisse, et domesticam poesis gloriam, ad avi Hostii exemplum, non segniter excoluisse. Et indignabundus, „*Donetur*, inquit, *magno suo merito, poetica civitate illustris puella; cujus nomen inter Romanae lyrae cultrices adhuc desiderari piaculum fuerit.*“ Hanc magnificam laudem licet merito restringat Paldamus in Epist. Dedicat. Propertii p. VII.; tamen V. D. concedet, Cynthiam a Propertio laudari ob artis poeticae studium.

7) Sicut ap. Graecos poetae κατ' ἐξοχήν appellantur σοφοί v. c. ap. Pindar. Ol. I. 14. Isthm. II. 36. cf. Astius ad Platon. d. Republ. p. 642.; ita ap. Latinos *docti*: vid. Mitscherlich. ad Horat. I. od. 1. v. 29. Eodem, quo Hostius *doctus* dicitur, sensu de ipsa Cynthia Propertius Libr. II. 10. v. 11.

Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse, mea;

et *doctae* ubi dicantur puellae, tum de artis poeticae studio cogitandum esse, probavit Broukhusius ad Tibull. Libr. IV. 6. v. 2.

Non ego sum formae tantum spectator honestae:
Nec si qua illustres femina jactat avos.

Vulpius in Prolegom. p. XVIII. ex hoc loco collegit, Cynthiam nobili genere natam esse: quo nomine eum reprehendit Paldamus, cui *illustres avi* non ob generis nobilitatem ac natalium splendorem, sed propter doctrinae laudem scriptis partam dicti esse videntur. Equidem secus statuo: nam ut concedam, haec, Cynthiae potissimum habita ratione, a Propertio scripta esse; tamen non video, cur de solo Hostio poeta, Cynthiae avo, doctrina et carminibus illustri, cogitandum sit? Atque si a vero non prorsus abhorrent, quae de gentis Hostiae origine supra disputavi, haud scio an praestet Cynthiae majores intelligere, utpote regia prognatos stirpe, quorum numero doctus Hostius poeta non exclusus est [8]).

§. 5.

Quidquid vero ejus rei est, id vel unus ille Propertii locus satis docet, Cynthiam non filiam, sed neptem Hostii poetae fuisse. Atque id si Vossius animum advertisset, non poterat quin illum C. Julio Caesare longe majorem aetate esse censeret. Cynthiae pater sub illo Dictatore vixisse dicendus erat, non item avus. Verum vel ipse Cynthiae pater Julium Caesarem vitae annis antecessisse existimandus est. Nam Propertius juvenis amare coeperat Cynthiam aetate jam provectam et se multo seniorem: id quod ipse testatur Libr. II. El. 14. v. 21.

At tu etiam juvenem odisti me perfida, quum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

et ejusdem Libri El. 23. v. 44.

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur tecum te via ducit unum?

Perridiculum foret, haec, quae ab amatore subirato scripta

8) Non video, cur Hostio poetae generis nobilitas denegetur? Potuisse eum esse libertinum, ut Paldamus l. c. ait, non nego; sed veri est dissimile. Neque Hostia obscuro loco videtur esse nata, alioqui Propertius non ficto, sed vero nomine eam cecinisset. Hoc enim ficti nominis usu poetae curarunt, ut rebus nomen abesset, nominibusque pudor, uti ait Ovidius Trist. II. 484.

sunt, vocare ad calculos M. Terentii Varronis, qui, teste Censorino d. D. Natal. c. 14., *pueritiam* inde a vitae principio ad annum quintum decimum, *adolescentiam* usque ad trigesimum, *juventutem* ad quadragesimum quintum definit: inde ad usque sexagesimum *seniores* appellat et *senectutem* ad vitae finem constituit. Sed, utcumque nomen *anus* accipitur, id certum est atque evidens, Cynthiam a Propertio, quamvis irato et exasperato, non potuisse ita appellari, nisi ea aliquanto grandior fuisset ipsumque, aetate florentem, vitae annis multum antecessisset. Praeterea multa sunt, quae declarent, Propertium juvenem non tam ejus forma, quam ingenii venustate captum esse atque amore irretitum. Hujus autem amoris initium putatur quaerendum esse circiter a. U. C. 724., quo anno Propertius nondum quinque vitae lustra peregerat [9]). Jam si Cynthia circa illud tempus tam provecta erat aetate, ut ab amatore suo dici posset *anus;* profecto non est, quod Cynthiae patrem C. Julii Caesaris aequalem, aliquot lustris majorem, facere, ejusque avi, Hostii poetae, aetatem ad tempora Caesariano aevo longe antiquiora rejicere dubitemus.

Mitto hic subtilem temporum computationem, ne acumine aut otio abuti coarguar, praesertim quum alia in promptu sint, quae meam de Hostii aetate sententiam, si non stabiliant omnique eximant dubitatione, saltem magnopere adjuvent.

§. 6.

Primum enim carminum reliquiae eam redolent aetatem, qua, eloquentia jam felicius exculta, poetarum dictio inquinata adhuc erat cascae antiquitatis sordibus, versuumque numerus, non destitutus quidem vi ac robore

9) De anno Propertii natali non una est Virorum Doctorum sententia: Vulpius a. U. C. 696., alii a. U. C. 705. natum eum esse dicunt. Ego probabiliorem ceteris Barthii sententiam secutus sum, qui Propertii natales anno U. C. 702. docte vindicat. Non major consensus est de tempore, quo Propertius carmina sua scripserit et ediderit. Erudite hoc argumentum tractavit Nobbius in Specim. Observatt. in Propertii Carmina. Lips. 1818. Paldami de Libri IV. elegiis suspicio magnopere mihi arridet.

quodam, tamen nescio quid duritiei habebat et asperitatis. In tanta fragmentorum, quae ex Hostii carminibus supersunt, paucitate non me praeterit quam lubricum sit incertumque ea de re judicium. Verum tamen, qui artis poeticae apud Romanos et ortae et progressae et sensim ad nitorem politissimamque elegantiam excultae rationem et naturam accurata animi adversione cognoverit, is, credo, confitebitur, Hostii versus epicos, sive dictionem sive numerum spectas, ab Ennianis et Attianis non multum discrepare [10]). Hoc magis etiam elucebit, si comparaveris reliquias Annalium, quos epicis versibus scripserat A. Furius, Antias, L. Lutatii Catuli familiaris. Is ipse ante C. Julii Caesaris aetatem floruit, ejusque versus, qui supersunt, dictionis nitore et elegantia, numerorumque arte et suavitate Hostianis tantopere praestant, ut non temere mihi videar inde colligere, Hostium multis annis ante Furium Antiatem vixisse [11]). Neque huic sententiae adversantur Grammatici, qui, ut infra §. 9. videbimus, Hostium vetustioribus adeoque vetustissimis Latii poetis aperte accensent.

Deinde in definienda Hostii aetate non praetereundae sunt res, quas ab eo versibus tractatas esse novimus. Illa, quam supra significavi, aetas virorum ingenio et doctrina excellentium feracissima, mirifice sibi placuit in rerum historicarum idque patriarum studio, quod dubitari nequit quin M. Porcii Catonis Censorii Originibus, vasto illo et pererudito opere, multa invenerit et invitamenta et nutrimenta. Quo factum est, ut tum temporis, quo quis esset doctior et litterarum amantior, ita maxime suum studium et otium in conficiendis rerum Romanarum Annalibus vel

---

10) *Q. Ennii* Annalium Libr. XVIII. Fragmenta a P. Merula primum collecta nuper recensuit et edidit E. Spangenberg. Lipsiae, 1825. Illustre Ennii exemplum secutus item Annales epicis versibus scripsit *L. Attius*, tragicus ille poeta clarissimus, qui natus est a. U. C. 584. anno ante Ennii mortem, quae accidit a. U. C. 585. *Attii* Annalium reliquias, post H. Stephanum in Fragm. P. V. L. p. 10., collectas dedit G. J. Vossius d. Histor. Lat. Libr. I. c. 7. p. 10. Vol. IV. Opp.

11) De *A. Furii Antiatis* aetate disserui ejusque Annalium Fragmenta collegi in Comment. *d. M. Furio Bibaculo* §. 4.

Graece vel Latine scriptis poneret [12]). Hinc non mirabimur, exstitisse etiam bene multos, qui historiam versibus exprimerent, praesertim quum hoc in carminum genere exemplum summa cum laude et popularium applausu praeivisset ipse epicae apud Romanos poesis pater ac princeps, Q. Ennius. Nam Augusti demum aetate intelligi coeptum est, non res gestas versibus comprehendendas esse, sed liberum spiritum per ambages deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandum [13]).

§. 7.

Hostius igitur pro studiorum, quae tum vigebant, ratione elegit historica argumenta, quae epicis versibus tractaret. Quamquam incertum dubiumque est, num Annalium libros heroicis versibus composuerit; tamen ab eo scriptum esse carmen epicum de bello Histrico, idoneis constat Grammaticorum testimoniis. Atqui in eo, quod prae caeteris bellum Histricum carmine exponendum sibi sumpserit, novum paratum esse puto praesidium, quo mea de ejus aetate sententia communiatur.

Dubitari enim non potest, quin illud intelligendum sit bellum, quod A. Manlius Vulso Cos. a. U. C. 576., qui Galliam provinciam sortitus erat, injussu Senatus Histris intulit, auctore Livio Libr. 41. c. 1. Res ab initio improspere gestae sunt: castra enim a Romanis imprudenter derelicta hostes ceperant, sed ea recuperavit Manlius et longe maximam partem barbarorum, qui in castris Romanis avidius vino ciboque corpora oneraverant, caede facta obtruncavit. Interea, nuntio Romam allato, res perditas esse in Histria, alter Consul, M. Junius Brutus, ex Liguribus in Galliam transire jussus est. Is quum Aquilejam venisset, ejusque adventum Histri comperissent, in civitates passim dilapsi sunt. Ita sedato tumultu Histrico,

---

12) Hos Annalium scriptores recensuit *Bähr* in libr. *Geschichte d. Röm. Litter.* §. 176. p. 256.

13) Sunt verba Petronii Satyric. c. 118. p. 708. T. I. ed. Burm. Praeter G. J. Vossium d. Art. Poet. c. VII. §. 5. p. 17. Vol. III. Opp. conferri potest Rupertius d. Silii Italici Vit. et Carm. Sect. II. p. XX. sq.

uterque Consul legiones Aquilejam in hiberna reduxit: vid. Livius l. l. c. 5. Romae C. Claudius Pulcher et Ti. Sempronius Gracchus creati sunt Consules in a. U. C. 577. Provinciae decretae sunt, Graccho Sardinia, Claudio Histria. Dum haec Romae geruntur, M. Junius et A. Manlius principio veris exercitum in fines Histrorum introduxerunt, et una pugna hostes ita fuderunt, ut ab his legati ad pacem petendam mitterentur: vid. Livius l. l. c. 10. C. Claudius Pulcher Cos., qui, teste Livio l. l. c. 8., Idubus Martiis magistratum inierat, novum adduxit exercitum [14]), et Nesattium oppidum, quod paucis ante diebus Junius Manliusque oppugnare coeperant, tumultu in urbe per mutuam civium caedem orto, expugnavit; duo alia deinde oppida capta et deleta, et sic Histria tota trium oppidorum excidio et morte regis, qui Nesattii, ne vivus caperetur, ferro pectus trajecerat, intra unius fere anni spatium pacata est, teste Livio l. l. c. 11.

Consulto hic succinctam dedi illius belli historiam. Quis enim est, quin mecum miretur, bellum tam breve, tam incruentum, tamque sterile rerum gestarum magnitudine eventuumque varietate dignum a quoquam serioris aetatis poeta habitum esse, quod epicis versibus describeretur? Bella Punica a poeta, C. Julii Caesaris aequali, carmine celebrata esse, nihil habet mirationis [15]); sed

---

14) Meminit hujus expeditionis Polybius Libri XXVI. c. 7. *μετὰ τὴν ἀποστολὴν τῶν ὑπάτων Τιβερίου καὶ Κλαυδίου, τὴν πρὸς Ἰστρους καὶ Ἀγρίους*: qui locus corruptelam in v. *Ἀγρίους* passus est. Quum Claudio Histria, Sempronio Sardinia sorte obvenerit, Casaubonus conjecit *Σάρδους*; sed videsis Schweighaeuseri Adnotatt. Vol. VII. 582.; cf. Tzschuckius ad Pompon. Mel. Libr. II. c. 7. §. 19. Vol. III. P. 2. p. 880.

15) Teste Ovidio, qui ex Ponto Libr. IV. ep. 16. v. 21.

Helivolique maris vates, cui credere possis
Carmina caeruleos composuisse Deos.
Quique acies Libycas, Romanaque proelia dixit.

P. Terentium Varronem Atacinum ab Ovidio significari, dubio caret; id autem ambiguum, sintne cum Interpretibus intelligenda ejus *Argonautica*, an, ut Wernsdorfius in P. L. M. T. V. P. 3. p. 1387. existimat, *Libri* ejus *Nasales* seu *Littoralia*? Quis vero *Libycas acies dixerit et Romana proelia*, latet; verisimilis tamen est conjectura Grotefendi in Ephemerid. Litter. Hal. a. 1827. N. 275., intelligi *Bellum Punicum*, quod ab eodem Varrone scriptum esse testatur Apulejus d. Orthograph. §. 1. et §. 14. ed. Osann.

quid tandem Histrico in bello accidit, quod saeculo post poetae alicujus ingenium admiratione implere et cum voluptate tenere potuerit? Id bellum ita comparatum erat, ut nullius nisi aut aequalis, aut non multo post viventis poetae attentionem movere ejusque ingenium exercere posset. Illius enim aetatis poetae Histricum bellum ut grave videretur, memorabile et carmine dignum, multae ac variae poterant esse caussae; non item ei, qui longo tempore post viveret et argumentum quaereret epici carminis dignitati ac sublimitati accommodatum.

§. 8.

Quoties ego haec omnia mecum reputavi, toties ego in ea confirmatus sum sententia, ut Hostii poetae aetatem antiquioribus, quam vulgo putetur, temporibus assignandam censerem. Rationibus enim omnibus accurate subductis, nihil equidem dubito Hostium facere aequalem C. Lucilii Satirographi, quem a. U. C. 606. natum esse constat. Itaque tempus, quo ille floruerit, medium interjectum esse suspicor inter aetatem et florem L. Attii et A. Furii Antiatis, quorum Annales heroicis scriptos versibus supra §. 6. memoravi. Num Hostius senex viderit Ciceronem puerum, neque affirmare neque negare ausim, praesertim quum ex operum, quae scripserit, paucitate colligere quis possit, eum brevis aevi fuisse hominem. Id tamen videtur in confesso esse, interposito longo temporis intervallo demum floruisse T. Lucretium, C. Valerium Catullum et P. Terentium Varronem Atacinum, quos C. Julii Caesaris aequales jure dixeris.

De Hostii ingenio et doctrina nihil fere habeo, quod dicam. Natus autem erat ea aetate, qua Graecorum artes ac litterae a principibus quibusque civitatis Romanae viris et cupide amari et studiose tractari coeptae erant, auspice ipso M. Porcio Catone Censorio, qui, quum antea Graecarum litterarum contemptor fuisset et irrisor, eas senex avidissime arripuerat. Videbat aetate et gloria florentem elegantem illum liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctorem et admiratorem, P. Scipionem, Carthaginis

et Numantiae eversorem [16]). Spectabat L. Attium, Sophocleo cothurno tam feliciter incedentem, ut *senis alti* famam auferret [17]). Aequalis erat Lucilii, docti et faceti istius hominis, qui, ut utar verbis Horatii Serm. I. Sat. 4. v. 3., *Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur, quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui famosus, multa cum libertate notabat*, hac in re Eupolidem, Cratinum et Aristophanem, mutatis tantum pedibus numerisque secutus. Quare in tanto omnium ac tam communi Graecarum litterarum amore et studio non mirabimur, Hostium, epici poetae nomen et laudem quum affectaret, sese composuisse ad Homeri imitationem: id quod hodieque residua carminum Fragmenta attestantur. Quo autem in honore atque existimatione apud aequales fuerit, quum scriptores sileant, ne suspicari quidem licet. Nec tamen hoc silentium ita interpretandum puto, ut ignobilem eum contemptumque fuisse dicamus. Si quis vero in ejus laudem interpretari velit, quod Virgilius, auctore Macrobio, Hostii versum expresserit, is videat, ne uterque eumdem fontem adiisse et Virgilius felicior Hostio et politior Maeonidae aemulus fuisse existimandus sit.

§. 9.

Progredimur ad carminum ab Hostio scriptorum reliquias. Carmen ejus epicum, quod de bello Histrico eum

---

16) Sunt verba Velleji Paterc. Libr. I. c. 15. §. 3.

17) Horatius Libr. II. epist. 1. v. 55.

Ambigitur quoties uter utro sit prior: aufert
Pacuvius docti famam senis, Attius alti.

Pacuvius et Attius a scriptoribus saepe componuntur et vituperati et laudati, Martialis Libr. XI. 91. v. 5. „*Attonitusque legis terrai frugiferai; Attius et quidquid Pacuviusque vomunt.*“ Vellejus Paterc. Libr. II. c. 9. §. 3. „*Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Attii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta.*“ Quintilian. I. Or. Libr. X. c. 1. §. 97. „*Virium tamen Attio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.*“ Hinc Attius ab Horatio dicitur *altus* i. e. sublimis, grandis tum sententiis tum imaginibus: cf. Gellius N. A. Libr. XIII. c. 2. Si is, cujus Valerius Maximus Libr. III. c. 7. p. 11. meminit Attii, poeta tragicus est, nonagenarius factus est senex et Hostio poetae, licet natu minori, superstes fuit: videsis Bothium in Poet. Scen. Latin. Vol. V. P. 1. p. 157.

composuisse vidimus, quot libris constiterit, ignoratur. Paldamus in Epist. Dedicat. Propertii p. VII. libros minimum tres fuisse opinatur; brevioris illud fuisse ambitus, ipsius argumenti sterilitas suadere videtur, sed sine idoneo teste quidquam affirmare nolim. H. Stephanus in Fragmentis Poetar. Vett. Latin. Parisiis 1563. plane omisit Hostium, nec G. J. Vossius d. Histor. Latin. Libr. I. c. 16. p. 25. Vol. IV. Opp. satis diligenter contulit, quae passim leguntur, carminum Fragmenta. Majorem diligentiae laudem meruit J. A. Fabricius in Biblioth. Lat. Med. et Inf. Latin. Libr. VIII. p. 826. sq. Sunt autem haec:

I. Servius ad Virgil. Aen. Libr. XII. v. 121. in docta adnotatione de antiquo v. *pilare*, allato ex Enni Satyris exemplo subiicit: „Hostius in belli Histrici primo

Percutit atque hastam pilans prae pondere frangit.“

ubi Servius *pilans* explicat *figens*.

II. Servius ibidem haud dubie ex eodem Hostii carmine: „Idem

sententia praesto

Pectore pilata.“

Sunt enim aperte duo hemistichia Hexametri, et *pilata* ex Servii interpretatione est *fixa*, ita ut sensus sit: in promptu fuisse consilium animo volutum ac certum. H. l. igitur v. *pilare* translate dictum est.

III. Festus s. v. *tesca* p. 567. Dacer. „Hostius belli *Histrici lib. I.* pergentis alte aetherias atque *avia tesca per quae* volabis templa antiqua *Deum*.“ Quo in loco conjecturae ope suppleta sunt, quae transversis typis exprimi jussimus. Disjecta hic reperiri membra poetae patet, quibus componendis cum alii, tum maxime Josephus Scaliger operam insumebat. Vulgo sic:

Per gentes alte aetherias atque avia tesca.
Perque volabis templa antiqua Deum.

At Scaliger totum locum audaciori tentatum manu ita legendum censuit:

perdiu gentes
Aliger aetherias atque idem tesca volabis
Templa antiqua Deum.

Contra Dacerius putavit, v. *templa* ad explicationem v. *tesca* huc irrepsisse, et legi debere

Per gentes alte aetherias et celsa volabis
Tesca antiqua Deum;

quoniam *tesca* essent spatia coelestia, quae alii *templa* vocent. Equidem cum Burmanno ad Propertii Libr. III. El. 18. p. 670. praeferendam puto alteram digerendi haec verba rationem, quae item Scaligero debetur:

Per gentes alte aetherias, ac tesca volabis,
Templa antiqua Deum.

Caeterum liquet, *gentes alte aetherias* esse Homeri *ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα* in Iliad. Libr. II. v. 459., quarum volatui loca seu spatia coeli lituo circumscripsit Augur. Hic locus, ariolari si placet, fortasse in ea carminis parte legebatur, ubi inauspicatam C. Claudii Cos. ex urbe profectionem descripserat, cujus meminit Livius Libr. 41. c. 10.

IV. Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 3. p. 591. Z. „Hunc (i. e. Homerum Iliad. II. 489.) secutus Hostius poeta in libro secundo belli Histrici ait:

non, mihi si linguae [illegible]
Centum, atque ora sient totidem, vocesque liquatae.“

Hunc locum Macrobius putat expressum esse a Virgilio Aen. VI. v. 625. *Non, mihi si centum linguae sint oraque centum, Ferrea vox.* Eodem versu usus fuerat Virgilius in Georgic. Libr. II. v. 43., ubi J. H. Vossius p. 276. fragmentum Hostii, quem C. Julii Caesaris aequalem appellat, ita convertit:

— — — — *nein, hätt' ich der Zungen*
Hundert, und auch der Schlünde soviel, und geläuterte Stimmen.

Equidem vehementer dubito, num Virgilius Hostii opera bis fuerit usus in loci imitatione Homerici! In venandis ejusmodi similitudinibus atque imitationibus nimis ac paene putida est Macrobii diligentia. Quum Homero *δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματα* commemorata essent, uterque poeta Romanus *centum linguas* totidemque *ora* posuit: id quod vel casu factum opinor vel ex usu Romanorum,

qui, numerum indefinitum si exprimere volunt, non tam n. *decem*, quam *centum* usurpare consuerunt. At in uno hoc nomine conveniunt Hostius et Virgilius: quis igitur serio contendat, alterum ab altero pependisse?

V. Macrobius Saturn. Libr. VI. c. 5. p. 601. docet, epitheta, quae apud Virgilium nova videantur, vetustioribus jam in usu fuisse poetis. Ita, quo ab Marone Aen. Libr. III. v. 73. Apollo insignitur epitheto *Arquitenens*, eo bis jam usum esse Naevium allatis locis probat, eisque subjicit Macrobius: „Sed et Hostius libro secundo belli Histrici:

Dia Minerva simul autem invictus Apollo,
Arquitenens Latonius.“

Ita hoc fragmentum in Macrobii editionibus, quas vidi, omnibus legitur, metro claudicante; sed Jo. Alb. Fabricius in Biblioth. Lat. Med. et Inf. Latin. Libr. VIII. p. 827. nescio conjectura an ex Mstis h. v. legit: *simul cunctis invictus Apollo.* Nemo hoc in fragmento Homericae dictionis colorem et imitatricem operam Hostii non deprehendet, et Macrobius eum expressis verbis in vetustiorum Latii poetarum numero ponit cum Naevio conjunctum!

VI. Festus s. v. *Scaeva* p. 485. „Pro sinistro *scaevum usurpavit* Hostius in belli *Histrici libro* . . . .“ Caetera hujus loci verba absorbuit ingens lacuna!

VII. Priscianus Libro VI. p. 719. P. c. 16. §. 86. Vol. I. p. 279. Kr. „Vetustissimi etiam hoc pecu, unde et haec pecua plurale, dicebant Hostilius in primo Annali:

Saepe greges pecuum ex hibernis pastuhu pulsi.“

Quamquam Krehlius. h. l. nihil varietatis ex Codd. Mstis enotavit, tamen vix mihi temperare possum, quin n. *Hostilii* corruptum esse censeam. G. J. Vossius d. Historic. Lat. Libr. III. p. 220. Vol. IV. Opp. hoc Prisciani testimonio innixus Hostilium inter incertae aetatis historicos refert, eumque in existimatione non exigua olim fuisse dicit ob Annales. Eumdem Hostilium ob Annales, quos Ennii exemplum secutus composuerit, commemorat Vossius de Poet. Lat. c. 8. p. 257. Vol. III. Opp., ubi incertae aetatis poetis, quos tamen constet ante Caroli M. aetatem vixisse,

adnumeratur. *Hostilii*, mimographi cujusdam, meminit Tertullianus Apolog. c. 15. „*Dispicite Lentulorum et Hostiliorum venustates, utrum mimos an Deos vestros in jocis ac strophis rideatis.*“ Hunc mimographum Vossius d. Historic. Lat. l. c. dubius est, eumdemne esse statuat, an diversum ab Hostilio, Annalium scriptore? Haec imprudens et aliud quasi agens scripsit Vossius, neque attendit Prisciani locum, in quo hic Annalium scriptor inter vetustissimos poetas ponitur. Qua autem aetate vixerit Hostilius mimographus, colligere licet ex mentione Lentuli, mimographi sub Domitiano clarissimi: cf. Scholiast. ad Juvenal. Sat. VIII. v. 187. p. 340. Cr. et Ruperti Vol. II. p. 491. Rectius igitur idem Vossius d. Inst. Poet. Libr. II. c. 33. p. 121. Vol. III. Opp. Hostilium mimographum Lentuli aequalem fuisse dicit. Atque ab hoc diversum esse cognominem Annalium scriptorem, vel ex eo potest intelligi, quod mos Annalium versibus conficiendorum Domitiani aetate dudum obsoleverat. Accedit aliud idque certius indicium temporis, quo vixerit ille Hostilius, repetitum ex illo, quem Priscianus servavit, versu. Nam, quae apud antiquos Latii poetas in usu fuit litterae sibilae in extremis syllabis — *us* et — *is* elisio, eam in desuetudinem venisse Ciceronis aetate, perspicue docet locus in Orator. c. 48. §. 161. „*Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae literae, quae sunt in* optumus, *postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi:*“ ibiq. Henr. Meyerus p. 114. Cicero quidem juvenis, quum Aratum Latine converteret, hac veterum consuetudine, etsi rarius, tamen usus est, sed, quo tempore Oratorem scripsit, circiter a. U. C. 709., ista postremae litterae detractio subrustica visa est et vitata a poetis novis. Jam quum Hostilius, Annalium scriptor, postremam litteram in v. *pastubus* detraxerit, manifestum est, eum non poetis novis h. e. Ciceronis senis aequalibus, sed veteribus, qui ante Ciceronem vixerint, adscribi debere. Itaque si reputamus scriptorum

omnium de Hostilio, Annalium scriptore, silentium; si cogitamus, poeticam Annalium confectionem ante Ciceronis tempora in praecipuo usu atque honore fulsse; denique si, quod supra docui, meminimus, nomina *Hostiorum* et *Hostiliorum* a librariis passim esse confusa; quis est qui dubitet subscribere nomen suum suspicioni, apud Priscianum l. c. pro *Hostilio* reponendum esse *Hostium*, belli Histrici scriptorem, eumque non modo fuisse C. Lucilii, sed etiam L. Attii et A. Furii Antiatis aequalem, a quo utroque Annalium libros epicis versibus compositos fuisse scimus. Neque ego primus in hanc incidi suspicionem, sed jam dudum ante me J. A. Fabricius in Biblioth. Lat. Med. et Inf. Latin. Libr. VIII. p. 826., ubi Hostilios scriptis claros recenset, eamdem proposuit conjecturam: de qua tamen judicium esto penes homines eruditos, qui hanc qualemcunque meam operam, colligendis Poetarum Latinorum Fragmentis insumptam, et curare et examinare haud gravabuntur.

DE
LAEVIO POETA.

§. 1.

Quamquam mihi verendum est, ne de Laevio, ignobiliore Romanorum poeta, scripturus in eorum incurram reprehensionem, qui, quidquid operae ac studii in colligendis illustrandisque veterum scriptorum reliquiis collocetur, vanum et infructuosum dicunt ac superciliose despiciunt; tamen non opus esse videtur, ut susceptae operae tenuitatem, istorum hominum judicio et eleganti, si Dis placet, fastidio minime placituram, multis excusem verbis. Quanto magis enim hodie ea invalescere coepit sententia, qua nihil utilius illo studio et ad perspiciendam antiquarum litterarum rationem earumque per singulas aetates progressionem magis censetur necessarium; tanto minus equidem dubitavi, quin Laevii quoque poetae intermortuam fere memoriam excitarem ejusque nomen, paene in omnibus antiquorum scriptorum monumentis deletum, hac scriptione etiam in studiosae juventutis notitiam perferrem, praesertim quum Richardus Bentlejus in Horatii Epistola prima Libri II. locum ei vindicare conatus sit. Quod quidem summi Critici conamen in plurimis Venusini poetae editionibus invenitur adnotatum, ipsius autem Laevii poetae nomen in omnibus fere, qui de Romanorum litteris et scriptoribus agunt, libris frustra quaeritur. Atque id potissimum me induxisse fateor, ut hanc mihi sumerem scribendi materiam, haud veritus, ne nullam apud Viros Doctos gratiam initurus, nullamque diligentiae laudem, et, sicubi me in Laevii aetate, quae maxime in disceptationem cadit, definienda la-

psum, et in expiscandis carminum ejus fragmentis, per veterum Scriptorum et Grammaticorum opera hic illic dispersis, deceptum a librariis falsumque deprehenderint, nullam sim inventurus veniam.

Iam in illa, quam dixi, Epistola Horatii, Augusto imperatori inscripta, Bentlejus, excellentissimi ingenii vir, quem vel a vero aberrantem non possis quin admirere, Livio Andronico, vetustissimo Latii poetae, cujus mentione offendebatur, *Laevium* substituit. Hanc Bentleji emendationem quamquam Horatii editores tantum non omnes rejecerunt, tamen nemo, quod sciam, fuit, qui speciosas eximii illius Critici rationes et argumenta accuratius, ut par erat, examinaret et copiosius refutaret. Quod autem quo rectius et felicius instituatur, necesse est, de origine et caussa itemque argumento hujus Epistolae, quam unam ex praestantissimis et elaboratissimis esse bene docuit Rappoltus Comment. in Horat. Sat. et Epist. p. 855 sqq., nonnulla praemittantur.

§. 2.

Quum non sit, quod Suetonii in Vit. Horat. T. III. p. 50. Wf. fidem et narrationem de scribenda hujus Epistolae caussa in dubium vocemus; apparet, Horatium non sua sponte aut studio quodam et amore adductum, sed Augusti votis ac paene minis obsecutum hanc ad eum exarasse Epistolam, quam Suetonius *Eclogam* [1]) appellat,

---

1) Vulg. *elogium*, ab Ernestio in Cl. Cic. s. h. v. et inpr. a Bergmanno in Ruhnkenii Opusc. Addend. T. II. p. 1021. docte illustratum, tamquam minus huic loco accommodatum recte textu ejecit Oudendorpius, reposita Cod. Putean. lectione *Eclogam*, quo communi nomine *Satiras et Epistolas* Horatii h. e. Sermones a Grammaticis inscriptas esse notum est: vid. Schol. Cruq. ad Sat. II. 1. 1. p. 407. *Quoniam autem hic quid Ecloga sit quaeri solet, sciendum est, quod Ecloga haec nomina sub se continet: si ad Jovem, Prosodia dicuntur; si ad Apollinem, Dianam aut Latonam, Paeanes; si ad Liberum aut Semelen, Dithyrambi; si ad ceteros Deos, Hymni; si ad homines laudandos, vituperandos, reprehendendos, lugendos Odae sunt et Eclogae: sunt enim brevia poematia.* cfr. Boeckh ad Pind. Fragm. T. II. P. 2. p. 359 sq. 567 sq. 574 et 586. Neque tamen Horatius ipse sua poemata inscripsit *Eclogas*, ut insulse Baxterus statuit. Seriori demum tempore usu venit, ut ipsi poetae singula carmina, in vulgus edita, eaque selecta ex iis, quae subito calore fudissent neque satis meditati essent, hoc nomine appellarent: ita Plinius Epist. Libr. IV. 14. §. 9.

invito Poetae veluti expressam: id quod necessitudini ac familiaritati, quam Poetae Venusino cum illo Imperatore fuisse constat, plurimum lucis affert. Hac autem scribendi tamquam necessitate suo de more ita usus est Horatius, ut hanc quoque Epistolam non tam Caesaris Augusti, quem quidem v. 4. salutat, quam aequalium suorum caussa scriptam et publici juris factam esse, cuivis, qui nihil praejudicati ad ejus lectionem affert, manifestum sit.

Nam, excusata breviter sua ad Augustum scribendi audacia, Horatius mirifico et perquam blando usus artificio ad rem ipsam, de qua summo illi litterarum artiumque patrono expositurus erat, viam sibi munit monendo, homines plerumque esse iniquos aequalium suorum judices, et clarissimos quosque et humano de genere optime meritos heroas post mortem demum justo mactatos esse honore. Cujus quidem rei caussam ex solita quadam et communi omnium mortalium invidia repetit v. 13.

Urit enim fulgore suo, qui praegravat, artes
Infra se positas; exstinctus amabitur idem [2]).

Proinde sive epigrammata, sive idyllia, sive eclogas, sive (ut multi) poematia, seu quod aliud praeclare malueris, licebit voces: ego tantum hendecasyllabos praesto. Statius in Praef. Lib. III. Sylv. Carmen V., quo Claudiam uxorem secum Neapolim secedere cohortatur, nominat *Eclogam:* cl. Praefat. Lib. IV. Sylv. Carm. VIII. Hoc sensu Scaliger in Poet. Lib. I. c. 4. p. 14. Virgilianas Eclogas existimat dictas ab ipso Marone; sed fallitur, cum haec inscriptio solis Grammaticis debeatur: vid. Heynii Disq. de Carm. Bucol. p. 231. T. 1. ed. 3.. Grammaticorum usum secutus de suo Idyllio VI. scripsit Ausonius p. 324. ed. Toll. *Verum quid ego huic eclogae studiose patrocinor?* Suetonius vero h. Horatii epistolam *Eclogam* appellat non ob argumentum, sed quod ex epistolis una praecipua sit et quasi selecta, ut recte animadvertit Rappoltus l. c. p. 854. Eamdem ob caussam Ausonius in Praef. Idyll. XI. p. 448. ed. Toll. Horatii odam 19. Libri III. *Eclogam* nominat.

2) Habet hic locus, praesertim ex vulgari interpunctione, paullo difficiliores explicatus. Porphyrion ad h. l. ait: *rationem exponit* (Horatius) *propter quam minus coluntur vivi, qui virtute excellunt, post obitum autem diliguntur. Gravis est enim, inquit, inferioribus et infra positis nocet, quia artibus bonis ceteros vincit, sed requiritur tamen et desideratur extinctus. Fulgore, splendore, quo fulget. Et bene urit ad fulgorem retulit.* In qua adnotatione Car. Fea nescio quid firmamenti reperire sibi visus est lectionis, quam in duob. Codd. inventam temere in textu posuit: *Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes, Infra se positos* i. e. inferioribus, qui eamdem tractant artem, sua praestantia invidiosae aemulationis dolorem commovet. Qua quidem lectione vox *urit*, quae casu objecti in-

Atque hanc invidiam soli Augusto contigisse ait ut superaret, quippe cui praesenti adhuc et vivo divini haberen-

---

commode caret, utique juvatur; sed quid sit *praegravare artes* non liquet, neque explicuit Fea: qui enim ab eo allati sunt loci Quintilian. I. Or. Lib. IX. 1. §. 72. *Atque ille quidem* (Charisius, orator) *omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit;* et ibidem §. 92. de Germanico: *Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus ista praestringitur:* non tam verba, quam sententiam illustrant. Et si Fea vocabulo *artes* et res et personas i. e. artifices ab Horatio intellectos vult, oritur ταυτολεξία valde invenusta, ut recte monuit Bothius in Adnotat. p. 192. Aliam loci expediendi rationem nuper proposuit Doeringius, qui, retenta Feae lectione *positos*, legendum suasit: *Urit enim fulgore suo, qui praegravat arte, Infra se positos:* qua in correctione ducem ac velati antesignanum habuit I. H. Vossium, qui h. l. ita interpretatus est: *Denn mit blendendem Glanze beleidiget, wer vor den andern Raget durch höhere Kunst.* Haec correctio quamvis a facilitate multum habeat commendationis, tamen vereor, ut necessaria sit, et Num. Sing. *arte* in hoc orationis contextu satis stabiliatur Od. III. 3. v. 9. et v. 15. Doeringius enim v. *arte* accepit latiore significatu, quo legimus ap. Theocrit. Idyll. XVII. 137. ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς ἕξεις: quem locum nuper docte illustravit Mitscherlichius in Progr. Acad. Gotting. 1825., ubi etiam p. 6. haec scripsit: „*Easdem ἀρετὰς designavit Horatius* Epp. II, 1, 13. Praegravat artes, *κατακρίθει ἀρετάς, praecellit aliis virtute, eminet inter alios corporis vel animi facultatibus: hinc explicative* artes infra istum positas *dicit. Nihil igitur mutandum in hoc Horatii loco.*“ Plerique Interpp., ut Hurdium *artes* de ingenio poetico explicantem et inprimis eruditas Dan. Heinsii ad h. l. nugas p. 60. (Lugd. Bat. 1612.) hic silentio praetermittam, praeeunte Lambino, *artes* per metonymiam de artificibus intelligunt, quos se inferiores sua praestantia quodammodo onerat et opprimit is, qui *fulgore suo urit* i. e. antecellit ideoque alios aemulationis et invidiae dolore pungit: nam v. *urere* simul includit molestiae et doloris notionem; vid. ad Epist. I. 10. 43. et Mureti Opp. T. II. p. 718. R. Verum ut concedamus, *praegravare artes* satis Latine per metaphoram dici pro *antecellere, superare:* parum enim hac in causa juvat calamistratae orationis auceps ille, Valer. Maximus Lib. III. c. 7. n. 6. ext. *Et sane quod ad explorandа bellica sacrificia, aestimandosque militares attinebat, omnes foculos, omnes aras Bithyniae, Marte ipso judice, pectus Hannibalis praegravasset;* tamen, quum, ut paulo ante monui, ad v. *urit* casus objecti aegre desideretur, *praegravare* autem eleganti metaphora absolute dici soleat, jam dudum est, quo ego h. locum eo, quem supra expressi, interductu expediendum censerem. Quam rationem impense laetatus sum etiam a Bothio esse initam, qui haec: „*Seorsim accipiendum*, qui praegravat i. e. *qui praeponderat, qui in arte aliqua princeps est.* Sueton. Caes. 76. *Praegravant tamen cetera facta dictaque ejus etc.*“ *Praegravare* enim Gr. ὑπεροναβαλλεσθαι pr. de bilance, in qua minus pondus a majori elevatur et quasi superatur, pretio, dignitate antecellit: hinc tropice dicitur Senecae d. Clement. c. 24. §. 1. *cito apparebit, pars civitatis deterior quanto praegravet.* Idem d. Tranq. An. c. 8. §. 1. *haec pars multum praegravabit.* Huic metaphorae frustra obloquitur Rappoltus l. c. p. 862. et, quam de intransitivo usu v. *praegravare* movet difficultatem, ea nostra distinctione tollitur et evanescit. Igitur *qui praegravat* i. e. qui in arte aliqua princeps est caeterisque, qui eandem tractant, superior, is fulgore suo urit artes infra se positas. Sicut exquisitius ab Hora-

tur honores: in quo laudat populi prudentiam, sed eidem denegat judicandi aequitatem in poetis aequalibus, quos postponat veteribus v. 18.

Sed tuus hic populus, sapiens et justus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo;
Cetera nequaquam simili ratione modoque
Aestimat et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit.

Jam hanc aequalium suorum perversitatem et iniquitatem, qua, contemptis sui aevi poetis, antiquos unice admirari et exosculari solerent, cum tacita quadam indignatiuncula reprehendit et usque ad vers. 214. per partes eundo demonstrat, ita ut major hujus carminis pars sit ἐλεγκτικὴ et Satirae potius, quam Epistolae colorem et naturam referat.

Memoratis enim inde a vers. 50. potioribus, quos Romani in deliciis habebant, veteris Latii poetis, quorum virtutes ac naevos breviter et urbane significat, ita pergit v. 60.

Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.

Quum autem verendum ei esset, ne ab aequalibus adeoque ab ipso Augusto neglectae humanitatis et iniquae

---

tio *artes* dicuntur pro artificibus, quos simul intellectos voluit; ita aliquis fulgore suo dicitur *urere*, quod proprie fulgori convenit. Lucret. Lib. IV. v. 330. *Praeterea, splendor, quicquomque est acer, adurit Saepe oculos; ideo, quod semina possidet ignis Multa, dolorem oculis quae gignunt insinuando:* ibique Wakefield T. II. p. 261. Caeterum si cui vocabulum *praegravare*, metaphora a bilance desumpta, male interpositum videatur verbis a lumine petitis, et violatum ab Horatio praeceptum Quintil. I. Or. Lib. VIII. 6. §. 50. „*Nam id quoque inprimis est custodiendum, ut, quo ex genere coeperis translationis, hoc desinas. Multi autem, quum initium a tempestate sumserunt, incendio aut ruina finiunt: quae est inconsequentia rerum foedissima*", is memento, majorem hac in re datam esse poetis, quam oratoribus licentiam, qua etiam usus est in A. P. v. 441. Accommodate autem praecedenti verbo *fulgore* dixit *exstinctus*. Simili imagine usi sunt Meleager in Br. An. N. 35. ibiq. Jacobs Animadv. Vol. I. P. 1. p. 55. et Leonidas in Br. An. N. 49. ibiq. Jacobs Vol. I. P. 2. p. 106. Vulg. loci distinctionem tueri conatus est V. D. in Seebodii Biblioth. Critic. 1826. p. 1236 sq.

in judicando cupiditatis ipse insimularetur, sui judicii severitatem caute temperat et ita restringit v. 63.

Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat aequo [3]).

Quemadmodum vero a Livio Andronico, a quo primo omnium Latinas fabulas scriptas esse una erat et consentiens Romanorum vox, Artis Poeticae primordia apud Romanos et rudimenta repetiit v. 62.; ita, quo magis popularium suorum animos expugnaret eosque in aestumandis aequalium vatum studiis redderet aequiores, suam ipse in veteres aequitatem professus subjecit v. 69.

---

3) Horatius non omnem quidem populo derogat recti pulchrique sensum, sed tamen *est*, inquit, *ubi peccat*. Ita h. l. constanter Codd. Mss., excepto Glareano, qui *peccet* habet. Sermo est de re certa et definita, ubi Indicativus requiritur: vid. Ramshorn Gr. Lat. §. 184. p. 550 sqq. *Est ubi* Gr. ἔστιν ὅπου pro ἔστιν ὅτε i. e. ἐνίοτε, nonnumquam: vid. Erfurdt ad Sophocl. Oed. Reg. v. 449. et inpr. Obbarius ad Horat. Epist. Lib. I. 10. v. 15. p. 28. — v. 67. pro vulg. *credit* recte Bentlejus ex Ms. edidit *cedit*, i. e. concedit, dat, quod a multis receptum et jure defensum a Bachio ad Tibull. Lib. IV, 10, 6. p. 285. iterum rejecit Fea, apud quem omnino Codicum numerus nonnumquam plus valet, quam rationum pondus. Sensum enim loci si attendisset, eum latere non poterat, ab Horatio minime postulari, ut vulgus credat i. e. suopte judicio persuasum sibi habeat, pleraque a veteribus poetis dure dici, sed ut aequus sit in illis aestumandis et liberalis, sibique contendenti, quaedam nimis antique eos et pleraque dure dicere, concedat, neque nimio illorum caecutiens studio diffiteatur, multa ab illis dici *ignave*, quod Faehsius in Syllog. Lect. Gr. p. 456. opinatus, servum pecus imitatorum hic tangi carpique, *serviliter* interpretatur. Alii aliter h. v. intelligunt. Equidem *ignave dicta* explicuerim ἀργὰ καὶ τὸν ἀκροατὴν ἠρεμεῖν ἐῶντα, ut de oratore Longinus d. Subl. Sect. 34. §. 4. i. e. quae nullam vim habent ad movendum auditorem, quibus opponuntur τὰ ἀναγώνια, ἐμπαθῆ, vel παθητικά. Ita vulgarem vitae communis sermonem τὸ κοινὸν ἁπλῶς καὶ ἀργῶς λεγόμενον appellat Apsines apud Longinum Fragm. VIII. §. 6. p. 198. ed. Weiske. — v. 68. Vulgus igitur si naevos veterum poetarum agnoscit et confitetur, sapiens est et justus (v. 18.) *et Jove judicat aequo* h. e. dextre et sine partium studio. Porphyr.: *Propitio sibi; Jove quidem irato fit, ut errent homines et delirent.* Virgil. Aen. VI. 129. *pauci, quos aequus amavit Jupiter aut ardens erexit ad aethera virtus, Dis geniti potuere.* Plinius Epist. I. 2. §. 3. *Nam vim tantorum virorum pauci, quos aequus amavit, assequi possunt.* Contra Silius Ital. Lib. III. v. 2. *Non aequo Superum genitore*, ibique Drakenb. et Heindorf. ad Horat. Sat. I, 5, 97. II, 3, 8.

Non equidem insector, delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia miror 4).

4) Magistrorum ap. utrumque antiquitatis populum erat, carmina, quae in scholis enarrabant, discipulis ob librorum inopiam voce praeire: quod Graecis ἀκροστομαϊζειν dicebatur, Latinis *dictare*, i. e. lente et iterato enuntiare, ὑπαγορεύειν, quae alter vel calamo vel memoria excipiat. Plato in Euthydem. Vol. I. P. 2. p. 403. Bekk. *Τί δαί — ὁπόταν ἀκροστομαϊζοι ὑμῖν ὁ γραμματιστής, πότερον ἐμάνθανον τῶν παίδων τὰ ἀκροστομαϊζόμενα, οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς.* ibiq. Heindorf. §. 13. Vol. III. p. 316. et ibidem p. 404. *Ὅταν οὖν τις ἀκροστομαϊζῃ ὀτιοῦν, οὐ γράμματα ἀκροστομαϊζει.* Horat. Sat. I, 10, 75. *An tua demens Vilibus in ludis dictari carmina malis?* quo etiam spectat Martialis Lib. VIII, 3, 15. *Praelegat ut tumidus rauca te voce magister, Oderit et grandis virgo bonusque puer?* Quae dictata vel praelecta erant a magistris, puerorum erat memoriter recitare: quem morem respiciens ludit Horatius Epist. I, 1, 55. *Haec recinunt juvenes dictata senesque;* et Epist. I, 18, 12. de scurra: *Sic iterat voces et verba cadentia tollit, Ut puerum saevo credas dictata magistro Reddere, vel partes mimum tractasse secundas:* quo in loco videtur, mea quidem opinione, poetae animo obversata esse plagosi Orbilii imago, cujus in disciplinam Romae a patre traditus fuerat puer: vid. Sat. I, 6, 76. Atque hoc ipsum a Graecis dictum fuisse puto ἀκροστομαϊζειν: hinc Timaeus in Lex. h. v. interpretatur: ἀπὸ μνήμης λέγειν: vid. ibi Ruhnken. p. 43 sq. Quo significata nescio an sumendum sit *dictandi* verbum ap. Horat. Ep. II, 1, 110. *Mutavit mentem populus levis et calet uno Scribendi studio: pueri patresque severi Fronde comas vincti coenant et carmina dictant:* i. e. coenantes componunt ex tempore carmina, eaque ore proferunt et convivis recitant. Quis enim credat, Romulidas, ut scilicet scribendi laborem subterfugerent, coenantes lenta voce praecivisse scribenda servis, quae mensae accumbentes composuerant, carmina? Hoc quum sibi persuadere non posset Marklandus ad Stat. Sylv. V. 1. p. 247., h. l. *vincti certant* pro *coenant*, invita Minerva, scribi maluit, non memor Persii Sat. I. v. 51. *non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres, non quidquid denique lectis Scribitur in citreis:* ubi ridicule G. L. Koenig. p. 23. „*dictarunt* sc. amanuensi servo; sic solebant multi Romanorum, litteras exarandi molestiam subterfugientes.“ Sed vel oppositorum ratio docet h. l. de extemporali versuum faciendorum facultate esse cogitandum. Neque negari potest, eodem accipiendum esse sensu Horatii de Lucilio scomma Sat. I, 4, 10. *in hora saepe ducentos, Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.* Quo in loco si v. *dictabat* proprie sumpseris, sane vereor, ne absurdi quid scriptum velis ab Horatio, qui nihil, nisi quam promptus in fingendis poematis et facilis ad extemporalitatem usque fuerit Lucilius, hoc jocose dicto voluit significare. Non male I. H. Vossius: *in der Stund' oft gegen zweihundert, Als was herrliches, gab er noch Vers', Ein Bein in der Schwebe.* — v. 71. Quae commentati erant Romani, ea in coreis consignabant tabulis et *stilo verso* (vid. Heindorf. ad Sat. I, 10, 72.) *emendata* in membranis scribebant. Miratur igitur Horatius, Livii Androsici carmina videri aequalibus *emendata* pulchraque et minimum distantia *exactis:* Porphyr. *translatio ab examine, quae est pars trutinae,* Schol. Cruq. *perfectis*, et ita etiam accepit h. v. Spalding. ad Quintil. I. Or. I. 5. §. 2. T. I. p. 86.

Cujus perfaceti loci vim et consilium siquis cum cura expendit, facile, credo, intelliget, ab Horatio neque aptius neque gravius inveniri excogitarique potuisse suae in antiquos poetas aequitatis argumentum, quam si publice aperteque fatebatur, se ne Livii Andronici quidem, vetustissimi istius poetae, carmina admodum rudia et, quae legantur, vix digna insectanda delendave reri, quamvis id si faceret, non mirum esset, quoniam, ut jocose addit, non sine animi quodam horrore reminiscatur illorum in scholis enarrationem, per plagosum Orbilium factam. Igitur agnoscit veterum vatum virtutes, et non nisi caecum popularium suorum amorem, quo vetustissimum quemque poetarum amplectebantur, itemque injustum novorum contemptum indignabundus improbat; id quod disertis verbis declarat v. 76.

Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci [5]).

---

5) Voc. *crasse* expl. Schol. Cruq. *rustice.* Perperam! Translatum est a lanificio, cui cum praeesset Minerva, Ἐργάνη dicta, (cfr. Creuzeri Symb. et Myth. T. II. p. 745. ed. 2.) in proverbium abiit *crassa Minerva*, ut Sat. II, 2, 3. *Ofellus Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva:* quod Heindorfius explicat *non subtili filo.* Non male: nam *filum* translate de dicendi scribendique genere, ut Cicero ad Divers. IX. 12. de oratione pro Dejotaro: *Ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cujusmodi ipsius solent esse munera.* cfr. Ernesti Clav. s. h. v. Columella Lib. X. v. 225. *Me mea Calliope — revocat parvoque jubet decurrere gyro, Et secum gracili connectere carmina filo.* Carminibus igitur *crasse* compositis h. l. opposita sunt *tenui deducta poemata filo*, quae infr. v. 225. memorantur ab Horatio. Sed *crassa Minerva* aliunde videtur esse dicta: nam Schol. Cruq. ad Horat. Sat. I. c. adnotavit *crassiore et rudiore ingenio.* Porphyrion: *crassa Minerva dicuntur hi* (leg. *ii*), *qui aggrediuntur, quod nequeunt implere. Ideo et iste* (Ofellus) *sic dictus est, quia sectam Stoicam ingressus implere non potuit.* Scholiastae igitur illud proverbium non a lanificio derivasse videntur, sed a corporis pinguedine, quae mentis vim opprimere credebatur: inde *pingue ingenium* pro tardo et stolido ingenio: vid. Horat. Sat. II, 6, 14. cl. I, 3, 58. ubi *tardus* et *pinguis* junguntur. Homines enim crassi et obesi corporis pro tardis et stupidis ap. veteres habebantur: vid. *m. Comment. d. M. Furio Bibaculo* §. 3. Ita Cicero in Catil. III. 7. §. 16. dixit *L. Cassii adipem* i. e. Cassium inertem et ob obesitatem ignavum. Hinc etiam *pinguis Minerva:* ut Cicero d. Amic. c. 5. *Agamus igitur pingui Minerva, ut ajunt.* ubi vid. Gernhard. p. 45., cui *crassa Minerva* ἀνωνύμως dicta videtur. Utraque sane dictio *crassa* et *pinguis Minerva* non vi et notione, sed origine differt,

§. 3.

Jam quum hanc Poetae nostri mentem esse et in scribendo hoc loco consilium, in aprico esset, nemo umquam fuit antiquiorum Interpretum, qui constanti fere omnium Codd. Mss. scripturae *Livi* v. 69. controversiam moveret, nisi Richardus Bentlejus, summus ille vir, qui sibi non poterat persuadere, Orbilium illum, utcunque acerbum et plagosum, magni certe tum nominis Grammaticum, tam pravo et perverso fuisse judicio, ut opica illa Livii *nequinont*, *dusmoso*, *noegum*, *topper* et caetera portenta nobilibus pueris praelegeret, et repertos tum esse, qui Liviana, etiam ipsi Ennio pro obsoletis et rancidis spreta, pulchra esse atque emendata, et exactis minimum distare contenderent. His ductus rationibus, quas ipsis viri magni verbis consulto usus adscripsi, pro *Livi* Cod. Reginensis lectionem *Laevi* cupide amplexus h. l. edidit:

Non equidem insector delendave carmina Laevi
Esse reor etc.

Bentleji rationem et judicium secuti sunt Anonym. Horat. Edit. 1713., Cuninghamus, Sanadon, quos Fea attulit, a quo omissum miror Francisc. Dorighellum, qui in Edit. Horat. Patavii 1788. T. I — III. 8., nil monito lectore, *Laevi* edidit. Inter Nostrates nemo, quod sciam, praeter Haberfeldtum, arguta Bentleji disputatione in fraudem se induci passus est.

Ab his si discesseris, caeteri omnes Horatii editores Bentleji emendationem rejecerunt, cui cum alia, tum totius loci contextus refragatur. Nam quum negat Bentlejus, fuisse tum Romae, qui opica et rancida Livii Andronici carmina legerent et adamarent, adversatur ei haec ipsa Epistola, in qua Poetae nostro populus Romanus dicitur v. 23.

Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes

---

metaphora illius a lanificio, hujus a corporis obesitate desumpta. Utramque rationem junxit Columella Praefat. Lib. I. §. 33. ed. Schn. *Potest enim nec subtilissima nec rursus, quod ajunt, pingui Minerva, administrari.* cf. Ramirez de Prado ad Martialis Libr. II. ep. 77. p. 206.

Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte loquutas [6]).

Romani enim, auctore Quintiliano I. Or. Lib. X. c. 2. §. 7. *nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra Pontificum annales* habebant. Non igitur video, cur sit veri dissimile, Orbilium Pupil-

---

6) Horatius antiquissima quaedam ex scriptis Romanorum monumentis memorat, quae vix intelligi posse etiam Polybius Lib. III. c. 22. testatur. De XII. Tabulis videsis Feam ad h. Epist. v. 153. *Foedera regum* refert Wachsmuth in Hist. Rom. p. 4. ad foedus cum Sabinis ictum et columnae incisum, cujus meminit Dionysius Hal. Lib. III. c. 33., qui item foederis a Tarquinio Superbo cum Gabiis initi mentionem facit Lib. IV. c. 58. Praepositio *cum* referenda etiam ad voc. *Gabiis:* de qua licentia vid. Bentlej. ad h. Epist. v. 31. Od. III, 25, 3. et quos laudat E. G. Weber ad Juvenal. Sat. III. v. 237. p. 170 sq. cl. Monkii Adnotatt. ad Euripidis Alcest. v 114. — v. 26. *Pontificum libros* nominat *ἱερὰς Δέλτους* s. *τὰς τῶν ἱεροφαντῶν γραφὰς* Dionys. Hal. Lib. I, 73. VIII, 56. Schol. Cr. *quos Numa scriptos reliquit.* cf. Creuzer ad Cicer. d. N. D. I. c. 30. p. 134. ed. Moseri. Dubitanter Porphyrion: *utrum annales, an Pontificium jus significat?* Livius Lib. IV. c. 3. eos vocat *Pontificum commentarios*, de quibus egit Wachsmuth l. c. p. 7 sq. Alii intelligunt *Annales Maximos*, quos Cicero de Orat. Lib. II. c. 12. ad initium Urbis refert, dissentiente Niebuhrio in Histor. Rom. T. I. p. 177. De his idem Cicero de Legg. Lib. I. c. 2. *Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse jucundius* etc. quo in loco constantem Codd. lectionem *jucundius*, varie a VV. DD. tentatam, recte tuetur Moserus p. 17. et addit: „*Wyttenbachius quoque a nostris stat partibus*, jucunditatem, *ut* nativam quandam et gratam simplicitatem *explicans.*“ Sed Wyttenbachii auditor, Jan. Theod. Bergmann in *Comment. de litter. condit. ap. Romanos* etc. (Lugd. Batav. 1818. 4.) Epoch. II. §. 5. p. 31. h. Ciceronis locum allegans scripsit: *quibus nihil potest esse jejunius*, et addidit: „*sic enim, vel* incomtius, *legendum esse, non ut vulgo legitur* jucundius, *verissima est Cl. Wyttenbachii emendatio in scholis ad h. l.*“ Verissima autem est vulg. lectio *jucundius*, quae a Davisio non debebat impugnari hoc loco Horatii, cujus a Cicerone dissensum hoc in litterarum genere jam alibi notavimus: vid. *Comment. d. Q. Horatii Fl. Obtrectatoribus* §. 1. — Plurimi Intpp. *annosa volumina vatum* referunt ad libros Sibyllinos. Schol. Cruq. *epexegesis veterum poetarum et Sibyllarum futura praedicentium.* Porphyrion: *veteres libros Navii vatis aut Sibyllae.* Niebuhrius in Histor. Rom. T. I. p. 178 et 294. de historicis vett. Romanorum carminibus cogitat, quae Vir ille ingeniosissimus fingit; sed praestat intelligere vaticinia Marciorum fratrum, quos memorat Cicero d. Divin. Lib. I. c. 40. et ex his carminibus Marcianis duo refert vaticinia Livius Lib. XXV. c. 12. ibiq. Drakenb. Nisi forte huc etiam vocanda sunt Saliorum axamenta, quae *prima verba poetica Latina* nominat Varro d. L. L. Lib. VIII. p. 142. Bip. Qua ratione Horatius magis etiam exagitaret suos aequales ob insolenm vetustatis studium, sicuti jocose et simul antiquitatem acriter significans Albanum montem Musarum Italicarum sedem et Helicona facit.

lum, Beneventanum, istum acerbioris naturae hominem, quem constat, auctore Suetonio de illustr. Gramm. c. 9. T. III. p. 12. Wf., militia functum Musarum castra repetiisse, et quinquagesimo aetatis anno, Cicerone Cos. a. U. C. 691. Romam venisse, ibique litteras, quas inde a puero non leviter attigerat, esse professum, pueris suae concreditis disciplinae vel Livii Andronici Odysseam Latinam, quam Ciceronis aequales, tamquam aliquod Daedali opus, admirabundi venerabantur, vel ejus fabulas dictasse. Quas si ipse Cicero, summus ille cascae antiquitatis admirator, in Brut. c. 18. negat, satis esse dignas, quae iterum legantur, facile apparet, hoc ejus judicium ex disputationis illius fine et consilio esse interpretandum, praesertim cum Livianas fabulas illo tempore et actas et lectione ab ipso Tullio frequentatas esse, certo evinci possit: vid. *Fr. Osanni Anal. Crit.* p. 5 sqq. Quae cum ita sint, istam, si qua est, judicii pravitatem et perversitatem tantum abest ut alienam esse putem ab Orbilio, acerbo et moroso sene, eam ut Grammatico, doctae antiquitatis tenacissimo, apprime convenire dicam. Grammaticorum enim, praesertim vetulorum, est jubere pueros *exesas tineis opicasque evolvere chartas*, ut Ausonius Profess. XXII. v. 3. ait. Sed, in quo vulgatae lectionis cardo vertitur, totius loci contextus Bentlejanae emendationi prorsus repugnat: id quod mihi summus ille vir videtur sensisse, ut qui in firmanda Cod. Regin. lectione *Laevi* solito fuerit brevior. Non enim acutissimi ingenii virum poterat praeterire, Horatium, si hac in caussa recentioris alicujus poetarum fecisset mentionem, suam ipsius sententiam ac disputationis veluti arcem subvertisse. Probaturus enim suam in veteres Latii poetas aequitatem non poterat, quin unum ex vetustissimis memoraret, cujus carminum, quantumvis rudium et rancidorum, non tanto sit captus fastidio incensusque odio, ea ut insectanda delendave censeret, etiamsi haberet, cur illa perhorresceret et aversaretur. Itaque *Livii Andronici* nomen si erat hoc loco exterminandum, haud scio an rectius substituendum fue-

rit *Naevii* nomen, quem idem Ennius dicti studiosum esse negaverat, ideoque vatibus et Faunis adnumeraverat, teste Cicerone in Brut. c. 19. Et cum Horatius caecum injustumque aequalium studium, quo veterrimum quemque Latii poetam prosequebantur, reprehendens scripsisset v. 53.

Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens? adeo sanctum est vetus omne poema [7]).

haud alienum fuerit ad probandam sui judicii aequitatem scribere vers. 69. *Non equidem insector delendave carmina Naevi Esse reor* etc., quum Naevii bellum Punicum etiam Ciceronis aequales, tamquam Myronis opus, delectaret, et perquam sit probabile, vel illud ipsum vel ejus

---

7) Hic locus diversis interpretum sententiis et correctionibus patuit. Qui eum intactum reliquere, sensum ejus ita constituunt: Naevius quidem manibus non teritur, sed ejus, ut paene recentis poetae, carmina dictantur et a pueris ediscuntur. Sic nuperrime etiam Doeringius, cui cum Dacerio legendum videtur: *at mentibus haeret.* Id quod magis etiam miror: nam haec correctio, etiamsi per loci sensum posset admitti, prorsus supervacanea est, quum *et* aliquoties disjunctive ponatur: vid. quos attuli in *Prolus. I. d. Horat. Epistol.* Not. 8. Idcirco perquam temere *F. Ch. Frenzelius* in Seebodii Biblioth. Crit. an. 1822. p. 168. scribendum proposuit: *sed mentibus haeret.* Verum ista loci interpretandi ratio, a multis inita, quantum claudicaret, pervidit jam Torrentius. Naevii enim carmina si illo tempore jam perierant neque in Romanorum manibus erant, quo tandem pacto in ludis dictari et a pueris edisci poterant? *Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον!* Si quid mutandum, satius erit cum aliis legi: *Naevius in manibus nunc est.* Nam Horatius h. l. aequales, qui haud dubie Naevium, ut Cicero in Brut. c. 19., admirarentur eique honorem et praemia poscerent (v. 78.), urbane perstringit. Id quum sensisset Bentlejus, „*Hi motus*, inquit, *et hae tantae discordiae* (interpretum) *levi pulveris sparsione conquiescent*," et, ut nos fecimus, interrogandi posuit signum, quod a Fea rursus sublatum jure reprehendit Bothius in Adnotatt. p. 193. Neque tamen Fea h. l. dormitavit, ut Bothius ait, sed occaecatus solita sua cupiditate in illum Criticorum principem, cui usque quaque fere nugas et ineptias objicit, verum videre noluit. Ridicula est ejus contra Bentlejum ratio, qua negat, ex toto contextu ullum animi motum, quo Horatius correptus haec enunciet, comparere. Neque vero Bentlejus invenit hic affectum aliquem poetae, quem ridendo verum dicere noverat, sed perspexit ironiam per singula totius loci membra fusam, cui, posito interrogandi signo, insignis facta est accessio. Sanadonus, quem secutus est Dorighello, edidit h. l.: *Naevius in manibus non est? Non mentibus haeret Paene recens? adeo sanctum est vetus omne poema!* Sed anaphora, invitis praeterquam Codicibus textui illata, parum hic placet. Jahnius, ut par erat, Bentleji pressit vestigia. Haud raro autem *non* pro *nonne* fraudi fuit Interpretibus: vid. Passow ad Persii Sat. I. p. 277. cl. Ruperti in Not. Crit. ad Juvenal. Sat. XIII. v. 28. et V. D. in Seebodii Biblioth. Crit. 1826. p. 1238.

fabulas in scholis esse enarratas. Sed quidquid ejus rei est, id profecto in confesso est, nullum veteris Latii poetam hac in caussa potuisse aptius memorari, quam Livium Andronicum, Artis Poeticae in Italia auctorem ac veluti antesignanum.

§. 4.

Quamvis igitur jam ex his, quae via et ratione progressi de hujus Epistolae fine et consilio disputavimus, certum sit, nemini nisi Livio Andronico hic concedendum esse locum; tamen operae pretium me facturum arbitror, si illud quoque, quod contra Bentleji disputationem ex Laevii aetate carminumque ejus indole repeti potest, argumentum paullo fusius tractavero, praesertim quum nullus, quantum equidem sciam, Horatii Editorum, Bentlejo vel assentientium vel dissentientium, huic rei curae quid ac studii tribuerit. Scilicet haec quaestio ejusmodi est, ut praeter eas, quas in universum Fragmentorum vett. Scriptorum collectio et interpretatio secum fert, peculiares quasdam habeat difficultates, et, qui de hujus poetae aetate et reliquiis scripturus est, lubricam admodum et salebrosam ingrediatur viam. Quum enim Laevii nomen et laus in ipsa antiquitate obscurior fuisse videatur, factum est, ut in plurimis scriptorum operibus, in quibus injecta esset ejus mentio, librariorum inscitia et stupore *Laevii* nomen aut prorsus deleretur, aut cum aliorum idque nobiliorum poetarum nominibus, litterarum ductum si spectas inter se similibus, confunderetur ejusque carminum fragmenta vel *Livio Andronico* vel *Novio* vel *Naevio* [8]) adeoque *Pacuvio* adscri-

8) Hanc perpetuam fere nominum *Livii*, *Laevii*, *Naevii*, *Novii* aliorumque commutationem notarunt jam alii, v. c. G. I. Vossius in Castigatt. et Nott. in Fragm. Livii etc. Opp. T. IV. p. 102. I. G. Schneiderus in Epist. ad Langerum praef. Ciceronis Bruto Wetzeliano p. XVIII. Hermannus in Dissert. d. R. Bentlejo ejusque edit. Terentii (Lips. 1819. 4.) p. 17. et A. G. Langius in Vindic. Tragoed. Rom. p. 10. No. 11., qui de hac permolesta nominum confusione merito conquestus acutissime hanc constituit legem, qua, ubi de hexametris versibus sermo sit, non *Livii*, ubi de tragicis, neque *Novii* neque *Laevii* nomen poni liceat, nisi ubi ipsum scriptorem errasse putes: cujus quidem erroris mirificum infra proferemus exemplum. Ita etiam Codd. Suetonii inter lect. *Laeviorum* et *Leviorum* pro *Liviorum* variant, notante Oudendorpio ad Tiber. c. 3. p. 351.

berentur. Quid? quod librariorum oscitantia apud Apulejum, ut videbimus, pro *Laevio* substituit *Laelium*, et novum prorsus Latioque incognitum produxit poetam, quem L. Gyraldus Histor. d. Poet. Dial. IV. p. 141. Opp. Basil. 1580., Salmasius ad Solini Polyh. c. 45. p. 661. itemque Glandorpius in Onom. p. 516. poetarum Latinorum ordine et numero recipere non dubitarunt, merito inde expulsum a G. I. Vossio d. Poet. Lat. Cap. VIII. p. 258. Opp. T. III.

§. 5.

Jam quaerentibus nobis de tempore, quo Laevius vixerit, quum sileant veteres scriptores, cuncta desunt testimonia, ita ut nihil certi hac in caussa possit pronuntiari, adeoque nuper Laurent. Santenius ad Terentianum M. p. 233. non multum abfuerit, quin, fueritne unquam poeta Romanus, Laevii nomine, prorsus dubitaret. G. I. Vossius de Poet. Lat. C. VIII. p. 258. Opp. T. III. Laevium nostrum inter eos recenset, de quorum aetate nihil constet, nisi vixisse eos ante Caroli Magni tempora. Quam laxam et propemodum ridiculam temporis notationem equidem nihil dubito angustioribus inclusam finibus ita restringere, Laevium ut ante Christum natum floruisse eumque Hortensii et Ciceronis aequalem, et Lucretio et Catullo aliquot lustris majorem fuisse contendam [9]). Itaque praeter eos, quos memoravi, viros eidem tempori suppares fuerunt non ita multis dirempti aetatis gradibus P. Terentius Varro Atacinus, C. Helvius Cinna, C. Memmius cognomine Gemellus et C. Licinius Calvus, in sui quisque suscepti operis forma

9) Quo melius intelligantur, quae de Laevii aetate disputabimus, juvat brevi in conspectu ponere eorum, quos memoravi, virorum natales, ex Varronis aera descriptos. *Hortensius* quum, teste Cicerone in Brut. c. 64. undeviginti annos natus L. Licinio Crasso, Q. Mucio Scaevola Coss. i. e. a. U. C. 659. primum in foro dixerit, sequitur, natum eum esse a. U. C. 640. a. Chr. n. 114. et *Ciceronem*, octo annis Hortensio minorem, ut ipse in Brut. l. c. ait, primam lucem vidisse a. U. C. 648. a. Chr. n. 106. Q. Servilio Caepione, C. Atilio Serrano Coss. satis constat. *Lucretius* vero in lucem est editus a. U. C. 659. a. Chr. n. 95. vel, ut Eichstadtio in Proleg. ad Lucret. p. LV. videtur, anno demum sequente, qui est Olymp. CLXXI. 2., quo natum eum tradit Eusebius. Denique *Catulli* natales idem Eusebius assignat Olymp. CLXXIII. anno 2. i. e. a. U. C. 667. a. Chr. n. 87., quo anno L. Cornelius Sulla, Cn. Octavius Consules erant.

excellentiores, quam Laevius, cujus nomini fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxerunt.

Quamquam haec, quae diximus, non disertis scriptorum testimoniis confirmantur; tamen in promptu sunt argumenta, quibus nostram de Laevii aetate conjecturam exornemus eique, si non veritatis fidem, certe verisimilitudinis speciem et commendationem conciliemus.

Et primum quidem Ausonius in Parecbasi, Centoni Nuptiali praefixa, qua se de poematum suorum petulantia excusat, eamque probatissimi Plinii, cui in poematis lasciviam, in moribus censuram constitisse ait, aliorumque antiquitatis virorum exemplis tuetur, ita pergit p. 517. ed. Toll. *Nam quid Anniani Fescenninos? quid antiquissimi poetae Laevii Erotopaegniῶν libros loquar? Quid Evenum, quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vita est et laeta materia* [10]). Quo in loco etiamsi quis ambiguma v. *antiquissimi* vim et usum latissime patentem velit calumniari, tamen nobis dabit negantibus, Laevium ab Ausonio dici potuisse antiquissimum, nisi ante Augusti principatum vixisset: vid. quae dixi in *Comment. d. C. Licinio Calvo* Not. 11. Neque huic sententiae obstat praemissa Anniani mentio, quem sub Trajano et Hadriano floruisse et A. Gellii aequalem fuisse patet ex Noct. Att. Lib. XX. c. 8. cl. VII. 7. [11]) Manifesta enim in hoc loco inest gradatio,

---

10) Sicut nullus est locorum, quos ex vett. Scriptt. pro testimonio in medium deinceps proferemus, in quo *Laevii* nomen intactum a librariis manserit; ita etiam in hoc Ausonii loco olim *Livii* legebatur, defensum ab Elia Vineto, nihil dubitante, *Livium Andronicum* facere auctorem Erotopaegnion, quorum reliquias et, qui in eis est, sermonem si attendisset, non dubium est, quin suam mutasset sententiam. Recte vero Hadr. Junius Animadvers. Lib. VI. c. 13. Jos. Scaliger Ausoniar. Lectt. Lib. II. c. 27. (vid. Auson. ed. Toll. p. 517.) et P. Scriverius ad Baudii Amores p. 414 sqq. *Laevii* pro *Livii* reposuerunt ac defenderunt.

11) De *Anniano*, Fescenninorum scriptore, egit G. I. Vossius d. P. L. c. 4. p. 247. Opp. T. III. et L. Santenius a Terentiani M. v. 1817. *Atque ille poeta Phaliscus Cum ludicra carmina pangit:* nomine *Phalisci* poetae *Annianum* designari existimavit p. 319. assentiente ibidem in Addend. p. 438. eruditissimo Lennepio. Idem Santenius ad Terentian. v. 1998. p. 333 sq. metrum Phaliscum, quod tribus dactylis et pyrrhichio constat, et cujus inventorem vulgo faciunt A. Septimium Serenum (vid. Wernsdorf. P. L. M. T. II. p. 248.) ab Anniano nomen invenisse censuit. Mihi non-

quae dicitur, qua usus Ausonius ita fere argumentatur: nolo memorare Annianum; quid? quod antiquissimus poeta Laevius lascivioris argumenti libros scripsit; et ita a novissimo exorsus tempore ad veteres Graeciae comicos per gradus ascendit. Porro huc pertinet Gellius N. A. Lib. XIX. c. 9., apud quem Graeculi, lacessentes in convivio Antonium Julianum rhetorem, florentis hominem facundiae et rerum litterarumque veterum peritum, percontantur, quid de Anacreonte sentiret, et ecquis Romanorum poetarum tam fluentes carminum delicias fecisset, nisi forte Catullus pauca et Calvus itidem pauca? *Nam Laevius*, inquiunt, *implicata, et Hortensius invenusta, et Cinna illepida, et Memmius dura, ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona* [12]). Hoc Graeculorum de Latinis poetis judicium jam examinatum est a me in *Comment. d. C. Helvio Cinna* cap. II. §. 2.; sed in definienda Laevii aetate quam habeat vim, id nunc erit videndum. Tametsi me nequaquam praeterit, Laevium, Hortensium, Cinnam et Memmium [13]) hoc in loco non tam aetatis, qua vixerint, quam similium, quae ab iis scripta fuerint, carminum ratione habita componi et ordinari, tamen aut egregie fallor aut eo, quo enumerati sunt, ordine id efficitur, ut, quum Hortensius, Cinna, Memmius ante Augusti imperium floruerint, pro certo ponere possimus, Laevium illis non fuisse ordine praepositum, si Augusto demum imperante aut etiam serius vixisset, eumque, quum in recensendis caeteris ordo quidam a Gellio sit observatus, triumviris illis vitae annis antecessisse. Quum Laevius propter lyrica,

---

dum, fateor, de Ausiano Phalisco liquet, etsi, quae inde de Terentiani aetate nascebatur difficultas, egregie remota est a Santenio in Praefat. p. VI.

12) Pro *Laevius* editt. vett. *Naevius*. I. Fr. Gronovius in edit. Lugd. B. 1687. *Levius*, ut Fea in Porphyr. Ms. bis invenit *Levium* ad Horat. Epist. II, 1, 69. Cod. Guelferb. *lenius*, si fides est Lioni. I. L. Conradi recte *Laevius* edidit, ut semper se ap. Gellium scriptum invenisse testatur Scaliger ad Ausonium l. c. cf. Osanni Anal. Crit. p. 53.

13) Intelligendus haud dubie est C. Memmius Gemellus, cui Lucretius carmen suum de Rerum Natura inscripsit et de quo copiose et docte disputavit *A. Forbiger* in *Comment. d. T. Lucretii Cari Carmine* (Lips. 1824. 8.) p. 18. N. 11.

quae scripserat, carmina, hic memoratus sit, facere non possum, quin statim aliud quamvis leve atque incertum de eo testimonium subjiciam. Ad Horatii Lib. III. od. I. v. 2. *carmina non prius audita* adnotavit Acron p. 107. ed. Basil. 1550. *a Romanis supple: quamvis Bebius Lyrica carmina ante Horatium scripserit, ut illa non plenum* (sic!) *et exacte facta monstraret.* Porphyrion ibid. p. 108. *Romanis utique non prius audita, quamvis Bebius Lyrica ante Horatium scripserit, sed videtur* (leg. *videntur*) *non illa Graecorum lege ad Lyricum characterem exacta.* Denique Schol. Cruq. p. 139. *Quamvis enim Lesbius Poeta ante Horatium scripserit lyrica carmina, ea non erant Latina, sed Graeca.* In Auctario autem Schol. Cruq. p. 690. illud scholion ita editum legitur, ut verbo tenus cum Porphyrionis adnotatione conspiret, nisi quod *Livius* pro *Bebius* scriptum invenitur. Hujus Scholiastae auctoritate innixus Wernsdorfius in P. L. M. Dissert. p. XXIX. Livium Andronicum inter lyricos Latii poetas recepit. Sed fallitur et doctissimi viri diligentiam fugit, Scaligerum ad Auson. l. c. in Horat. Scholiastae Commentario scribendum censuisse *Laevius*: qua correctione nihil mihi videtur certius. Hoc qualecumque Scholiastarum de Laevio testimonium quantum suffragetur nostrae de illius aetate sententiae, patet. Sed tamen gravissimum pondus ei adjicit legis Liciniae mentio ab ipso Laevio in Erotopaegniis facta, teste Gellio N. A. Lib. II. c. 24. vid. Fragm. VI. Atque illius Fragmenti verba si quis attente et sine praejudicata opinione consideraverit, lubenter, credo, in meam transibit sententiam, qua istos versus, quibus severitas sumptuariae illius legis coenarum expensam ad carnis aridae pondo tria et ad fructus vitium arborumve restringentis facete carpitur, eo ipso a Laevio scriptos esse suspicor anno, quo lex illa Licinia perlata sit. Quae cum, ut infra docebimus, an. U. C. 657. sit promulgata; consequitur, Laevium illo tempore floruisse et, quod supra posui, Hortensii et Ciceronis fuisse aequalem. Quae hactenus a nobis disputata sunt, ea denique mirifice etiam adjuvantur partim orationis, quam in Fragmentis depre-

hendimus, forma atque indole, partim carminum, quae scripsit, generibus et argumentis eorumque tractandorum ratione. Quod enim in *Comment. d. C. Licinio Calvo* §. 6. tamquam proprium illius aevi poetis in formanda oratione descripsi studium, id quis est quin agnoscat quoque in Laevii Reliquiis, paucis illis quidem et admodum corruptis, sed tamen ita servatis, ut genuinus iste ac veluti nativus durae et frequenti Deminutivorum usu fractae orationis color remanserit, et, ἀποσπασμάτια illa in cujus aetatis sint habenda proventu, facile intelligas. Atque res et argumenta, quae versibus tractanda sumpsit, non magis nostrae de ejus aetate sententiae repugnant, quam poematum genera. Nam quantum ex residuis eorum titulis et fragmentis colligere licet, ille plerumque res ludicras et amatorias versibus exposuit, et, si quando gravius et sublimius elegisset argumentum, id, ut Fragmenta nos docebunt, ita tractavit, ut, quemadmodum Martialis Lib. VIII. ep. 3. 13. ait, ad tragicos cothurnos soccum transferret. Jam in his, ad quae tuenda non veremur ne quidquam temere sumpsisse videamur, quamvis maximam partem in conjecturis, veri tamen similibus, sint posita, acquiescendum nobis est: nam de Laevii patria et parentibus, de vita ejus publica et privata et de anno, quo natus sit et mortuus, nihil usquam memoriae proditum invenimus. Quod tamen scriptorum silentium tantum abest, ut perinde interpreter, ac si Laevio nostro idem contigerit, quod Homero aliisque antiquitatis vatibus, natalium suorum obscuritate divinitatem quandam assecutis, obtigisse constat, illud ut unice ex eo repetendum dicam, quod Laevius e proletariis poetis, quorum inde a Punico bello secundo Roma sat magnum tulit proventum, numquam ullo ingenii opere emersus ad aliquam nominis celebritatem et gratiam apud aequales, nedum apud posteros ad solidam pervenerit gloriam et honorem. Id enim si factum fuisset, vix mihi dubium est, quin Laevii carmina, ob argumenti gratiam Romanis commendabilia, tot Romae invenissent lectores et admiratores, quot Catulli et Calvi poematis obtigisse vidimus, et ab Hermogene Tigellio, Demetrio aliisque id genus homini-

bus cantata Horatio, hujuscemodi deliciarum ac venerum osori, passim in Sermonibus et carpendi et ludificandi dedissent materiam.

Quae cum ita sint, nemo, opinor, erit, quin intelligat, quam alienum ab omni sit verisimilitudine, Orbilium, morosum illum et antiquae disciplinae amantissimum Grammaticum, in scholis Laevii, aequalis itemque mali et ignobilis poetae, carmina pueris dictasse, ut nihil de eorum argumento dicam, quod ego contra, ac Bentlejus judicat, abhorruisse arbitror ab Orbiliana disciplina, in qua Horatio puero contigit *Romae nutriri atque doceri, iratus Grajis quantum nocuisset Achilles*, ut ipse Epist. II. 2. v. 41. ait [14]).

---

14) Quum Bentlejus Laevii Erotopaegnia eorumque argumentum captandis pueris magis accommodatum fuisse dicit, ideoque praelecta ea esse in scholis ab Orbilio et enarrata verisimilius existimat, quam opica Livii Andronici carmina, vereor, ne cum bonorum omnium illius aevi Romanorum, tum inprimis Orbilii Manibus fiat injuria, quem non magis puto ejusmodi carminum delicias et poetillarum amores pueris dictasse, quam docuisse eos longis rationibus assem in partes centum diducere, ut verbis Horatii A. P. v. 325 utar. Cujus quidem rei testis est ipse Poeta Sat. I, 6, 7 sq. de suo professus patre: *qui macro pauper agello Noluit in Flavi ludum me mittere, magni Quo pueri magnis e centurionibus orti, Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto, Ibant octonis referentes Idibus aera; Sed puerum est ausus Romam portare docendum Artes, quas doceat quivis eques atque Senator Semet prognatos.* Atque, qui supra ex secunda Epistola Libri II. a me allatus est locus, documento est, Orbilium puerorum institutionem ab Homeri lectione esse auspicatum, ut mature animus heroici carminis sublimitate assurgeret et ex magnitudine rerum duceret spiritus. Neque hoc praeclare institutum serius refrixisse diserte testantur Plinius Epist. Lib. II. 14. §. 2., Quintilianus I. Or. Lib. I. c. 8. §. 5. T. I. p. 194. Sp. et, quem nuper Niebuhrius, ut ex Fr. Th. Welckeri Judic. d. Philostratis p. LIX sq. ed. Jacobs intellexi, medio fere seculo tertio p. Chr. n. vindicavit, Petronius Sat. c. 5., ad q. l. si Burmannus T. I. p. 32. ex Ovidii Trist. II. 269. *Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri: Et solet hic pueris virginibusque legi:* colligit, Menandri fabulas in scholis praelectas esse pueris, ea quidem in sententia praeeuntem sibi habuit Valesium in Emendatt. Lib. II. c. 6. p. 54. et assentientem Harlesium ad Fabricii Bibl. Gr. Vol. II. p. 455. Equidem vero prorsus suffragor eruditissimo Meinekio, qui in Menandr. et Philem. Reliq. p. XXIX. verissime monet, ex Ovidii loco nihil aliud sequi, nisi Menandri fabulas a pueris et virginibus summo cum studio esse lectitatas. Jam si ne Menandrum quidem, illum *παιδρὸν ἑταῖρον Ἔρωτος, Σειρῆνα θεάτρων*, (vid. Br. Anal. N. DLXII. III. 269. T. IV. p. 235. Lips.) in ludis juventuti praelectum esse certo constat; quis credat, Orbilium, severioris naturae magistrum, Horatio ejusque commilitonibus dictasse Laevii Erotopaegniῶν libros, petulantia quadam et amorum lusibus deliciisque diffluentes?

§. 6.

Inter ejus carmina potiori caeteris loco habendum esse videtur illud, quod de poetarum Graecorum more, quem ad Fragm. V. illustrabimus, Graeco nomine *Ἐρωτοπαιγνίων* s. Erotopaegnion inscripsit. Cujus tituli et inscriptionis num habuerit, quem sequeretur, auctorem Graecum, me praeterit, siquidem ex Graeca antiquitate mihi nemo innotuit, qui *Ἐρωτοπαίγνια* scripserit. Philetas Cous composuisse fertur *Παίγνια*, ex quibus aliquot fragmenta reperiuntur: vide Kayser in Phil. C. Fragm. p. 46. Athenaeus Lib. XIV. c. 9. p. 638. C. T. V. p. 316. Schw. meminit Gnesippi cujusdam *παιγνιαγράφου τῆς ἱλαρᾶς μούσης*, et Lib. VII. c. 20. p. 322. C. T. III. p. 181. Schw. memorat Mnaseam Locrum aut Colophonium *συντάξάμενον τὰ ἐπιγραφόμενα Παίγνια*, quem, ut pergit, *διὰ τὸ ποικίλον τῆς συναγωγῆς Σάλπην οἱ συνήθεις προσηγόρευον*. Hujus igitur Mnaseae *παίγνια* fuere varii argumenti, ita ut ipse apud familiares ideo piscis, diversi coloris distincti maculis, qui Graecis *σάλπη* dicitur (vid. Schneider. ad Aristotelis Hist. An. Lib. VIII. c. 4. T. III. p. 576.) nomen inveniret. Hujuscemodi autem *Παιγνίων* inventor perhibebatur, teste Alcimo ap. Athenaeum l. c., Botrys, Messana Siciliae urbe oriundus, cujus etiam meminerat, auctore Polybio Lib. XII. c. 13. T. III. p. 406., Timaeus, qui Democharem, oratorem Atheniensem molliore et remissiore usum dicendi genere, ut ait Cicero d. Orat. Lib. II. c. 23. ibiq. Müller p. 251., calumniatus scripserat, eum impudicum et impurum *ὑπερβεβηκέναι τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὰ Βότρυος ὑπομνήματα καὶ τὰ Φιλαινίδος, καὶ τῶν ἄλλων ἀναισχυντογράφων*. Quae quidem Botrys *ὑπομνήματα* pariter ac Mnaseae *παίγνια* pedestri sine dubio composita erant oratione; sed memorantur etiam *παίγνια δι' ἐπῶν*, quae versibus scripsit Homerus cognomine Sellius sive Sillius, poeta et grammaticus Menandro comico junior, teste Suida T. II. p. 690 et T. III. p. 297. quem posteriorem Suidae locum felici acumine emaculavit Meinekius in Menandr. et Philem. Reliq. p. XXXIV. Neque hic omittendus est Anaxilaus Larissaeus,

Philosophus et Thaumaturgus, qui, Augusto imperante, *Παίγνια* non tam philosophici quam magici argumenti scripsit: vid. Vossius Orig. Idololatr. I. 6. p. 45. et Le Clerc Hist. de Médecine P. III. Libr. I. c. 1. p. 561 sq.

Jam sicut haec Graecorum scripta, *παιγνίων* nomine dicta, in confesso est fuisse ludicri mollisque argumenti ac petulantiae adeoque plena obscenitatis; ita Laevii Erotopaegnia nullam habent dubitationem, quin amatorios potissimum complexa sint lusus, in quibus an vitanda verborum turpitudine rerumque obscenitate ingenuitatem praestiterit ac pudorem liberali dignum homine, id quidem ob testium penuriam et Fragmentorum, quae supersunt, paucitatem definiri nequit. Quidquid vero ejus rei est, id omnium certissimum est, hanc operis *Ἐρωτοπαιγνίων* inscriptionem, sive mutuatam ab aliis, sive ab ipso Laevio factam, et veram esse, et rei accommodatissimam. Quapropter nescio quid in mentem venerit Mosellano, qui ap. Ausonium l. c. *Κροτοπαιγνίων* libros, voce *ἀπὸ τοῦ κρότου* i. e. plausu, formata, legi maluit, notatus jam eo nomine a Glandorpio in Onom. p. 516. et Scriverio ad Baudii Amores (Amstelod. 1638.) p. 413.

Haec Laevii Erotopaegnia fuerintne leves iique breviores ingenii lusus et de amoribus nugae, cujusmodi a Catullo, Calvo, Cinna aliisque scriptas esse constat, an rerum amatoriarum et ludicrarum fabulae et narrationes uno quodam tenore ac nexu versibus expositae, id quidem in tanta Fragmentorum paucitate valde est ambiguum. Nam etsi Laevius ap. Gellium N. Attic. Lib. XIX. c. 9. cum illis, quos modo dixi, poetis, facta contentione, componitur, ejusque carmina *implicata* neque ullo pacto cum fluentibus Teii poetae deliciis comparanda censentur, tamen, quum Erotopaegnia in plures Libros, quorum sextus, ut videbimus, a Grammaticis memoratur, fuerint divisa, facile quis induci potest, ea ut longiore ambitu et argumenti perpetuitate quadam metrique similitudine contexta fuisse credat. Sed quum praeter hoc Erotopaegnion opus etiam alia memorentur Laevii carmina, maximam partem eodem, quo illa, conscripta metro, quae tamen dubium est, Tragoe-

diisne accensenda sint an Comoediis, multo est verisimilius, Laevianorum Erotopaegnion hanc fuisse rationem ac veluti descriptionem, ut singulus quisque illius operis liber Syllogen breviorum complecteretur poematum, quae Laevius ipse, seu rerum tractatarum seu numerorum habita ratione, in unius corporis speciem conjuncta *Libri* nomine in lucem ediderit. Nam Romani sicut opus poeticum, in quo esset unius ejusdemque argumenti perpetuitas, eminentiori sensu *carmen* appellare consueverant, ut Martialis Lib. XIV. ep. 192. de Ovidii Metamorphoseon in membranis opere: *Haec tibi, multiplici quae structa est massa tabella, Carmina Nasonis quinque decemque gerit:* quod opus ipse Sulmonensis poeta *perpetuum carmen* nominaverat; ita diversorum idque breviorum poematum collectionem sive corpus *Libri* nomine insigniverunt. Hinc Horatius de undeviginti ad diversos homines epistolis junctim editis Epist. Lib. I. 20, 1, scripsit: *Vertumnum Janumque, Liber, spectare videris, Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.* cf. Passow ad Persii Sat. I. p. 188 sq. et Santenius ad Terentian. M. v. 1983. p. 333. Passim *carmen* in specie de lyricis, ut Horat. Epist. II. 2. v. 59.

Jam illis Erotopaegnion poematiis, in uno conjunctis et evulgatis volumine, quum haud dubie vel singulis vel toti libro proprium quoddam nomen et titulum praefixisset sive ipse Laevius seu ejus aequales, accidit, ut essent Viri Docti, a quibus Laevii Adonis, Alcestis, Ino, Protesilaodamia aliaque, quae a Grammaticis passim allegantur, poemata pro Tragoediis Comoediisve haberentur, eaque, quum tanta operum dramaticorum copia in Laeviani nominis obscuritatem et ignobilitatem cadere non videretur, partim Livio Andronico partim Naevio, ipsis Codicibus Mss. refragantibus, certatim adscriberentur. Verum enim vero, re accuratius pensitata, mihi vix dubium est, quin illa omnia nil nisi unius alicujus librorum, in quos distributa essent Erotopaegnia, partes vel majores vel fortasse potiores pulchrioresque fuerint, a Grammaticis proprio illo nomine pariter citatae, ac lepidissimum illum Catulli lusum

de Lesbiae Passere, tamquam singulare Veronensis poetae opus, cum quadam excellentia laudavit Martialis Lib. I. ep. 8. IV. ep. 14. Sed haec, quae strictim hic disputavi, suo loco copiosius persequar et confirmabo. Atque de uno itemque altero illorum, quae memoravi, poematum, jam ante me fuerunt, qui idem suspicarentur Viri Docti. Ita Osannus in Anal. Crit. p. 54. Protesilaodamiae nomine inscriptum fuisse putat aliquem librum ex Erotopaegnion opere, quoniam, qui ex illo poemate ferantur, versus, jambicis dimetris scripti sint, quibus Erotopaegnia composita fuisse, contestentur, quae supersint, Fragmenta fere omnia. Atque G. I. Vossius, etsi in Castigatt. et Not. in Trag. vett. Fragm. p. 1. scripserat: „*In Prisciano meo Msto, sane optimae notae, disertim Laevio tribuitur* (n. Fragment. ex Adone ap. Priscian. Lib. VI. c. 16. p. 278. Kr.). *Et videntur Stephani duo similiter in codd. suis invenisse, quando fragmenti hujus in Collectione sua non meminerunt*;“ tamen hoc fragmentum Livio Andronico tribuit, eumque nuper secutus est Bothius. Sed idem Vossius, mutata posthac sententia, in margine libri haec adnotavit: „*Fuit vero Laevius Ἐρωτοπαιγνίων poeta. Sed nomen ejus nunc corruptum est in* Laelius, *ut apud Apulejum in Apologia, nunc in* Livius, *ut apud Grammaticos saepe. Quae ex Erotopaegniis citant, sunt versus jambici dimetri, qualis et hic ex Adonide. Et verisimile est in Erotopaegniis fuisse carmen, quod Adonis inscriberetur.*“ Haec mihi innotuerunt ex Biblioth. Crit. Nov. Vol. II. p. 32 sq. (Lugd. Bat. 1826.)

In hac virorum doctissimorum sententia illud unum me offendit, quod, quo, tamquam fundamento, eam superstruxerunt, argumentum, a versuum similitudine repetitum, incertum sit et nimis vagum, siquidem, illam rationem et judicii normam si in tractandis veterum poetarum Fragmentis sequi placeat, non habeas, quo pedem certo figas. Nihil dicam, inveniri etiam inter Erotopaegnion fragmenta, quae sine violenta medela ad illud metri genus redigi nequeant, ut Fragm. III. et §. 8. II., quibus usus Lennepius ad Terentian. M. v. 1637. p. 433. Osanni sententiam la-

befactare frustra studuit, quandoquidem illa misere corrupta ac mutilata sunt. Sed, quod inprimis magni hac in caussa est momenti, nequaquam opus fuit, ut hujusmodi poematia, in uno collecta *libro* et publici juris facta, uno eodemque composita essent metro: ut docet nos ipse Catullus, qui poematum diversis versuum generibus scriptorum Syllogen Cornelio Nepoti ita inscripsit Carm. I. 1. *Quoi dono lepidum novum libellum Arida modo pumice expolitum?* Quare metri diversitas, quae in uno aut altero illorum, quae nominatim supra attuli, poematum fragmento utique reperitur, non erit impedimento, quo minus illa, accedentibus praesertim aliis caussis, pro partibus ac veluti membris totius, quod Erotopaegnion nomine celebratur, corporis habeamus. Denique meae de Laevianorum Erotopaegnion libris sententiae quantum commendationis et adjumenti accedat ipsa operis inscriptione, quae, si quid judico, a perpetuo, quod dicitur, carmine prorsus aliena erat, non opus est, ut pluribus demonstrem.

Jam haec si vera sunt, non mirabimur, qui fieri potuerit, ut Laevii Erotopaegnia, quae ap. Gellium l. c. procul dubio intelligenda sunt, a Graeculis istis cum Anacreonteis compararentur odariis: in qua contentione manifestum est, non tam illorum poematum argumentum et materiam, quam eorum formam habitumque respici. Nam, dum illi Anacreonti *fluentes delicias* tribuunt, orationem significant, quae, ut verba Quintiliani I. Or. Lib. I. 1. §. 37. mea faciam, non versus affectatae difficultatis ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et veluti confragosos volvat, sed quae vincta molli et concinna verborum collocatione et numero, tamquam sedatus amnis, prono alveo et sine salebris decurrat; cui opponitur *implicata* Laevii oratio, quae sine vocum et modulorum suavitate aspera est et hiulca neque, ut Salejus Bassus in Pison. v. 62. ait, verba dulcia liquidoque fluentia cursu devolvit [15]). Quod quidem judicium quam verum justum-

15) Facit huc locus Plinii Epist. Lib. V. 17. §. 2. in qua Spurinnae suo nuntiat, se fuisse in auditorio Calpurnii Pisonis, et ita pergit: „*Ile-*

que fuerit, vel pauculae istae, quae aetatem tulere, Erotopaegnion reliquiae, quamvis mutilatae, satis superque testantur: quas hic primum collectas dabo et ita recensebo, ut I.) ea ponam Fragmenta, quae disertis Grammaticorum testimoniis ex isto Laevii opere desumpta sunt; II.) quae probabili Virorum Doctorum sententia eidem accensentur; III.) quae ego, singulari licet nomine a Grammaticis allegata, ejusdem tamen operis fuisse suspicor.

§. 7.

Quae disertis Grammaticorum testimoniis ex Laevii Erotopaegniis sumpta sunt Fragmenta, haec sunt:

I. Nonius s. v. *hostire* p. 121, 17. ed. Paris. 1614. — „Pacuvius Erotopaegnion Lib. II.

Hunc quod meum admissum nocens
Hostit voluntatem tuam.“

Hoc fragmentum inter Pacuvii reliquias habet H. Stephanus in Fragm. vett. Poet. Lat. p. 244. et *amissum* pro *admissum* legit. Sed Mercerus p. 125. *Pacuvio* recte substitui jubet *Laevium:* errore procul dubio inde orto, quod in Nonio proxime antecedit mentio Pacuvii, cui, post El. Vinetum, notatum jam a P. Scriverio ad Baudii Amor. p. 416., Erotopaegnia cum alii tribuerunt, tum etiam Gierigius ad Plin. l. c. N. 15.

---

citabat 'Ερωτοπαίγνιον, eruditam sane luculentamque materiam. Scripta elegis erat fluentibus, et teneris, et enodibus, sublimibus etiam, ut popposcit locus. Apte enim, et varie nunc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, severa jucundis mutabat: omnia ingenio pari. Pro *ἐρωτοπαίγνιον* ex Ms. Med. Aldus edidit *καταστερισμῶν*, quod inprimis a Gesnero defensum retinuerunt, quod sciam, omnes nostrae memoriae Editores. Sed quae lectionum monstra in aliis Codd. Mss. Voss. Helmst. et Editt. vett. *tacte pigmon*, Palat. *tacta pigmon*, Arntz. *tacte pignion*, Oxon. *tacte pingi non*, Edit. Rom. 1490 *apte πτινίον* inveniuntur, ea tantum abest, ut Aldi lectionem confirment, ut pro Vulg. *ἐρωτοπαίγνιον*, quam Catan. Gruter. Steph. Cellar. Cortius tuiti sunt, pugnent. Post Gesnerum Gierigius, vacillante judicio in utramque lectionem commentatus, defendit *καταστερισμῶν*, quos haud scio an majori jure Calpurnio Pisoni abjudicandos censeam, quam ab Eratosthene Catasterismos scriptos esse nuper negavit G. Bernhardy in Eratosthen. (Berolini 1822.) p. 114. Erotopaegnia enim Calp. Pisonis si composita erant ad exemplum Antimachi in Lyden elegiarum, quidni eorum materiam dixerit Plinius *eruditam* et *luculentam?* Quare, dum meliora Codd. Mss. praebeant, mihi lectio *ἐρωτοπαίγνιον* praeferenda videtur, ut quae Codd. Mss. auctoritate magis stabiliatur, quam Aldi lectio.

II. Priscianus Lib. IX. p. 869. ed. Putsch. — „A decresco quoque decretum Livius protulit in III. Erotopaegnion:

Nocte dieque decretum et auctum.“

ubi Krehlius IX. c. 9. §. 49. T. I. p. 464. „*Vulgo* Livius, *cujus nomen perperam huic operi praefigi jamdudum docuerunt viri docti. Cupidissime igitur arripui, quod Ms. Erl.* 2. *dabat* Laevius.“ H. Stephanus p. 146. hoc fragmentum Livio Andronico adscripsit.

III. Priscianus Lib. XI. p. 922. P. — „Et memini, meminens. Livius Erotopaegnion IV.

Meminens Varro corde volutat.“

Idem fragmentum inter Liviana habet H. Stephanus p. 146. Et, teste Hofm. Peerlkampio V. Cl. in Bibliothec. Crit. Nov. Vol. II. p. 33., Jan. Douza in Observatt. Mss. ad H. Stephani Fragm. V. P. haec adnotavit: „meminens Varro, *non esse Livii Andronici, sed Varronis exemplum, cujus nomen interjectum fuerit a Prisciano, eum citante.*“ Haec Douzae conjectura patrocinatur sententiae Lennepii negantis Erotopaegnia Laevii scripta esse jambicis dimetris: vid. §. 6. Sed, quantum meminerim, M. Terentio Varroni, viro illi Romanorum doctissimo et *πολυγραφωτάτῳ*, nusquam Erotopaegnion opus tribuitur. Recte Krehlius ex Codd. Erl. 1. 2. pro *Livius* reposuit *Laevius* in Prisciano T. I. p. 528.: id quod jam antea suaserat Osannus in Anal. Crit. p. 53., qui praeterea ex h. Prisciani loco corrigendum putat Sergium in Donatum p. 1853. P. ubi: „*Nam invenimus in Plauto meminens;* quam Participii formam in Plauti fabulis, quae quidem hodie supersint, frustra quaeri ait Osannus. Recte; Sergius enim, Priscianum oscitanter exscribens, oculis aberravit ad Plauti nomen proxime antecedens. Nomen *Laevii* in hoc Prisciani loco agnovit etiam C. L. Struve *Ueb. Lat. Declin. u. Conj.* p. 289.

IV. Priscianus Lib. X. p. 903. — „Flecto vero flexi facit et plecto plexi, antique Livius in VI. Erotopaegnion: *Andromache perdudum manu lascivula ac tenellula, capiti meo trepidans, libens insolito plexit munere.*“

Ita Putschius edidit haec verba, quae, praeeunte Grotio, G. I. Vossius d. Art. G. s. de Analogia Lib. III. c. 31. p. 1313. T. II. Opp. ita digessit et, suadente, ut ait, sententia et metro, correxit:

Andromacha perdudum, manu
Lascivula ac tenellula,
Capiti meo trepidans, libens,
Insolita plexit munera.

Krehlius T. I. p. 505. pro vulg. *Livius* e Cod. Lips. 2. *Laevius* recepit, quod nomen haud dubie etiam G. I. Vossius in Msto suo invenerat, ut qui tacite illa tribuerit Laevio. Ante v. *Andromacha* inseruit Krehlius *te* e Cod. Erl. 1. Idem pro *lascivula* edidit *lasciula* et ob Codicum consensum retinuit *insolito plexit munere*, quod item Vossius in libris scriptt. et editt. invenerat. Vossium in constituendo hoc loco secutus est Joh. Scaliger in Lectt. Auson. Lib. II. c. 27., nisi quod conjectura nescio an Codd. auctoritate scripsit *per ludum* pro *perdudum*, de corona plectili hic sermonem esse existimans. Ita etiam Salmasius ad Solini c. 45. p. 661. Ego maximam partem Vossio assentiendum arbitror: nisi forte, quum, Krehlio teste, multi Codices Mss. *Erotopaègnionte* praebeant, ap. Priscianum scribendum est: *Erotopaegnion de Andromacha:*

perdudum manu
Lascivula ac tenellula
Capiti meo trepidans, libens
Insolita plexi munera;

quandoquidem haec verba videntur ipsius Andromachae esse, cui manus lascivula ac tenellula congruit, fortasse dicta ad Hectorem vel sponsum vel maritum. Caeterum huic etiam fragmento inter Liviana locum concessit H. Stephanus p. 146. itemque Forcellini in Lexic. Lat. s. v. *plectere*, licet s. v. *lascivulus* ejusdem fragmenti auctorem fecisset *Laevium!* Quam vero, ut hoc addam, Praeteriti formam *plexui* attulit Vossius l. c., eam merito rejecerunt Forcellini s. h. v. et Struvius l. c. p. 280., quocum conferenda est perdocta de h. v. disputatio

Handii ad Gronovii Diatr. Stat. Lib. III. c. 25. p. 249. Denique plures Prisciani Codices pro VI. offerunt V. Erotopaegnion: neque tamen de sexto hujus operis libro potest dubitari. Nam

V. Charisius Inst. Gr. II. p. 183. P. — „Livius *Ἐρωτοπαιγνίων* sexto:

Lasciviterque ludunt."

ubi pro *Livius* jam Forcellini s. v. *lasciviter* et Osannus in Anal. Crit. p. 54. *Laevius* emendarunt. Charisius h. l. Laeviani illius operis inscriptionem non Latinis, ut alias, sed Graecis scriptam habet litteris: quae varietas etiam alibi invenitur, ut apud Priscian. Lib. III. 2. §. 14. editt. vett. „*Accius in* XI. *Διδασκαλικῶν.*" Krehlius vero T. I. p. 112. in Codd. Mss. *didascalicon* Latinis exaratum litteris invenit, quod hic etiam repositum velim a viro doctissimo, ut in ejusdem Libro VI. 13. §. 68. p. 264. *Didascalicon* recte edidit pro vulg. *Didascalion.* Nam hoc ipsum mendum fraudi fuisse puto librariis, ut *Διδασκαλικὰ* Ateji, cui hoc opus feliciter vindicavit Osannus in Anal. Criticis Cap. IV. p. 60 sqq., tribuerent L. Attio poetae, a quo opus *περὶ Διδασκαλιῶν* scriptum esse istis hominibus videretur admodum verisimile. Aliis, sed verissimis ductus rationibus Wernsdorfius in P. L. M. T. I. p. 153. Salmasio, existimanti poematis titulum non *ποντικὰ* sed *πόντια* fuisse, repugnavit. Certum est, illud Ateji philologi opus *Διδασκαλικῶν* s. *Didascalicon* nomine fuisse inscriptum. Atque hic quaeri potest, utra scribendi ratio, Graeca an Latina, in Librorum titulis apud Romanos usu fuerit recepta, et, si eos Latinis litteris scripserunt, an Latinam quoque in iis flectendis secuti sint formationem. Ex Gellio in Noct. Attic. Praef. §. 6 — 10 discimus, a permultis Romanorum Graecos suis libris praefixos esse titulos, quos tamen omnes arbitror Latinis, minime Graecis exaratos fuisse litteris et horum nominum flexionem fuisse promiscuam, ita ut, qui pedestri scriberent oratione, plerumque Latinam, poetae autem Graecam sequerentur flectendi rationem. Sobrie hac de re dispu-

tavit Osannus l. c. p. 62. Not. I. qui locum Gellii N. A. Lib. III. c. 11. *Attius* (leg. Atejus) *autem in primo Didascalico* vitiatum et *primo Didascalicon* legendum esse, recte censet. Nam *Didascalicum librum primum, secundum* et sic porro, ut Mercerus ad Nonium p. 133. putat, usquam inveniri, non facile credo; sed *Didascalicorum* libros ut dici posse putem, suadent *Rhetoricorum ad Herennium libri* constanter, quod sciam, sic dicti et allegati a Grammaticis, ita ut etiam ap. Non. p. 61, 24. *Accius* (leg. Atejus) *Parergorum* I. retinuerim. In carminum titulis Grammatici videntur fuisse religiosiores, neque usquam *Georgicorum*, *Argonauticorum*, *Iliacorum*, nedum *Erotopaegniorum* libros memini me legere. Poetarum usum in hoc nominum genere omnino praeoptarunt scriptores serioris aevi: vid. Tzschucke ad P. Mel. Vol. II. P. 2. p. 13 sq. et Schneider in Gr. Lat. Vol. I. P. 2. p. 82 sq.

VI. Gellius Noct. Attic. Lib. II. c. 24. de vetere parsimonia et legibus sumptuariis exponens, „Hujus legis, inquit, Laevius poeta meminit in Erotopaegniis: Verba Laevii haec sunt, quibus significat hoedum, qui ad epulas fuit allatus, dimissum, coenamque, ita ut lex Licinia sanxisset, pomis oleribusque instructam:

Lex Licinia introducitur:
Lux liquida hoedo redditur.“

Sicut hoc etiam loco Codd. Mss. inter *Livium* et *Laevium* variant, ita Viri Docti fluctuant, utri illorum poetarum hoc fragmentum adscribant. Salmasius ad Solin. l. c. in Cod. n. *Laelius* se reperisse ait. Gronovius ob Erotopaegnia Laevio locum hic dandum esse dixit, atque profecto Livio Andronico ipsa legis Liciniae mentio plane adversatur. Nam Gellius de veterum Romanorum parsimonia agens cum laude percenset *Leges Sumptuarias*, de quibus, praeter Bachium in Histor. Jur. Rom. Lib. II. c. 2. §. 42. p. 159., conferendi sunt Meierotto *Ueb. d. Sitten u. Lebensart d. Roem.* T. II. p. 115 sq., Fr. Platnerus Exercitt. II. de Legibus Sumpt. Rom. Lips. 1752. 4. et Abram. Boxmann Dissert. de Legg. Rom. Sumptt.

Lugd. Bat. 1816. 4. aliique, quos attulit Creuzerus in *Abriss d. Roem. Antiq.* §. 107. p. 100. et §. 283. p. 347. Inter has vero leges celebratur inprimis Licinia, in qua ferenda, exolescente metu legis antiquioris i. e. Fanniae a C. Fannio Strabone Cos. a. U. C. 593. latae, quaesita est novae legis auctoritas, ut ait Macrobius Sat. Lib. II. c. 13. p. 396. Z. qui ejus legis capita recenset non nihil dissentiens a Gellio; vid. Bach. l. c. §. 66. p. 171. Ejusdem meminit etiam Festus s. v. *centenariae coenae*, p. 73. Dac., cujus perversam interpretationem Paullo Longobardo, Festi epitomatori, deberi, acute monuit et humanissime mecum communicavit eruditissimus C. Beierus, qui idem mihi indicavit ejusdem legis mentionem fieri a Gellio N. Att. Lib. XX. c. 1. eamque respici a Cicerone Epist. ad Divers. Lib. VII. 26. §. 4. et a Tertulliano in Apolog. 7. Lata est autem haec lex Licinia, teste Macrobio, a P. Licinio Crasso Divite a. U. C. 657., quo anno cum Cn. Cornelio Lentulo Consul erat: Pighium enim, qui Annal. a. 647. ad P. Licinium Crassum, tribunum plebis, refert, erroris coarguit Bachius l. c. Jam ex his, quae dixi, sequitur, tantum abesse, ut hoc fragmentum, in quo legis Liciniae sumptuariae injecta est mentio, tribui possit Livio Andronico, quippe qui, ut Osannus in Anal. Crit. p. 39. probavit, a. U. C. 513. primam docuerit fabulam, ut a Laevio, quem Hortensii et Ciceronis aequalem fuisse supra §. 5. suspicati sumus, illud scriptum esse propemodum nullam habeat dubitationem.

VII. Nonius s. v. *latibuletur* p. 138, 8. „Naevius Erotopaegnion .

Nocte ut opertus amictu
Latibuletur.“

Hic etiam *Laevii* nomen reponendum esse vidit Mercerus p. 125., cui adstipulatur Osannus in Anal. p. 54.

§. 8.

Quae jam sequuntur Fragmenta, et Laevio recte tribuuntur, et ex eodem Erotopaegnion opere sumpta esse probabiliter judicantur. Huc referendum est

1. Fragmentum apud Macrobium Sat. Lib. 1. c. 18. p. 312. Z. „Liber a Romanis appellatur (n. Bacchus) quod liber et vagus est, ut ait Naevius:

Hac qua sol vagus igneas habenas
Immittit propius, jugatque terrae.“

Hos versus manifestum profecto est, cuicunque tribuantur poetae, Naevii esse non posse, a cujus aetate dictionis elegantia et nitor alienissimus est. Itaque verisimillima est emendatio Scaligeri, *Laevii* nomen reponentis, in Lectt. Auson. Lib. II. c. 27. cl. ad Auson. p. 517. ed. Toll. Sed P. Scriverius et I. G. Vossius in Collect. vett. Tragic. p. 47. hoc fragmentum inter Naevii Tragoediarum Reliquias habent, probante Santenio ad Terentian. M. p. 233. Idem retinuit Bothius in Poet. Lat. Scen. Vol. II. p. 96., adjecta tamen hac adnotatiuncula: „*Haec non redolent seculum Naevianum, putoque sane memoria falsum esse bonum virum Macrobium.*“ Equidem hic minime Macrobii ἁμάρτημα μνημονικὸν, sed communem in scribendis *Naevii* et *Laevii* nominibus librariorum errorem invenio.

II. Ex eodem Erotopaegnion opere fortassis hausit Corn. Fronto Epist. Lib. I. 4. „Praestigiae nullae tam versutae, *nulla*, ut ait Levius, *decipula tam insidiosa*:“ ubi Ang. Majus p. 10. ed. Rom. 1823. „*Levii* seu *Laevii* poetae meminit Gellius II. 24.“ Mihi videntur haec Laevii verba memoriter et paullo liberius a Frontone esse laudata: quare non est, quod ea Osanni sententiae de Laevianorum Erotopaegnion metro adversari dicamus cum Lennepio ad Terentian. M. p. 433.

III. Apulejus in Apolog. p. 329. ed. Colv. p. 294. ed. Elmenh. — „Igitur unum etiam poetam Latinum attingam; versus ipsos, quos agnoscent, qui Laevium legere:

Philtra omnia undique eruunt.
Antipathes illud quaeritur.
Trochiscili, ungues, taeniae.
Radiculae, herbae, surculi,
Sauri, illices bicodulae,
Hinnientium dulcedines.“

Codd. Msti pro *Laevium*, ut jam supra §. 4. monui, habent *Laelium*, cujus nomine hoc fragmentum cum alii laudant, tum etiam Salmasius ad Solinum p. 661. Sed Hadr. Junius Animadvers. p. 613. et El. Vinetus in Annotatt. in Ausonii Cent. Nupt. p. 413. ed. Scriver. Livio Andronico illud adscribunt, quibuscum facit Santenius ad Terentian. M. p. 232. Scip. Gentilis Ict. in Comment. in L. Apuleji Apolog. (Hanov. 1607.) p. 163. ambigit, utrum h. l. nomen *Laevii*, an potius *Caesii Bassi*, poetae lyrici, teste Quintiliano l. Or. X. 1. §. 96. cf. Wernsdorf. P. L. M. T. III. p. XXXIII., sit reponendum. Jam Lipsius maluit pro *Laelium* legi *Laevium*, notante Colvio, ut eumdem Scaliger in Catalect. p 74. et in Auson. Lectt. II, 27. cl. Ausonii Opp. p. 517. ed. Toll. reposuit, probante ibidem Scriverio: quibus accedunt Almeloveenius in Opusc. p. 174., Broukhusius ad Propert. III. 4. 30. p. 237., Osannus in Anal. p. 55. et Lennepius in Addend. ad Santenii Terentian. M. p. 433. atque ita etiam, praeeuntibus jam Vulcanio, Wowerio, Elmenhorstio, edidit nuper Joan. Bosscha T. II. p. 460. Qui *Laevium* hic invenere Viri Docti, id fragmentum ex ejus Erotopaegnion opere esse censuerunt: id quod cum Jambicorum dimetrorum ratio, tum maxime eorum argumentum docet et suadet, cum rei magicae in amore usus sollemnis esset: de q. re in universum conferatur Tiedemann de Artium magic. origine p. 69 sq. Caeteroquin totum hoc Laevii fragmentum Graeci exempli imitationem redolet.

— v. 1. Salmasius ad Solin. l. c. scite observat, Laevium h. l. primo posuisse *τὰ ἄψυχα*, tum *τὰ φυτὰ*, postremo *τὰ ζῶα*. Hinc recte pro Vulg. *antiphates* tuitus est *antipathes*, quod cum Colvio de gemma nigra explicandum est, cujus meminit Ctesias apud Stobaeum CCXIII. *ὄρος ἐστὶ τῆς Μυσίας Τεύθρας καλούμενον, γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ λίθος ἀντιπαθὴς προσονομαζόμενος, ὃς κάλλιστα ποιεῖ πρὸς ἀλφοὺς καὶ λέπρας, δι' ἄνου τριβόμενος καὶ τοῖς πάσχουσιν ἐπιτιθέμενος.* vid. Ctesiae Cnidii Opp. Reliq. p. 378. ed. Bachr., item-

que Plinius H. N. Lib. XXXVII. c. 10. T. X. p. 124. ed. Frz., qui ejus usum contra effascinationes valuisse ait. Nec quicquam refert, quod *antipathes* ap. Apulejum genere neutro, apud Plinium feminino effertur: vid. Ruddimanni Inst. Gr. Lat. T. I. p. 29. et 36. ed. Stallb. Salmasius l. c. inverso versuum ordine scripsit: *'Antipathes illud quaerito. Philtra omnia undique irruunt*, quem Floridus, nisi, quod *eruunt* retinuit, secutus est. Vulg. versuum ordinem bene tuitus est Bosscha.

— v. 3. Codd. Mss. *trochiscili* s. *trochissili* et *trochilisci*; illud Jos. Scaliger et Casaubonus probarunt, ut adnotavit Elmenhorstius p. 337., existimantes a v. τροχὸς formari duplex Deminutivum τροχίσκος et τροχισκίλος: quam tamen formam analogiae repugnare arbitratus Salmasius ad Solin. l. c. *trochi*, *pili* reposuit: cui conjecturae favet Cod. Dorvill. *trochi fili* lectio. Casaubonus tentavit etiam *trochilisci* i. e. parvus trochilus, avicula illa, Graecis τρόχιλος, τροχίλος s. τροχῖλος dicta, cujus meminit Herodotus II. c. 68. ibique Wesseling. T. V. p. 290. Schw. In quam correctionem, testimonio Cod. Ms. Florent. 2. probatam, deductus videtur Casaubonus Scaligeri exemplo, qui in Catal. p. 74. ediderat: *Trochili*, *iunges*, *taeniae*. *Iunges* i. e. ἴυγγες, cujus aviculae in re magicâ usum docte ad h. l. illustrat Casaubonus. Sed ejus mentio v. 5. injicitur et h. l., ut acute monet Salmasius, τὰ ἄψυχα φίλτρα percensentur a Laevio, neque etiam, quod meminerim, trochilo avi locus inter amatoria philtra a veteribus usquam datur, alioquin lectio *trochilisci* analogia commendatur, cum, ut a τροχὸς, τροχίσκος, a καλαθος, καλαθίσκος, ita a τρόχιλος τροχιλίσκος rectius formetur, quam a τροχίσκος, τροχισκίλος: quae forma prorsus auctoritate caret. Elmenhorstius, Scriverius, Floridus, Codicum vestigia secuti, legerunt *trochisci*: quae lectio firmatur ab Isidoro Origg. IV. 9.: „*Trochiscos dictus, quia in modum rotulae deformatur; τροχὸς enim Gr. rota dicitur.*“ Atque h. l. utique cogitandum est de *staminea rhombi rota* ap. Propert. Lib. III. El. 4. v. 26. ibique

Broukhus. p. 234. et *fusco rhombo* ap. Ovid. Fast. Lib. II. v. 575. ibique Gierig. cf. I. H. Vossius ad Virgil. Ecl. VIII. 13. p. 421. Nuperrimus Apuleji editor Bosscha tuitus est firmatam Codd. Mss. auctoritate lectionem *trochiscili*, non temere suspicatus, a Laevio hoc Deminutivum esse procusum. Idem recte defendit constantem Codd. lectionem *ungues*, quorum de magico usu conferendus est Plinius Lib. XXVIII. c. 23. T. VIII. p. 202. Frz. *Taeniae* h. l. sunt, ut bene Casaubonus docuit, *licia* in sacris opertaneis a veteribus memorata, ut a Virgilio Ecl. VIII. 73. ibiq. Vossius p. 425 sq.

— v. 4. memorantur *τὰ φυτὰ*; nam *Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aënis Pubentes herbae*, ut a Didone ap. Virgil. Aen. IV. v. 513. et v. 5. sequuntur *τὰ ζῶα*: hinc, invita Minerva, Jos. Scaliger in Catal. p. 74. correxit: *auriplices bitortilae*, quae correctio Casaubonum permovit, ut h. versum tertio subjiceret et haec verba cum taeniis conjungeret adeoque ipse tentaret: *alterplices bicoloreae*. Non male, si sensum spectas, cum ista licia varii essent coloris, ut docet Virgil. Ecl. VIII. 73. ibiq. Voss. Sed in hoc emaculando loco plane divinus fuit Salmasius ad Solin. l. c., qui scripsit: *Sauri, illices bicodulae:* id quod etiam Codd. Msti confirmant, ut Bosscha docet. *Saurus*, Gr. *σαῦρος*, a quo Praxitelis statua *Apollo Sauroctonos* dicta, est Latinorum *lacertus* s. *lacerta*, ut a Graecis *σαῦρος* et *σαῦρα* appellatur: vid. Kiessling. ad Theocr. Idyll. II. 58. p. 80., qui locus huc maxime facit, ubi pharmaceutria *Ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. Σαῦράν τοι τρίψασα, ποτὸν κακὸν αὔριον οἰσῶ.* Sicut enim Theocritus, ita Laevius eadem in re lacertis adjungit aviculam illam, quae Latinis *illex* s. *inlex* Gr. *ἴυγξ* dicitur, cujus efficacissimam in amore et fascinis vim a veteribus celebratam illustrarunt Viri Docti, quos laudarunt Boeckhius ad Pindari Pyth. IV. v. 211. T. II. P. 2. p. 277. et Creuzerus in Symb. et Mythol. T. III. p. 250. et in Commentt. Herodot. p. 351. Hinc ejus effigies passim in antiq. Vasis obvia: vid. Millin Galer. Mythol. Tab. CXIV. 444. cf. Böttigeri *Id. z. Kunst-Mythol.* I. p. 70. Vocantur h. l. *illices* a Laevio *bicodulae*, quod caudas

vibrando duplicant: putatur enim ἴυγξ eadem esse avis, quae et σεισοπυγὶς s. κίγκλος dicitur: de q. vid. *Comment. d. C. Licinio Calvo* Not. 23.; secus vero statuunt alii, quos attulit Burmannus ad Anthol. Lat. Lib. V. ep. 64. T. II. p. 354. b.

— v. 6. *Himnientium dulcedines* significant *Hippomanes*, quod, sive liquor virulentus fuit ab inguine equae, ubi Venere incaluit, destillans, seu caruncula fronti adhaerens pulli recens nati et ab equa post partum statim devorata, sive denique herba Arcadica, qua veneficae utebantur, copiose illustratum est ab Interpp. ad Virgil. Georg. III. 280. Aen. IV. 515. et Theocrit. Idyll. II. 48.

§. 9.

Progredimur ad eas carminum a Laevio scriptorum Reliquias, singulari a Grammaticis allegatas nomine, quas nostra memoria sunt qui ex ejus vel Tragoediis, vel Comoediis sumptas putent, ego autem tantum non omnes ad ejusdem Erotopaegnia pertinere suspicor: vid. §. 6.

I. Priscianus Lib. VI. p. 719. P. — „Humus humi. Hoc etiam neutrum in-um desinens invenitur apud veteres, secundum quod opportune hanc declinationem servavit Livius in Adone:

Humum humidum pedibus fodit.“

Haec verba in Livii Andronici Tragoediarum Fragmentis reposuerunt P. Scriverius in Collectan. p. 1. et Bothius P. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 7. Verum hoc de Fragmento quam prudenter disputaverit G. I. Vossius, supra §. 6. attuli. Quapropter recte Krehlius e Cod. Erl. 2. ap. Priscian. T. I. p. 278. edidit *Laevius* pro vulg. *Livius in Adone:* de cujus correctionis veritate nos non dubitare sinit ipse Priscianus, qui, dum neutrum voc. *humus* apud veteres inveniri ait, quod opportune servaverit *Laevius in Adone*, non poterat memorare Livium Andronicum, quo nemo poetarum Latinorum fuit antiquior. De declinatione nom. *Adonis* copiose exposuit

Oudendorp. ad Apuleji Metam. Lib. II. p. 155. Nobilissima vero de Adonide fabula quam commodum in Laevii Erotopaegniis habuerit locum, quilibet intelligit.

II. Gellius N. A. Lib. XIX. c. 7. invitatus cum Julio Celsino in Julii Pauli heredíolum legi audiverat Laevii Alcestin et ait: „quum rediremus in urbem, sole jam fere occiduo, figuras habitusque verborum nove aut insigniter dictorum in Laeviano illo carmine ruminabamur: et, ut quaeque vox indidem digna animadverti subvenerat, qua nos quoque possemus uti, memoriae mandabamus. Erant autem verba, quae tunc suppetebant, hujuscemodi: *Corpore*, inquit, *pectoreque undique obeso*, *ac mente exsensa*, *tardigenulo senio oppressum*. *Obesum* hic notavimus proprie magis, quam usitate dictum pro exili atque gracilento. Vulgus enim ἀκύρως vel κατὰ ἀντίφρασιν *obesum* pro pingui atque uberi dicit; item notavimus, quod *oblitteram* gentem pro *oblitterata* dixit; item, quod hostes, qui foedera frangerent, *foedifragos*, non *foederifragos* dixit; item, quod *rubentem auroram*, *pudoricolorem* appellavit et *Memnonem nocticolorem*. Item, quod *forte dubitanter* et ab eo, quod est *sileo*, *silenta* loca dixit, et *pulverulenta*, et *pestilenta* et *carendum tui* est, pro *te*, quodque *magno impete* pro *impetu*, item quod *fortescere* posuit, pro *fortem fieri*: quodque *dolentiam* pro *dolore* et *avens* pro *libens*: item curis *intolerantibus*, pro *intolerandis*: quodque *manciolis*, inquit, *tenellis*, pro *manibus* et *quis tam siliceo?* item, *fiere*, inquit, *impendio infit*, id est, *impense fieri incipit*, quodque *accipitret* posuit pro *laceret*. His nos inter viam verborum Laevianorum annotatiunculis oblectabamus, caetera enim, quae videbantur nimium poetica, et prosae orationis usu alieniora, praetermisimus: veluti fuit, quod de Nestore ait: *trisaeclisenex* et *dulcioreloquus*: item quod de tumidis magnisque fluctibus inquit, *multigrumis*: et flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino* dixit: et quae multiplicia ludens composuit; quale illud est quod vituperones suos *subductisupercilicarptores* appellavit.“ Consulto adscripsi integrum Gellii locum, in quo Gronovius *Levii Alcestin* et

Leviano edidit. Lion e Cod. Guelph. *Naeviano* et *Neualgestin* enotavit. Eadem habet Nonius s. v. *obesum* p. 361, 16. (edit. Paris. 1614.) „Naevius in carmine: *Corpore pectoreque undique obeso ac mente exsensa, tardigenulo senio*, sive, ut in antiq. Libr. scriptum est: — *obeso ac merito exeso tardi ingenio senis.*“ Jam Mercerus p. 185 vidit, Nonium sua hausisse ex Gellio, ex cujus optt. Codd. non *Naevius*, sed *Laevius in Carmine* legendum esse monet. Quod Nonius scripsit *in Carmine*, inde factum putat, quod librarius spectaverit verba Gellii: *insigniter dictorum in Laeviano illo carmine.* Sed Osannus in Anal. Crit. p. 8., de caeteris Mercero adstipulatus, eum reprehendit, quod vett. editt. lectionem *Alcestide* ante v. *carmine* expulerit, et ipse a Nonio scriptum esse censet: *Laevius in Alcestide carmine.* Quidquid ejus rei est, recte in Gellio hodie editur *Laevii* nomen, idque attestatur ex Codd. Mss. Jos. Scaliger ad Ausonii Cent. Nupt. p. 517. ed. Toll. Sed tamen Nonium secutus H. Stephanus in Fragm. P. V. L. p. 218. haec verba Naevio attribuit ita scripta: — *ac mente exsensa, tardigenulo senio oppressum*, quae haud dubie ex Gellii Codd. correcta et suppleta sunt. Eadem Naevio adscripsit P. Scriverius in Collect. p. 39. sic disposita:

Corpore pectoreque undique obeso,
Ac mente exsensa, tardigemulo
Senio oppressum;

ubi G. I. Vossius in Castig. p. 62. pro vulg. *tardigemulo* correxit *tardigenulo*, quod, jam ab H. Stephano editum, Homeri Iliad. IV. 313. et Virgil. Aen. V. 431. firmavit, sive, ut versus esset anapaesticus (?), *tardique genulo:* cujus Tmesis exempla protulit haec: Lucilius ap. Nonium p. 160, 19. *Illuvies, scabies oculos huic, deque petigo;* Lucretius Lib. I. 453. *quod numquam sine perniciali Discidio potis est sejungi, seque gregari;* Idem Lib. II. 394. *Aut magis hamatis inter se perque plicatis;* quem praeterea excitavit Vossius locum Ausonii de Mortib. Caesar. v. 6., is vitiosus est, ut docuere Intpp. p. 217. ed. Toll. Alia suppeditabit Ruddimann. Inst. Gr. T. II. p. 395. St. Verum tamen neutra opus est, ut videbimus, emendatione

Vossii, qui caeteroquin nihil dubitat, quin haec verba Laevii sint. Nihilo tamen secius huic Fragmento inter Naevii Tragoediarum Reliquias locum dedit Bothius P. Sc. Lat. Vol. V. P. I. p. 83. eaque verba ad Tetrametrum Trochaicum reduxit sic:

Corpore pectoreque
Undique obeso, ac mente exsensa, tardigemulo
senio oppressum;

et dubitat, sitne, ut metro consulatur, scribendum *pectorique*, sicut *furfuri* pro *furfure* ap. Plautum, an penultima vocis ob seq. encliticum *que* producatur. De promiscua illa Dativi et Ablativi ap. veteres Latinos forma, praeter allatum a Bothio Osannum in Anal. Crit. p. 123., exposuere Lindemannus ad Plauti Captiv. IV. 2. 27. p. 75., Huschkius ad Tibull. I. 1. 72. p. 36. et Struvius *Ueb. Lat. Declin. u. Conj.* p. 28. N. 4. Item Bothius probatam sibi Vossii sive potius H. Stephani correctionem *tardigenulo* recepit. Sed vulg. *tardigemulo*, quod in Cod. Guelph. etiam repertum denuo nuper in Gellium revocavit Lion, Hermannus, qui in Dissert. d. Euripidis Alcestide p. XVIII sq. (Lips. 1824.) totum Gellii locum egregie tractavit, ita est tuitus, ut Laevii verba ad anapaesticos revocata versus scriberet:

Corpore pectoreque
Undique obeso ac mente exsensa
Tardingemulo senio oppressum.

quae quidem verba de Pherete, Admeti patre sene, scripta esse peringeniose suspicatus est.

Jam fuerunt, qui ipso illius carminis nomine inducti *Laevii Alcestin* Tragoediam fuisse existimarent: in his Jos. Scaliger, qui in Conject. pag. 185. Vol. II. Bip. sqq. illum locum ductum esse opinabatur ex Euripidis Alcestide v. 915 sqq., cujus fabulam a Naevio, quem cum Laevio confundit, Latine conversam putat. Sed verissime monet Langius in Vindic. Tragoed. Rom. p. 9 sq. Laevium ideo, quod ejus Alcestis memoretur, immerito referri inter Tragicos, cum illud carmen a tragica severitate alienissimum fuisse, ipsa ap. Gellium Fragmenta doceant. Cui quidem Viri eruditissimi judicio equidem prorsus assentior; quae

enim verba Gellius ex Laevii Alcestide profert, sicuti aetatem, qua eum vixisse puto, satis declarant, ita cothurno minime sunt digna, sed poematis et nugis amatoriis, cujusmodi Laevii Erotopaegnia fuisse arbitror, apprime conveniunt. Itaque, ut dicam quod sentio, Laevii Alcestis mihi videtur neque Tragoedia neque Comoedia fuisse, sed, ut jam §. 6. suspicatus sum, Erotopaegnion, laudatissimi illius Laeviani operis, pars ac totius veluti corporis membrum quoddam, ita ut vel singulare idque caeteris majus fuerit atque amplius poema, vel totus Erotopaegnion liber, illius heroinae inscriptus nomine, quoniam plura complectebatur poemata breviora et diversis etiam, ut probabile est, numeris scripta, in quibus Alcestidis amores et fata versibus persecutum puto Laevium. Quae quidem mea qualiscunque suspicio haud scio an nullam inde etiam habeat verisimilitudinis accessionem, quod Gellius et, si fides est Osanno Anal. Crit. p. 8., Nonius Laevii Alcestin appellant *carmen*, quo nomine nusquam, quantum meminerim, dramata poetarum a scriptoribus et Grammaticis significantur et allegantur. At nihil, si quid judico, obstat, quominus aliquem ex Erotopaegniis Librum, Alcestidis nomine inscriptum, propter argumenti diversis licet expositi poematis perpetuitatem ac similitudinem a Gellio et Nonio *carmen* dictum esse statuamus. Atque hanc si sequimur sententiam, ea etiam si non plane tollitur, certe elevatur ac minuitur difficultas, quam de hoc ipso Laeviano carmine ejusque, quae apud Gellium leguntur, reliquiis jure movet Hermannus, qui „Multa, inquit, hic addit Gellius alia, quae insolenter dixerit Laevius, quorum etsi pleraque ex illo poemate deprompta sunt, tamen sunt etiam, quae ex aliis poetae illius carminibus petita videantur, ut *Memnon nocticolor*, *Nestor trisaeclisenex* et *dulcioreloquus*.“ Profecto Memnon et Nestor non intelligitur quomodo locum habere potuerint in dramatica de Alcestide fabula, nisi forte Pheretem senem, cum Admeto filio altercantem, cum Nestore dulcioreloquo, et *Θάνατον*, nigra indutum veste, cum Memnone nocticolore, qui etiam a Virgilio Aen. I. 489. *niger* appellatur, comparavit: quae sane, quamvis inficeta, non

videntur abhorrere a Laevii ingenio. Id quum dico, tantum abest, ut ego Euripidis fabulam a Laevio vel Latine conversam vel imitatione expressam opiner, ut Joseph. Scaligerum, qui in Conject. l. c. id egit, ut, quae ex Euripide ducta essent, doceret, operam perdidisse censeam.

In singulis vero Laevii verbis, quae Gellius, paulo morosior judex, notavit, non tam judicii perversitatem deprehendo, quam orationis poeticae, quae illi aetati propria erat, infantiam, quae sensim modo et conjunctis oratorum et poetarum studiis ad eam adolevit maturitatem et elegantiam, quam in Virgilii et Horatii carminibus admiramur. De singulis praeterea haec fere habeo quae adjiciam. Quod ad v. *forte* attinet, G. I. Vossius in Castig. p. 63. existimat, Laevium a Gellio notari, quod *forte ἁπλῶς* pro *fortasse* dixerit: in quo falsum puto virum egregium. Gellium, ni fallor, offendit vv. *Forte dubitanter* conjunctio: uti etiam Gronovius videtur accepisse. Similiter optimi scriptores jungunt *forte temere:* vid. Gronov. ad Liv. X, 43. — *Carendum tui* scripserat Laevius cum Terentio Heaut. II, 4, 20. *Praeterquam tui carendum quod erat;* et *dolentia* eodem jure novavit, quo Cicero de Fin. Lib. II, 4, 11, *indolentia:* vid. ibi Goerenz. p. 128. et impr. C. Beierus ad Ciceron. d. Offic. Lib. III. 3. T. II. p. 201. — Laevium *intolerantibus* pro *intolerandis* dicentem excusat Jos. Scaliger in Catalect. Virg. ad Culic. vers. 379. p. 31. et I. Fr. Gronovius Observatt. Lib. III. c. 7. p. 371. comparat Silii Ital. Lib. XIV. 404. *Nec deinde regenda Puppe manus valuit flectenti immortua clavo:* ubi *flectenti* pro *flectendo* ad Laevii exemplum accipi posse ait, nisi forte ita scribendum sit: videsis N. Heinsium ad h. l. — Verba *manciolis* (al. *maniculis*) *tenellis* ducta opinatur Jos. Scaliger in Conj. p. 122. ex Euripid. Alcest. v. 385. Denique voc. *Subductisupercilicarptores* equidem junctim scribendum censeo, alioquin non video, quid Gellium potuerit offendere: cf. Interpp. ad Petron. Sat. c. 30. p. 158. B. Offensioni fuit Gellio dura vocis compositio, sicut Quintiliano I. Or. Lib. I. 1. §. 67. dure struxisse videbatur Pacuvius: *Nerei Repandirostrum incurvicervicum pecus.*

Exposuit de his ampullis et sesquipedalibus verbis poetarum veterum G. I. Vossius Inst. Orat. Lib. IV. 8. p. 145. T. III. Opp.

III. Fulgentius s. v. *friguttire* p. 563, 23. „Ennius Celestide comoedia:

Haec anus admodum
Fringuttit: nimirum se sauciavit flore Liberi;“

ut haec poetae verba scripsit Hermannus l. c. p. XIX. In al. libr. scriptum est, *Telestide* et *Telespide* vel *Alcestide*, *friguttit* et *sauciavit se*. Hier. Columna ab Ennio Alcestin scriptam et ex Euripidea conversam esse opinatus hoc fragmentum inter Enniana recepit p. 287. ed. Hess. et voc. *comoedia*, cum in al. libr. simpliciter *in Alcestide* legatur, a quopiam additum credidit, quod ea fabula laetum haberet exitum. Sed Alcestidis Ennianae cum nusquam alibi mentio fiat, et Fulgentii fides perexigua sit; nemo, quod sciam, Columnam secutus est praeter Delrium in Syntagm. Tr. L. T. I. p. 96., qui pro *nimirum* maluit *nimium*, ut etiam Wakefieldus ad Lucret. III. v. 222. et Hermannus conjecerunt. Bothius, qui *Friguttit — se flore sauciavit Liberi* Vol. II. P. I. p. 31. legit, hoc fragmentum Ennii Trag. Reliquiis recte exclusit, et quam temere Columna Ennii verba ap. Charis. Libr. II. p. 181. P. „*Ennius, seu ibi vita seu mors in mundo est.*“ ex Euripid. Alcest. v. 288. expressa putaverit, ostendit Hermannus l. c. p. XX., qui haec verba in Annalibus lecta et scripta fuisse suspicatur: — *seu tibi vita, Seu mors in mundo est.* Mercerus ad Fulgent. p. 211. de lectione *Ennius* et *Alcestide* dubitans, totum locum a poeta nescio quo effictum autumat ex Plauti Casin. v. 522. Hinc Osannus in Anal. Crit. p. 8. ab Ennio neque Alcestin neque comoedias scriptas esse ratus, Gelliani memor loci pro Ennio *Laevii* nomen substituendum censuit. Quam correctionem Langius in Vindic. Tr. R. p. 10. N. 12. audaciorem dicit: non item ego, praesertim in Fulgentii libello tam ulceroso, atque eodem modo conjecit Hermannus l. c., quem lubens sequor. Illustrat hoc fragmentum Wakefieldus l. c.

IV. Varro de L. L. Lib. VII. 3. p. 310. ed. Spengel.

(Vulg. Lib. VI. p. 85. Bip.) „Dictas apparet infulas, quod velamenta, his e lana, quae adduntur, infulae; itaque tum quod ad sepulcrum ferunt

Frondem ac flores addidit;
Non lanas, sed velatas frondentis comas.“

Quum in Edit. Pr. et al. vett. editt. haec corrupte legantur: *addunt nunc lanas. Ideo Naevius ait, Sed velatas frondentis comas;* Jos. Scaliger in Conject. p. 185. B. qui, ut diximus, a Naevio Alcestin Euripidis Latine conversam putat, illa verba emendavit: *velatus frondentes comas*, eaque ex Euripid. Alcest. v. 847. hausta conjecit. Sed Leonh. Spengelius, Codd. auctoritate innixus, praeeunte Hermanno l. c. p. XIX., ista verba textu ejecit: cf. ejusdem Praefat. p. XLIX.; quo facto concidit Scaligeri opinatio de Naevio, Alcestidis Euripideae interprete, a cujus aetate orationis quoque elegantia abhorret: de Laevio autem quo minus cogitemus, cum alia obstant, tum maxime, quod Laevius ignobilior erat poeta et aequalis, quam cujus auctoritate uteretur vir Romanorum omnium doctissimus.

V. Festus s. v. *Petrarum* p. 342, 16. Dac. „*Livius in Centauris:*

— — *ubi ego saepe petris*“

quae verba Jos. Scaliger, Livii nomine nihil offensus, ingeniose tentavit: *ubi echo saepta petris.* Scriverius ad Ausonii Cent. Nupt. p. 518. ed. Toll. haec: „In Schedis non *Livius*, sed *Laevius in Centauris* legitur.“ Etiam G. I. Vossius d. P. Lat. c. VIII. p. 258. Tom. III. Opp. Laevio adscribit Centauros: id quod temere factum esse judicat Santenius ad Terentian. M. p. 234. Inter Livii Andronici Tragoediarum fragmenta illud omisit Scriverius, sed reposuit Delrius in Syntagm. T. I. p. 24. et Bothius; contra Osannus in Anal. Crit. p. 52. Livii Comoediis vindicare studet, eamque injuria Laevio tribui ait, quoniam hunc comico poesis generi operam navasse nequeat evinci. Hujusce nominis fabulas scripsere apud Graecos cum multi alii, quos enumerat Osannus, tum etiam Chaeremon, Tragicus, Aristophanis fere aequalis, qui memoratur ab Athenaeo Lib. XIII. c. 88. p. 608. C. s. T. V. p. 203. Schw.

ἐν — κενταύρῳ, ὅπερ δρᾶμα πολύμετρόν ἐστιν. Hoc Chaeremonis drama respiciens scripsit Aristoteles Poet. c. 1. §. 12. ὁμοίως δὲ κἂν εἴτις ἅπαντα τὰ μέτρα μιγνύων, προϊατο τὴν μίμησιν, καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων, οὐκ ἤδη καὶ ποιητὴν προσαγορευτέον. Qui locus Aristotelis me inducit, ut hic aliud Laevii subjiciam Fragmentum, quod nobis servavit

VI. Priscianus Lib. VI. p. 712. P. „Levius in Polymetris:

Omnes sunt denis syllabis
Versi."

Krehlius T. I. p. 268. c. Codd. scripsit *Laevius in Polimetris;* Cod. Dresd. *Pellimetris.* Reinesius Var. Lect. Lib. I. c. 1. p. 126. agnoscit hic *Laevium*, sed pro *Polymetris* scribi mavult *Polymenis* s. *Polumenis*, *Πωλουμένοις*, cujus nominis drama a Menandro scriptum Latine ediderat Caecilius, teste Gellio N. A. Lib. XI. c. 7. Osannus in Anal. Crit. p. 53. hoc Polymetrorum carmen, quod Livii Andronici operum ordine ac numero eximendum esse censet et Laevio vindicat, lyrici generis fuisse suspicatur opus, Odarum Syllogen fortasse complectens, ex cujus prooemio hoc Fragmentum sumptum videatur. Mera est haec suspicio, cui aliam eamque fortassis vaniorem addere licebit. Operis illius titulum si spectamus, cogitemus necesse est carmen quoddam, ex omni metrorum genere compositum, cujusmodi illud Chaeremonis fuisse drama, Centauri nomine inscriptum, Aristotele auctore et Athenaeo, scimus: cf. Is. Casaubonus d. Satyrica Gr. Poesi Lib. II. c. 2. p. 197. R. Quare facile quis possit induci, ut, quae Festus ex Laevii Centauris et Priscianus ex ejus Polymetris allegarunt Fragmenta, ad unum idemque pertinere suspicetur carmen, quod dramatum quidem more fuerit scriptum, neque tamen, ut in scenam afferretur, sed ut legeretur: id quod etiam de Chaeremonis Centauro acutissime monuit Hermannus ad Aristotel. Poet. l. c. p. 97. Neque duplex ejusdem carminis inscriptio per se quicquam habet, quod nos offendat, praesertim quum alterutra proficisci potuerit a Grammaticis,

quorum alii argumentum, alii operis formam spectarunt et inde ejus titulum petierunt. Haec omnia si veri sunt similia, equidem hoc Laevii opus neque ad Tragoedias, neque ad Comoedias retulerim, sed ad ea carminum genera, quae animi caussa scripta, ad legendum aptiora, quam ad scenae usum existimavit Aristoteles. Et sicut idem Poet. c. 24. §. 11. de Chaeremonis Centauro loquitur tamquam de carmine epico, ita fortasse Laevii cognomine carmen πολύμετρον eodem haberi potest numero ac loco, neque tamen ideo Laevium ipsum, ut Hermanni verbis utar, ἐποποιὸν vel ἰαμβοποιὸν, sed πολυμετροποιὸν dixerim. Caeterum hujuscemodi carmina, quae haud immerito otiosi ingenii nugis accenseas, non aliena sunt ab ea, qua Laevium vixisse contendimus, aetate. Verum tamen, ne quid dissimulem, his, quae modo disputavi, adversa veluti fronte repugnare videntur ipsa Fragmenti illius apud Priscianum verba: omnes enim versus si denis scripti erant syllabis, quo tandem pacto totum opus et esse poterat πολύμετρον et nominari? Quam difficultatem nihil video quo expediam, nisi ista verba a Prisciano sumpta dicam ex uno tantum poemate istius Laeviani operis, quod ob diversa, quae complecteretur diversi metri poemata, Polymetrorum tulisset nomen. Id vero inde manifestum est, haec Laevii Polymetra ejusque Centauros non posse pro uno eodemque haberi opere, nedum pro μικτῇ ῥαψῳδίᾳ ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων, quam Chaeremonis Centaurum fuisse docet Aristoteles. Theodoridas Syracusanus, quem Schneiderus in Anal. Crit. p. 7. eumdem esse putat, cujus Epigrammatis Meleager suam Coronam v. 53. ornaverat (vid. Jacobs in Catal. Poet. Epigrammat. Vol. III. P. 3. p. 959.), teste Athen. Lib. XV. p. 699. s. T. V. p. 561. Schw., κενταύρους διθύραμβον scripserat, sicut Timotheus et Philoxenus κύκλωπας διθυράμβους, uti tradit Aristoteles Poet. c. 2. §. 6. ibique Hermannus p. 99 sq. Sed cum ejusmodi dramatis improprie, Hermanno judice, sic dictis minime comparandi sunt Laevii Centauri, quorum nomine inscriptum fuisse opinor aliquem Erotopaegnion librum, in quo variis poematis descripserat

celebratissimam istam pugnam, quae tum orta esse fertur, quum

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis;
Arboribus tecto discumbere jusserat antro;

ut Ovidius ait Metam. XII. 210. Accidit illa pugna in altissimis Thessaliae montibus, *ubi Echo saepta petris*, ut verissime mihi videtur Jos. Scaliger emendasse illud Fragmentum Laevii, a quo in Erotopaegniis non verisimile est omissas esse nuptias, in quibus saevorum saevissimus Centaurorum,

Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probabant,
Aut poterant, rapiunt; captaeque erat urbis imago:

ut ex Codd. hic Ovidii locus v. 224. legendus est.

VII. Terentianus Maurus de Metris p. 2425. P. vers. 1920 sqq. p. 87. edit. Sant.

„Dactylici finem versus si claudat iambus,
Hoc est, pro longa brevis ut paenultima fiat;
Auribus acciderit novitas inopina, melius
Versus ut hic resonare potest, ita si cecineris:
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite saturae;
Nile pater, propera, sitiunt sata, Nile propera;
Heus puer, ut mea sint tibi vilia carmina vides;
Si nusquam hoc aliquis lectum putat, ecce dabitur
Versus Homericus, Ausonio resonans ita modo,
Quemque Miuron Achaica gens vocitare solita est:
Attoniti Troes viso serpente pavitant.
Livius ille vetus Grajo cognomine, suae
Inserit Inonis versu, puto, tale docimen:
Praemisso Heroo subjungit namque Miuron,
Hymnum, quando chorus festo canit ore Triviae.
Et jam purpureo suras include cothurno
Balteus et revocet volucres in pectore sinus
Pressaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra;
Derige odorisequos ad certa cubilia canes.“

Ita edidit li. l. Santenius. Vers. 1920. Putschius *cludat* idemque v. 1929. *Quem μιοῦρον* et v. 1933. *namque μιοῦρον:* ubi Santenius hunc versum non minus *μίου-*

ρον, quam μείουρον dictum fuisse docet ex Eustathio ad Homeri Iliad. XII. 208.

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

Quem Homeri versum etiam μείουρον cum Athenaeo Deipn. Lib. XIV. c. 32. p. 632. s. T. V. p. 293. Schw. Marius Victorinus Art. Gr. I. p. 2511. P. appellat ob decurtationem, ut Graeci dixerunt, caudae, id est, extimae partis et, quem modo diximus, Homeri locum eodem quo Terentianus M. modo v. 1930. Latine conversum subjicit. Hoc enim versuum genus, de quo Hermannus in Elem. D. M. Lib. II. c. 27. p. 354 sq. exposuit, ab heroici versus lege ita discedit, ut in fine pro Spondeo et Trochaeo vel Jambus vel Pyrrhichius ponatur, sive ut, quantum ex Athenaeo l. c. discimus, qui locum Homeri Iliad. VIII. 305. Καλὴ Κασσιέπεια θεοῖς δέμας ἐοικυῖα vitiose lectum temere huc retulit et στίχον μείουρον confinxit, in alterutro extremorum pedum brevis in arsi sit syllaba: vid. Schweighäuser. ad h. l. T. VII. p. 450. Miuron versum etiam fieri, una detracta syllaba, testatur Diomedes Lib. I. p. 2504. P. quocum conferatur Scaliger ad Burmanni Anth. Lat. T. I. p. 424. Inde ejusmodi Hexameter, detruncata veluti cauda (οὐρᾷ) sive acuminata ac murinae caudae instar mobili, μείουρος sive μύουρος appellatus est. Diomedi Lib. III. p. 499. P. *ecaudes* dicuntur hi versus, quibus nemo e Graecis, praeter Lucianum in Tragodo podagr. v. 311 sqq., inventus est qui uteretur. Neque enim huc referri potest Homeri locus Iliad. XII. 208, in quo ὄφφιν s. ὄπφιν pronuntiandum esse monuerunt jam veteres Grammatici: cf. Heynius ad h. l. T. VI. p. 312., Hermannus in Elem. D. M. l. c. et Welckerus ad Hipponact. Fragm. p. 30 sq. Sed Marius Victorinus l. c. recte hoc fieri negans, „At cum Livius Andronicus, inquit, praemisso Hexametro hujusmodi subnectat versus per ordinem Jambo terminatos, novam potius hanc speciem, quam μείουρον aestimant versum, et Teliambon appellant. Nam in hymno Dianae apud eumdem ita invenitur in fabula Inone, *Sed jam purpureo suras* etc.“ Quo in loco non dubium est quin Marius Victorinus

a Terentiano totus pependerit, neque hac in caussa novus haberi queat testis.

Livius Andronicus igitur hoc versuum genere usus est in Inone sua, ut testatur Terentianus M. v. 1932. quem versum cum Hermanno malim legi

Inserit Inoni versus, puto, tale docimen,

quam cum Santenio *Inonis versu*, praesertim quum libri scr. et editt. *in omne* vel *in omni* offerant. Hoc Terentiani testimonium secuti H. Stephanus in Fragm. P. V. Lat. p. 146. P. Scriverius in Collect. Vett. Tragic. p. 3. Delrius in Syntagm. Vol. I. p. 94. itemque nuper Bothius Vol. I. P. I. p. 12. quatuor istos versus sine ulla dubitatione inter Livii Andronici Reliquias receperunt, et G. I. Vossius in Castigg. et Nott. in Tr. Vet. Fr. p. 7 sq. contra Jos. Scaligerum, qui de Livio Andronico dubitaverat, disertus illorum et gravis exstitit vindex. Illos versus cum Terentianus M. sumptos dicat ex Hymno in Triviam s. Dianam, Fabricius in Bibl. Gr. Vol. I. p. 347. H. statuit, Livium Andronicum, a quo Odysseam Latinis versibus conversam constet, Hymnos quoque Homericos Latina metaphrasi donasse, illosque versus ex Hymno in Dianam translatos esse. At Kordesio ad Eberhardti Sueci libr. *Ueber d. Zustand d. sch. Wissensch. b. d. Römern.* (Altona 1801.) p. 26. illi versus ex Hymno in Dianam, Inoni tragoediae inserto, desumpti videntur. Non dubitarem ego cogitare de Hymno a virginibus in Supplicatione a. U. C. 545. decantato, quem a Livio Andronico scriptum diserte testantur Livius H. R. Lib. XXVII. c. 37. et Festus s. v. *scriba* p. 491. Dac. et quem Dianae, utpote numini ἀλεξικάκῳ et ἀποτροπαίῳ dictum esse, veri est simillimum, nulli ejus si exstarent versus, qui, sive verba sive numeros spectas, ab ista aetate, si quid sentio, alienissimi sunt. Nihilo tamen secius ad nostram usque memoriam, qua demum gravissima Hermanni sententia vicit, fuere, qui, quamvis ab Jos. Scaligero, sagacissimo viro, hominibus doctis scrupulus esset injectus et dubitatio, tamen in Terentiani M. auctoritate acquiescerent. Omittam hic Santenium, politissimi alias judicii virum, qui ad Terentian. M. v. 1647. p. 232. Scaligero

paene subiratus Livio Andronico illos versus vindicat, quos eidem tribuit Heynius ad Virg. Ecl. VII. 32. *Puniceo stabis suras evincta cothurno.* et Aen. I. 337. *Purpureoque alte suras vincire cothurno;* ubi vers. 1., quem scripsit: *Jam nunc purpureo suras include cothurno*, verba nutricis esse putavit ad Inonem, ut Dianam imitaretur. Heynius secutus est Ursinum in libr. *Virgilius cum Graec. Scr. collatus* p. 65 et 242. qui hunc Livii Andronici versum legit: *Sed jam*, ut Marius Victorinus habet, et in Terentiano M. scribendum videtur Osanno in Anal. p. 36.; non item mihi, cui pluris est auctoritas Terentiani. Putatur hic locus multorum poetarum imitatione expressus. Peerlkampius in Bibl. Crit. Nov. Vol. III. p. 34. observat, *suras include* maxime accommodatum esse ad naturam cothurni, venatorii calceamenti, quod appareat ex Comment. Spanhemii ad Callim. H. in Dian. v. 16. Adde impr. Boettiger. *in Griech. Vasengem.* I. 3. p. 220. Deinde monet, Virgilium, ut nimiam evitaret imitationem, *evincta* posuisse pro *inclusa*, quae quidem vox cum v. *stabis* minus quoque conveniret. Ego quidem Virgilium subdubito nostrum ob oculos habuisse locum. Spectant enim haec ad communem Dianae venatricis habitum, in quo adumbrando non poterant veteres poetae quin vel verbis nonnumquam consentirent. Copiosa, neque inelegans ejus descriptio legitur ap. Nemesian. Cyneg. v. 86 sq. quam ex hoc Livii Andronici loco expressam putavit Wernsdorf. in P. L. M. T. I. Excurs. IX. p. 256. itemque Peerlkampius, qui etiam vers. 2. emendavit: *revocat volucres in pectora sinus:* id quod jam Bothius ediderat. Neque potest dubitari de ejus correctionis veritate, quam ille firmat Virg. Aen. I. 320., ubi Cerda et Heynius eosdem versus Livii Andronici nomine laudant, Senec. Hippol. v. 390. Statii Theb. IV. 266., et de elegante v. *revocare* hac in re usu praeter Claudian. in Rufin. II. v. 80. *revocat fulvas in pectora pelles;* Juvenal. I. 27. *Tyrias humero revocante lacernas*, et Senec. Oedip. v. 417. *Spargere effusos sine lege crines, Rursus adducto revocare nodo*, conferri jubet Gronov. Observatt. Lib. II. c. 19. Burmann. ad Val. Flacc. Arg. VI.

256. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. Vol. II. p. 750. — Cum vers. 3. idem Vir Doctus comparat Homeri Iliad. I. 46. Virg. Aen. IV. 149. et h. versum Horatio I. od. 22. 8. aeque ac Silio Ital. Punic. VII. 445 obversatum opinatur. — Vers. 4. retinuit Santenius scripturam Venet. et Ald. *derige*, probante Lennepio in Addend. ad Terentian. p. 439.; contra Marius Victorinus *dirige*, uti Hermannus et Osannus. Utramque formam a vett. promiscue usurpatam censet Drakenborch. ad Sil. Ital. IV. 678. Hunc versum Livii Andronici nomine Ulitius ad Gratii Falisc. Cyneg. v. 236. in Burmanni P. L. M. T. I. p. 171. ita affert: *Dirige odorisequos ad caeca cubilia canes:* quo ap. Gratium *occultos*, quos signis arguat canis, *hostes* illustret. Videtur Ulitius amplexus esse conjecturam Delrii, qui in Syntagm. I. p. 162. pro *certa* maluit *caeca cubilia*. Vulgatam vero tuetur Lucretius I. 405. *Namque canes, ut montivagae persaepe ferai Naribus inveniunt, injectis frunde, quietes, Quom semel institerunt vestigia certa viai;* ubi tamen Wakefieldus hunc ipsum Livii Andronici, ut ait, versum scribendum judicat: *Dirige odorisequos ad tecta cubilia canes*, seu *caeca cubilia*, ut Lucretius v. 409. *caecas latebras*. Neutra opus est correctione. Vulgatam defendit Gronovius in Diatr. Stat. Lib. II. 1. p. 157. et h. versum, quem pariter Livii Andronici esse dicit, per hypallagen explicat: *certos et non falsos odoris canes ad cubilia dirige:* quam quidem hypallagen merito rejiciens Handius *certa* cubilia recte interpretatur *non dubia*, quae canes odorisequos non fallant. Haec, ut videtur, latebant Peerlkampium, cui etiam in hoc antiqui poetae Fragmento pro *ad certa cubilia* placebat: *secreta cubilia*. Nam et verborum, inquit, constructio, omissa praepositione, est antiquior, neque cubilia ferarum sunt adeo *certa*, quae etiam a canibus odore quaeri debeant. Eximie huc facit Sil. Ital. X. 81. *Nec sistit nisi conceptum sectatus odorem Deprendit spissis arcana cubilia dumis*, et Varius, cujus nonnullos versus servavit Macrobius L. VI. Saturnal. Cap. 2. *Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem, Aethera per nitidum tenues sectatur odores*. Ejusdem antiquitatis in-

dolem, pergit Peerlkampius, refert illud *derige*, praecipue *odorisequus*, quod Virgilio quoque ita visum fuit, qui ista voce abstinuit, ubi ponere debuit, proque ea aliam posuit, minus significantem, sed magis usitatam. Hoc collegi ex adnotatione Servii ad IV. Aen. v. 132. *Massylique ruunt equites et odora canum vis:* Servius „Odora, non olens, sed odorem inveniens. Ergo improprie dixit. Tria sunt, odorum, quod per se olet, odoratum, quod aliunde odorem accipit, et odorisequum, quod odorem sequitur. Sicut modo de canibus debuit dicere." De L. Varii loco dixi in Epist. Crit. ad Valer. Flacci Argon. p. 85. Ulitius ad Nemesian. Cyneg. v. 235. *Namque et odorato noscunt vestigia prato, Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant:* retinuit vulg. *certa cubilia* hoc in versu, quem hic Naevii nomine laudat, cui quatuor illos ap. Terentianum versus non magis adscribi posse certissimum videtur, quam Livio Andronico.

Primus, quod sciam, huic Terentiani de Livio Andronico testimonio controversiam movit Jos. Scaliger, qui personatus in *Yvonis Villiomari Aremorici in locos controversos Rob. Titii Animadversorum libro* Lib. VI. c. 21. p. 129 s. ed. 2. 1597. ullum versum heroicum, nedum μείουρον scriptum esse a Livio Andronico negavit, illosque versus μειούρους a Laevio profectos censuit. Ejus sententiam tacite amplexus videtur N. Heinsius; qui ad Claudian. d. R. Pros. II. v. 148. hos versus Laevii nomine affert. Verum tamen Jos. Scaligero tum h. l., tum ad Festum s. v. *topper* p. 573. neganti, scriptum esse a Livio Andronico Hexametrum, refragati sunt C. Sagittarius in Comment. d. Livio Andr. §. VIII. p. 6. et Santenius ad Terentian. M. v. 1647. p. 231. sed ejus sententiam, cui etiam Osannus in Anal. p. 36. adstipulatur, vindicavit et omni exemit dubitatione Hermannus in Elem. D. M. Lib. II. c. 26. §. 2. p. 332. Quanto igitur magis vetus iste Virorum Doctorum error explosus videbatur, tanto majorem mihi fecit mirationem Bothius, qui ad Livii Andron. Trag. Incert. Fragm. 3. p. 14. denuo probatum ivit versus heroi-

cos, nec malos illos, a Livio scriptos esse; quid? quod suspicatus est, illum in vertenda Odyssea ab initio versum Homericum usurpasse; mox autem, sive operis difficultate deterritum, sive plebis Romanorum alliciendae gratia, ut quae non caperet perfectissimos numeros, consilio mutato in populari tum genere Saturniorum versuum substitisse: quae suspicio mihi videtur ab omni abhorrere verisimilitudine. Cf. Osannus ad Apulej. d. Orthogr. p. 45. Jam quod ad hoc, quod Terentianus servavit, Livii Fragmentum attinet, ei locum quidem inter Liviana concessit Bothius, sed ad Ennii Athamantis Fragm. p. 38. fatetur, sibi videri Terentianum M. et Marium Victorinum esse lapsos. Et profecto, quamvis concedamus excidisse nonnumquam primis illis Romanorum poetis tales versus, quales eorum auctores si ignorarentur, alio idque seriori tempore compositos judicaremus; tamen nemo, qui Livii poetae aetatem et opicam, quae in aliis ejus carminum reliquiis invenitur, orationem cognitam habet, diffitebitur, tantam dictionis et numerorum elegantiam, quantam his in Hexametris μειούροις deprehendamus, in semigraecum illum cascae antiquitatis poetam minime cadere. Quapropter jure eos Livio Andronico abrogandos censuit Hermannus in Handbuch d. Metrik §. 237. p. 137., in ejusque sententiam transiere alii multi, in his Lennepius in Addend. ad Terentian. p. 439., Osannus in Anal. p. 36. et Peerlkampius l. c. p. 34. Atque Osanno quidem isti versus adeo perfecti et omnibus numeris absoluti videntur, ut ante Augusti aetatem eos compositos esse posse neget; cui eatenus assentitur Peerlkampius, ut ipsi quoque elegantiores illi videantur, quam pro Livii Andronici captu et aetate, sed in tanta tamen elegantia tam nativum antiquitatis colorem elucere ait, ut neminem Augustae aetatis poetam, nisi qui consuetudinem temporis multo antiquioris affectaverit, ita scripsisse arbitretur. Hanc ob caussam Vir Doctus l. c. p. 38. istos Hexametros μειούρους adscribendos censet poetae cuidam, qui vel paulo ante Lucretium vel Lucretio aequalis vixerit. Cui Viri Doctissimi judicio equidem, subductis rationibus omnibus, non possum quin totus assentiar.

Jam quum §. 5. ea protulerim scriptorum testimonia, ex quibus probabiliter conficeretur, Laevium poetam Lucretii et Catulli fuisse aequalem aliquot lustris majorem, nemo est, quin intelligat, Jos. Scaligeri suspicio quam acuta sit et speciosa, utpote qua istos versus a Laevio profectos adversus Rob. Titium contendit. Qui hanc Scaligeri conjecturam impugnarunt Viri Docti, ut G. I. Vossius in Castigatt. et Nott. p. 7. 8., Reinesius Var. Lectt. Lib. I. c. 1. p. 126., C. Sagittarius in Comment. d. Livio Andron. §. VIII. p. 5. et Santenius ad Terentian. p. 232., ii imprimis adjecta illa a Terentiano verba *Grajo cognomine* urgebant, quae dubitare nos non sinant, quo minus ille Grammaticus istorum versuum auctorem Livium Andronicum, Latinorum poetarum principem, habuerit. Verum enim vero Scaligeri, qui sententiam suam breviter tantum declaravit, non ea fuit, si quid video, mens et consilium, ut Livii nomen in Terentiano corruptum et Laevii nomine permutatum vellet, sed id modo egit, ut ab ea, qua Livium vixisse constet, aetate elegantiam et numeros istorum versuum abhorrere, eosque Laevio potius, quam Livio tribuendos significaret, et tacito judicio Terentiani ea in re fidem et auctoritatem in dubium vocaret. Et quamvis, ut verissime judicat Hermannus in Elem. D. M. p. 354., permirum sit ac paene incredibile, Terentianum ita se decipi passum esse, ut hos versus a Livio Andronico scriptos crederet, tamen in tam manifestis serioris originis, quam isti produnt, indiciis, non video, quo tandem alio modo hanc expediamus difficultatem, nisi statuamus, bonum Grammaticum humani quid passum, et sive sua ipsius memoria, sive testimoniis aliorum in fraudem esse inductum. Nam quum Terentianus M. in excitandis veterum poetarum locis passim ab aliorum Grammaticorum libris pependerit, uti ipse testatur v. 1889. *Qui multos legêre, negant hoc corpore metri Romanos aliquid veteres scripsisse poetas;* poteratne fieri, ut quis Grammaticorum ei imponeret? At ipse quoque poterat labi memoria, cujus vacillantis in afferendo hoc Hexametrorum *μειούρων* exemplo et fluctuantis locupletissima testis mihi videtur vox *puto* v. 1952., quae vel ita accipi potest, ut nescierit, es-

sentne isti versus ex Inone, an ex alio carmine, vel sic ut dixisse videatur: Livius, ni fallor, vetus ille Andronici cognomine poeta: quam vim illi verbo tribui posse monet Peerlkampius, qui accommodate confert Martialis Lib. II. epigr. 41. v. 1. *Ride si sapis, o puella, ride, Peligmus, puto, dixerat Poeta.*

Haec habui quae de hoc perquam difficili et controverso dicerem loco, et quamquam ego non is sum, qui ejus litis, quae adhuc sub judice est, arbitrium faciam, tamen, ponderatis utrimque rei momentis, in eam, fateor, propendeo sententiam, ut Terentiani, quamvis docti Grammatici, in Livii Andronici nomine errorem aeque facilem, ac Scaligeri de Laevio conjecturam verisimilem esse credam, praesertim quum aliud ejusdem carminis supersit Fragmentum, quod Laevio poetae summo jure adscribitur.

VIII. Priscianus Lib. VI. p. 725. P. „Livius in Ione: *Seque in alta maria praecipem, inops, aegra sanitatis herois.*“

Krehlius Vol. I. p. 286. pro vulg. *Ione* Codices Mss. secutus *Ioē* dedit, quod in Ind. Auct. *Ἰοῖ* scribi jussit. Etiam Delrius in Syntagm. I. p. 162. ex Prisc. Codd. *Livius in Ioe* enotavit. Probe distinguendae sunt cognominis fabulae dramaticae, in quibus agitur vel Ion, Apollinis et Creusae filius, vel Io illa διστροπλήξ, vel denique Ino, Cadmi filia et Athamantis uxor, quae a Junone in furorem conjecta scopulum, ut Ovidius Metam. IV. 529 sq. ait, aequoribus imminentem occupat, *Seque super pontum, nullo tardata timore, Mittit onusque suum* i. e. Melicertam filium. Iûs seu Ionis fabulam scripsit Attius, cujus Fragmenta collegit Bothius T. V. 1. p. 210 sqq., ubi Prisciani Codd. item variant: *Attius in Ioe* seu *Ione:* vid. Krehl. ad Lib. VI. c. 1. §. 5. p. 219. et c. 4. §. 18. p. 231. Sed in hoc Prisciani loco quin legi debeat: Livius in *Inone*, nos non dubitare sinunt ipsa Fragmenti verba, quae praecipitem istum insanientis Inonis de rupe saltum manifesto spectant: id quod jam perviderunt Delrius l. c. G. I. Vossius in Castigatt. et Nott. p. 7. et Hermannus in Elem. D. M. Lib. II. c. 27. 1. p. 354. — Delrius et Vossius merito taxant Jos.

Scaligerum, qui in Catal. Virgil. ad Cirin v. 302. p. 69. hoc, quod Laevii esse dicit, Fragmentum ad Sapphonem ejusque de Leucade rupe saltum refert. Imprudens hoc scripserat Scaliger, ut qui ad Festum s. v. *rediviam* p. 429, 10. idem ex quodam Laevii poemate *Io* sumptum putaverit. Eumdem errorem repetiit nuperrime S. L. Plehn in Lesbiacorum Libro (Berol. 1826.) p. 186. Utroque autem loco ad Scazontes revocatum illud ita scribit:

Seseque in alta maria praecipem misit
Inops et aegra sanitatis herois.

Quam emendationem a Codd. Mss. haud parum discedere ratus G. I. Vossius, probata Delrii emendatione *Ino* pro *inops* legendum censet:

— — Seque in alta maria praecipem
Ino aegra sanitatis herois dedit.

Pro vulg. *inops* Krehlius e plur. Codd. *impos* dedit, et Delrius in Codd. pro *herois* invenit *diruit:* quo aliquatenus suppleta a Vossio lectio *dedit* juvatur. Bothius, rejecta Delrii conjectura *Ino*, vocabulum *aegra* de glossemate suspectum habet, quo modo ταυτολογικῶ putidoque negat quemquam esse locutum, atque, eliminato isto glossemate, sibi videtur hic Tetrametrum Trochaicum finali truncatum verbo invenisse:

Seque in alta maria praecipem inops sanitatis —.

Habet hoc Fragmentum in Livii Andronici Reliquiis H. Stephanus p. 145. Delrius in uno Prisc. Cod. pro *Livius* reperit *Levius* et Laevio poetae vindicavit illud Jos. Scaliger, Codd. Mss. auctoritatem secutus, ut fatetur Vossius, qui item in suo Prisc. Cod. diserte *Laevius* legit, neque tamen sequi ausus est, Terentiani deterritus testimonio. P. Scriverius, qui in Collect. vett. Tr. illud omiserat, Scaligeri sententiae accessit ad Auson. Cent. Nupt. p. 518. T. Recte, quandoquidem fere singula quaeque verba illius, qua Laevium floruisse suspicatus sum, aetatis indolem redolent. Jam quaerentibus nobis de Laevii Inone perquam difficile dictu videtur, fueritne fabula dramatica, an singulare poema, quod in ejus Erotopaegnion Libris locum habuerit. Athamantis et Inonis fata cothurno fuisse aptissima et a

tragicis utriusque antiquitatis populi poetis celebrata et locus Horatii A. P. v. 123. testatur et nuperrime docuit Welckerus in libr. *Die Aeschylische Trilogie Prometheus* p. 336 sqq. Atque sicut hoc, quod tractamus, Laevii Fragmentum Tragoedia dignissimum est, ita versus istos μειούρους suspicari possimus fuisse lectos in Hymno fabulae illi inserto, quem Chorus cecinerit in Dianam: cui Deae quî locus esse potuerit in Laevii Inone colligere licet vel ex Ovidio Metam. IV. 512. *Protinus Aeolides media furibundus in aula Clamat, Io, comites, his retia tendite silvis: Hic modo cum gemina visa est mihi prole leaena. Utque ferae, sequitur vestigia conjugis amens.* Quodsi vero Reuvensius in Collectan. Litter. Cap. IV. p. 74. (Lugd. B. 1815.) voc. διδαγμα ap. L. Lydum d. Magistr. Lib. I. §. 41. de dramate explicaturus, huc refert vocabulum *docimen*, quo pro fabula dramatica usum esse contendit Terentianum Maurum, quasi Grammaticus dicere voluerit, Livium Andronicum poetam scenicum in Inone fabula *docuisse* i. e. protulisse quaedam versu μειούρῳ; vereor, ne fallatur, quum v. *docimen* nihil aliud significet, quam *documentum*, *exemplum* illius, de quo exponit Grammaticus, versuum generis. In alia omnia abiit Reinesius Var. Lectt. Lib. I. c. 1. p. 126. qui Inonem s., quod praefert, Ionem, quam contra Scaligerum Livio Andronico asserit, lascivum quoddam poema fuisse dicit: cujus sententiae quum nullam ille addiderit rationem, fateor me nescire, quid dicam. Antiqua ista de Inone fabula quum a scriptoribus tam varie sit exposita, in eaque insignem habuerint locum Athamantis amores in Nephelen, Themisto et Antipheram ancillam, a qua Romani, teste Plutarcho Q. Rom. T. VII. p. 83. R., ritum quemdam in Leucotheae cultu observatum derivabant, nihil videtur obstare, quo minus eam a Laevio in Erotopaegnion opere diversis diversi metri poematis tractatam, et fortasse totum quemdam illius operis librum *Inonis* nomine inscriptum fuisse suspicemur.

IX. Festus s. v. *rediviam* p. 429, 10. „Livius:
Scabra in legendo, rediviosave offendens.“
ubi Scaliger *Laevius* pro vulg. *Livius* corrigit et Scazon-

tem ex illius poemate *Io* esse dicit. Cum Scaligero faciunt Dacerius ad Festum l. c., Scriverius ad Auson. l. c. qui nescio qua auctoritate legit *offendent*, et Forcellini in Lexic. s. v. *rediviosus*. Contra G. I. Vossius in Castigg. et Nott. p. 12. hoc quoque Fragmentum Livio Andronico vindicat, et temere a Scaligero tributum ait Laevii Inoni ob Scazontem; ipse illud sumptum existimat non tam ex fabula aliqua vel ex ejus Odyssea, quam ex praefatione operi praemissa. Id enim, inquit, verba ipsa suadent, quae conveniunt scriptori aut interpreti a dictionis impolitia se purganti. Ac ne illud quidem satis esse evidens ait, fueritne praefatio ista vincta, an soluta oratione scripta, cum summis etiam oratoribus passim versus excidisse constet. Praefationes vero fabulis praemitti solere, fidem fecerit vel Quintilianus I. Or. Lib. VIII. 3. §. 31. *Nam memini juvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an* gradus eliminat, *apud Accium in Tragoedia dici oportuisset.* Haec Vossius, qui, si quid judico, Quintiliani locum, in quo vv. *apud Accium* Codd. jussu omisit Spaldingius, perperam de fabularum dramaticarum praefationibus intelligit, in quibus obtrectatorum crimina et invidiam a se repulisse poetas scio, sed ibidem de Grammaticis nugis umquam disceptasse confidenter nego. Ego hic intelligo P. Pomponium Secundum et L. Annaeum Senecam, Tragoediarum scriptores; utrumque inter miratur Quintilianus de ejusmodi rebus non modo familiari sermone, sed etiam praefationibus librorum tractatum esse; quam vim voc. *etiam* h. l. Spaldingio acutius perspexit Wolfius. Sed ut redeam, unde digressus sum, Bothius illud Fragmentum incertis Livii Andronici Tragoediis accenset N. 17. l. c. p. 17. a quo poeta hic Scazon, meum qualecunque judicium si sequar ac sensum, duplici nomine alienus est. Primum enim mirum me habet laevis verborum politorum reique aptissimorum concursus ac sonus, qui in istam aetatem vix cadat; qua re non dubito quin etiam Scaliger permotus sit, hunc versum ut a semigraeco isto poeta scriptum negaret. Deinde magnopere me movet ipsius versus et sententia et consilium, quo scriptus

videtur. Nam etiamsi G. I. Vossius non persuadeat, istum Scazontem depromptum esse vel ex fabulae vel ex cujusvis operis praefatione, in qua scriptor se apud lectores de dictione purgaret, et etiamsi fortasse statuere praestet, poetam ipsum in legendis aliorum scriptis scabra et rediviosa offendisse eaque notasse, id tamen utramvis secuti sententiam concedamus necesse est, sermonem hoc in versu esse de opere, in quo justa verborum electio et constructio, principes illae elocutionis virtutes, desiderentur. Nam sicut oratio verborum abjectorum et obsoletorum usu tamquam sordibus et illuvie inquinatur, et *scabritiem* trahit, ita *reduviosam* dici puto orationem, cui desit concinna verborum lectissimorum compositio, ac lenis atque aequabilis tractus, quo cavetur, ne quid insit asperi atque hiulci, sed tota orationis forma laevigata sit, exacta et veluti ad unguem facta. Cf. de h. v. Salmasius ad Solin. c. 32. p. 316. Haec igitur dictionis vitia hoc in versu notantur ut offensionis plena. Atqui ita sive de suis ipsius sive de aliorum libris neque sentire quisquam neque scribere ac publice judicare potest, nisi qui aut ipse cognitas habet orationis virtutes istis oppositas vitiis, aut veretur, ne illas in ipsius scriptis deesse sentiant limatuli judicii aequales. Jam quis est, qui serio credat, Livium Andronicum fuisse eum, qui, quid suis in poematis Latinis crasse illipideve fuerit compositum, suopte senserit judicio? Quis aequales ejus litterarum elegantia ita fuisse politos putet, ut metuendum illi fuerit, ne offenderentur, si quid scabri aut rediviosi in poematis ipsius invenissent?

Quod quum neque de Livio ipso neque de ejus aequalibus dici queat, sequitur, ut iste versus non possit esse Livii Andronici, neque ullius alius poetae, nisi qui ea vixerit aetate, qua, ut verbis Horatii Epist. II, 1, 158. utar, horridus ille defluxerat numerus Saturnius et grave virus munditiis pulsum erat. Latinorum vero poetarum sermo tum demum excoli sensim emollirique coeptus est, quum elegantiae in oratione studium in singularum familiarum sinu conceptum fotumque invaluerat, et potissimum animos oratorum incenderat. In poetica dictione diutius manserunt

ruris vestigia, quae non solum Lucretii et Catulli adhuc carminibus videmus impressa; sed eadem etiam conspicua fuisse in poematis Laevii, quocum illos haud multis diremptos gradibus aetatis vixisse diximus, Reliquiae eorum satis testantur. Jam in tanto, quod tum vigebat, formandae ad omnem elegantiam orationis studio non mirum, si Laevius sua editurus poemata, quae *implicata* fuisse §. 5 et 6. docuimus, verebatur, ne suae orationis scabritie ac veluti reduviis politiores offenderet aequales. Haec igitur reputanti mihi impense, fateor, arridet peracuta suspicio Scaligeri, hunc Scazontem attribuentis Laevio. Quem vero versum quum idem ad Laevii Inonem pertinuisse conjicit, nulla alia ductus caussa, nisi quod ejusdem poematis Fragmentum proxime superius eodem metri genere scriptum videbatur, nemo non intelligit, hoc argumentum quam leve sit atque incertum. Ego illum Scazontem ad Erotopaegnia Laevii retulerim sumptum ex poemate, quod in fronte vel unius libri vel totius operis positum poemata amico cuidam vel lectoribus commendarit.

X. Priscianus Lib. X. p. 877. P. „Pellicui quoque pro pellexi veteres protulerunt. Livius in Laodamia: *Aut nunc quaepiam alia te illo Asiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio fulgens decore et gloria pellicuit.*“

Krehlius T. I. p. 474., cui Cod. Erlang. 2. *Naevius*, Heidelberg. *Lavius* et corr. *Livius* obtulerunt, tum hujus Cod. tum Luth. auctoritate ductus *Laevius* reposuit et pro vulg. *Laodamia* Mss. Heidelb. Erl. 1. 2. Luth. secutus rudiorem, ut ait, formam *Laudamia* edidit. Haec nominis forma *Laudamia* reperitur etiam in aliq. Codd. Justini Lib. XXVIII. c. 3. ubi tamen Gronovius *Laodamia* servavit. Ita *Laumedon* pro *Laomedon*. Festus p. 21. „*Alumento pro Laumedonti a veteribus Romanis nec dum adsuetis Graecae linguae dictum est:* ubi Jos. Scaliger suspicatur, Festum incidisse in depravatos codices Livii, a quo scriptum fuerit *Laumento*, ut semper veteres etiam posteriores scribere consuevissent: in his Petronius c. 89. v. 43. *infulis stabant sacri Phrygioque cultu gemina nati pignora Lauconte:* quam tamen lectionem nullus ibi

habet Petronii codex, sed vel *Laconte* vel *Lacoonte* et ad Cod. Leidensis marginem alleverat Scaliger *Lauconte*, ut monet Burmannus T. I. p. 564. Haec autem nominis forma legitur Codd. auctoritate ibidem v. 19. *omneLaucoon replet Clamore vulgus*, et ita Codd. ap. Virgil. Aen. I. 41 et 201. cf. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. Lib. I. ep. 110. T. I. p. 90. Scaligero, qui eadem in Catalect. p. 269 disputavit, Dacerius ad Festum l. c. ita assentitur, ut pro *Alumento* scribendum conjiciat *Alumeton*. Injuria autem Scaliger huc refert locum Plinii Lib. II. Epist. 14. §. 5. „*Inde jam non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudicoeni:* ubi a Gesnero sine idonea caussa alliteratio ad *Laodiceam*, quae et *Laudicea* sit dicta, invenitur, cum ista vox manifesto Latinae sit originis, imposita auditoribus, qui coenis ad recitantium laudem conducti erant et veluti iis emancipati. Caeterum scripturam *Laudicea* nonnisi posterioris aetatis esse probavit Tzschuckius ad Pomp. Mel. I. 12. §. 5. Vol. II. P. 1. p. 419 sq. Alia est ratio nominum ex Gr. θεὸς compositorum, ut *Theudotus* pro *Theodotus* ap. Ovid. Ibis v. 468. et *Theudosius* pro *Theodosius* ap. Claudian. in Rufin. I. v. 51. ibiq. Intpp. Quae Synaloephe Graecis etiam frequentata (vid. Gregor. Corinth. p. 119. ed. Schaef.) suam rationem habet in Dorica forma θεῦς, ut acute monuit Schaeferus ad Porsoni Euripid. Orest. v. 393. p. 44. edit. 3. Quapropter paene inducor, ut scripturam *Laudamia* apud Priscianum a nemine nisi a librariis profectam putem. G. I. Vossius in Castigg. et Nott. p. 9. verba *te illo* mendosa suspicatus, totum hoc Fragmentum, praeeunte Jos. Scaligero ad Varron. d. L. L. V. T. II. 157. Bip., qui v. *te illo* ejecerat, ita legit digessitque:

Aut
Nunc quaepiam alia de Ilio,
Asiatico ornatu adfluens,
Aut Sardiano aut Lydio
Fulgens decore et gloria,
Pellicuit.

Quocum facit Osannus in Anal. p. 54. nisi quod v. 1. legit:

Aut nunc quaepiam alia te illico. Delrius in Syntagm. Tr. I. p. 162. in plerisque Codd. Mss. *fluens* legi adnotavit. Cum Scriverio, Vossio et Delrio hoc Fragmentum in Livii Andronici Tragoediis reposuit Bothius atque in Iambos Tetrametros redegit:

Aut alia nunc te quaepiam Asiatico ornatu adfluens,
Aut Sardiano, aut Ludio, fulgens decore et gloria.

ubi Wüstemannus opinatur, haec Laodamiae esse verba viro dicta, quum potestas ipsi facta esset colloquendi cum mortuo per tres horas: vid. Hygin. Fab. 103.

XI. Priscianus Lib. IX. p. 869. P. „Livius in Protesilao:

Cupidius miserulo obito".

Priscianus haec verba allegat, ut doceat, *obitus* passim significare τεθνεώς. Pro *Cupidius* ap. Junianum Majum *Cupidinis* invenit G. I. Vossius et in suo Msto *Laevius*, quod nomen Cod. Lips. 1. firmatum edidit Krehlius Vol. I. p. 464. Cum H. Stephano et Scriverio haec verba Livio Andronico attribuit Bothius, et item Delrius, cui dubium videtur, sitne *Protesilaus* eadem fabula, quae *Laodamia* dicatur.

XII. Gellius N. A. Lib. XII. c. 10. „Laevius quoque, ut opinor, in Protesilaodamia

claustritumum

dixit, qui claustris januae praeesset; eadem scilicet figura, qua aeditumum dici videbat, qui aedibus praeest."

Cod. Ms. Regius, teste Gronovio, *Livius*, sed duo Lugd. et Patav. et Codd. Ursini habent *Laevius*, quod in textu posuit Gronovius. Delrius in Syntagm. I. p. 168. e Venet. *Levinius*, ex Argentin. *Livius*, ex Parisiens. *Levius* enotavit. Lion, etsi in Cod. Guelph. legerat *Levinius*, in Junt. *Levius*, tamen *Livius* inconsulto in textum revocavit, secutus Bothium.

XIII. Priscianus Lib. VI. p. 703. P. „Naevius in Protesilaodamia: *Complexa somno corpora operiuntur ac suavi quie dicantur.*" Omn. Codd. *Naevius.* Gronovius ad Gellium l. c. in suo Msto reperit: *Nevius in protesilao. Laudamia complexa* etc. Krehlius, Gellii testimonio

permotus, vel invitis Msstis *Laevius* textui intulit, et ob Codd. consensum *Laudamia* scripsit, atque utrumque nomen, quod vulgo sejunctum in Msstis legitur, conjunctum edidit *Protesilaudamia*. Cum Krehlio facit Osannus in Anal. p. 55., qui his in Laevii verbis Dimetros agnovit ita scriptos ac dispositos:

Complexa somno corpora
Adoperiuntur ac quie
Suavi dicantur.

G. I. Vossius in Castigg. et Nott. p. 72. pro *dicantur* legendum proposuit vel cum Scriverio *dantur* vel *rigantur*. Krehlius in uno Cod. *ducantur* invenit. Vulgatum tuetur Bothius Vol. V. P. 1. p. 91. qui hoc Fragmentum Naevio tributum ad Iambum Tetrametrum redegit sic:

Complexa somno corpora operiuntur, ac suavi quie,
Dicantur.

XIV. Nonius s. v. *gracilitudo* p. 116, 7. „Naevius Protesilaodamia:

Gracilentis colorem, dum ex hoc gracilens fit.“

Ita Osannus et Bothius pro vulg. *gracilans* scripserunt. G. I. Vossius l. c. in Aldin. et aliis vulg. editt. *Ennius Protesilao, demia gracilentis;* in Med. *demuo gracilens fit* reperit, et in Nonio corrigendum censuit. „*Ennius in Protesilaodamia:* Gracilentis colorem. *Idem:* Ex hoc gracilens fit.“ Sed Osannus l. c. lacunosum Nonii locum e Cod. Guelpherb. ita supplet, ut post v. *dubitem* addantur: *Ennius Lib. VII. Deducant habiles gladios filo gracilento*, uti pro *gracilendo*, quod Codex praebet, bene emendat: cf. Friedem. et Seebod. Miscell. Crit. Vol. I. p. 560. H. Stephanus in Fragm. P. V. L. p. 229. edidit: *Vide gracilentis colorem, dum et quam cito factus est gracilens;* Delrius, qui ediderat: *Demia gracilentis colorem* etc. postrema correxit: *Orco gracilens exiit.* Bothius ingeniose tentavit: *Naevius Protesilao:*

Dem jam macilentis colorem, dum ne ex hoc macilens siet.

XV. Nonius s. v. *jocus* p. 209, 29. „Naevius Protesilaodam. (sic)

Ineunt, irruunt, cachinnos, joca, dicta risitantis." H. Stephanus l. c. depravatis, ut videtur, Nonii Codicibus usus dedit: *Clam ineunt, irruunt, cachinnos joca, dicteriis itatis.* Pro *ineunt*, quod Mercerus pro vulg. *eunt* dedit, conjecit G. I. Vossius *in eum* et pro *risitant* suspicatus est *usitant*, quod obsoletum sit pro *usurpant:* hinc refinxit:

In eum irruunt cachinnos: joca, dicta usitant.

Minus feliciter tentavit Delrius in Syntagm. Tr. I. p. 169. *dicteria itilant.* Denique Bothius proposuit vel: *In eum ruunt* (active) *cachinnos, joca, dicta visitantes;* vel: *Ineunt, inruunt, cachinnos, joca dicta missitantes.*

§. 10.

Jam quicumque his Vett. Poetarum Reliquiis operae quid ac studii navarunt, una, quod sciam, voce ac consensu Fragmenta XIII, XIV, XV. adscripserunt Naevio et ab hoc et a Livio Andronico cognominem scriptam esse fabulam existimarunt. Nostra demum memoria Osannus in Anal. Crit. c. 3. p. 54 sq. omnia, quae Protesilai vel Laodamiae vel Protesilaodamiae nomine feruntur Fragmenta, uni Laevio vindicavit, hac potissimum ductus ratione, quod Fragm. X. et XIII. Dimetris iambicis sint scripta, quo metri genere Laevii Erotopaegnia composita fuisse probare studuerat. Quod quidem argumentum, quamvis leve sit et ambiguum, quum Laevianorum Erotopaegnion Libros diversa diversorum versuum poemata complexos esse veri sit similius, tamen, si dictionis poeticae colorem et numerorum elegantiam specto, abhorrentem profecto a Livii Andronici ac Naevii aetate, non dubito, eadem Fragmenta tribuere Laevio, cujus aetati atque ingenio egregie respondeant. Magno opere etiam mihi arridet ejusdem Viri Docti sententia, qua credit, triplex illud, quo haec Fragmenta a Grammaticis allegentur, nomen ad unius ejusdemque Erotopaegnion Libri inscriptionem esse revocandum. Etenim in his amorum lusibus, quos Laevius scripsit, omissum fuisse nobilissimum illud ac fidelissimum Protesilai et Laodamiae conjugium, quis serio sibi persua-

deat? Et quum Delrius in Syntagm. Trag. I. p. 169. dicit, in hac Naevii fabula actas videri iteratas post obitum utriusque conjugis nuptias, fateor, id me non satis assequi, licet me minimè fugiat, et ab Euripide et ab Anaxandrida Rhodio, comico poeta, *Protesilaum* esse scriptam. Equidem haec, quae modo attulimus, Fragmenta ad eam Erotopaegnion partem pertinuisse suspicor, in qua expositum erat, quae fuerit Laodamiae cum Protesilao ab inferis in tres horas reduce congressio, varie sine dubio a Graecis poetis atque artificibus tractata, ut vel vetus illa sarcophagi imago docet, quam ex Visconti Museo Pio-Clement. V. 18. exhibuit Millinus in Gal. Mythol. Tab. CLVI. n. 559 et 561., docte illustratam a Welckero in *Zeitschrift f. G. u. Ausl. d. alt. Kunst.* Vol. I. p. 428 sq. et p. 605: qua pictura plurimum lucis lucrantur singula haec Laevii Fragmenta. Neque si memineris quae supra §. 6. de Erotopaegnion opere ac singulorum ejus librorum titulis disputavimus, intellectu erit difficile, qui fieri potuerit, ut, quae ex uno eodemque operis illius libro deprompta essent Fragmenta, triplici a Grammaticis allegarentur nomine. Laevius enim quum veterum scriptorum narrationem de Protesilai et Laodamiae amore, qui et variae tractationis capax esset et multiplicis ornatus, haud dubie diversis exposuisset poematis, factum est, ut vel singula propriis inscripta nominibus laudarentur poemata, vel totus Erotopaegnion liber, illa qui complecteretur ejusdem argumenti poemata, communi *Protesilaodamiae* nomine insigniretur. Hoc, opinor, modo evanescit difficultas, quam, sivè de Tragoedia sive de Comoedia cogitamus, attulit Viris Doctis inscriptio *Protesilaodamia*, quamvis eam defenderit Mercerus ad Nonium p. 162. Sed id nomen jam Th. Reinesius Var. Lectt. Lib. III. c. 2. p. 372. divisim scribi maluit, injuria ideo reprehensus a Gronovio ad Gellii N. A. Lib. XII. c. 10., itemque Bothius Vol. V. P. I. p. 13. ejusmodi inscriptiones fabularum, utpote inficetas et sensu cassas, ubicunque fuerint obtrusae, rejiciendas dicit et divisim scribendas, ut *Protesilaus seu Laodamia*, cum multae veterum fabulae bifariam fuerint inscriptae, velut Euripidis Hippolytus, Plauti

Bacchides, aliae. De duplici hoc fabularum veterum nomine copiosius exposuerunt Boeckhius in Gr. Trag. Princip. c. 28. p. 299. et Welckerus in d. *Aeschyl. Trilogie* p. 340. et in Ind. s. v. *Sophocles.*

XVI. Scriverius p. 4. et Bothius Vol. V. P. I. p. 12. ad Livii Andronici Laodamiam referunt locum Varronis d. L. L. Lib. V. p. 77. Vol. I. Bip.: „*Quare una origine* inlicio *et* inlicius, *quod in choro Proserpinae est.*“ Ad quem locum Jos. Scaliger in Conject. p. 103. ed. 1573. et Vol. II. p. 157. Bip. haec: „Chorus Proserpinae, nisi fallor, erat in Laodamia Livii Andronici: in qua introducitur Laodamia exorans Proserpinam, ut sibi frui liceat complexibus viri mortui.“ Hujus opinationis suae rationem Scaliger invenit in v. *pellicuit*, quod Priscianus Lib. X. p. 877. P. ex eadem Livii Andronici fabula protulit: vid. supr. Fragm. X. Res admodum dubia, quam praestat in medio relinquere. Caeterum Spengelius Lib. VI. p. 273. h. l. edidit: „*Quare una origine* Illici *et* Inlicis, *quod in choro Proserpinae est.*“

XVII. Non majori jure Laevio adscribuntur, quae Nonius s. v. *assulatim* p. 72, 23., s. v. *morsicatim* p. 139, 24. et s. v. *asperiter* p. 513, 21. ex *Naevii Pullis* profert. Mercerus in Not. p. 127. quum in Msstis suis *Vaejus* pro *Naevius* legisset, sibique haec fabulae inscriptio *Laevii* socco dignior visa esset, quam Naevii cothurno, in Nonio maluit illius reponi nomen. In Cod. Guelpherb. s. v. *assulatim* legitur: *dabo va ejus pullis:* vid. Friedemanni et Seebodii Miscell. Crit. Vol. I. p. 554. Bothius his Fragmentis in Naevii Comoed. Reliquiis Vol. V. P. II. p. 18. locum dedit.

XVIII. Priscianus Lib. VII. p. 739. P. „In us vero terminantia, si sint propria, i ante us habentia, abjecta us faciunt vocativum, ut hic Virgilius, o Virgili, hic Sallustius, o Sallusti, hic Pompejus, o Pompei. Haec tamen eadem etiam in e proferebant antiquissimi, o Virgilie, o Mercurie dicentes. Livius Andronicus in Odyssea: *Neque enim tè oblitus sum Laertie noster.* Livius in Sereno: *Cura nunc Laertie velle para ire Ithacam.* Laertius

enim pro Laertes dicebant: quomodo et Graeci *Λαίρτιος* pro *Λαέρτης.*"

Krehlius Vol. I. p. 303. edidit: *Livius in Odissia: Neque enim oblitus sum te, o Laertie noster.* *Te* secundum Codd. Zwicc. I. Dresd. Erl. 2. transposuit, et *o* e Cod. Erl. 2. recepit. Pro *enim* Codd. Lips. 2. Zwicc. 2. *tamen.* Hermannus in Elem. D. M. Lib. III. c. 9. 11. p. 618., qui a Cod. Zwicc. 2. *enim* et a Zwicc. 1. *te* omitti ait, hunc versum ex Homeri Odyss. I. 65. conversum scripsit:

Neque enim te oblitus sum, Laertie noster.

In seqq. dedit Krehlius: *Laevius in Sireno: Circa nunc* etc. Ex Cod. Lips. 2. *Laevius;* ex Codd. Lips. 1. 2. Erlang. 1. 2. Heidelb. Zwicc. 2. Luth. *Sireno,* et ex Zwicc. 1. 2. Dresd. Lips. 1. 2. Luth. *circa* scripsit. Pro *ire* Zwicc. *iter,* pro *nunc* editt. Venet. *ne.* Hoc de loco ita disputavit Hermannus l. c.: „Quod statim subjicitur ap. Priscianum *Livius in Sereno, cura nunc* etc., etsi videri potest ad Odysseam Lib. V. 162. pertinere, tamen alium poetam nominatum a Prisciano esse apparet. Zwicc. sec. *Lucretius;* primus et liber D. Jacobi *Livius.* Alter Paullinus *Levius.* Omnes *in Sireno,* nisi quod Zwicc. pr. *in Syreno.* Omnes etiam *Lertie.* Non puto damnandum esse imperativum *circa* i. e. *retro verte te.* Scribendum videtur: *Laevius in Sirene:*

Circa nunc, Laertie: vela para ire Ithacam."

Priscianus quum hoc Fragmentum subjecerit allegato ex Livii Andronici Odyssea versui, jam H. Stephano in Fragm. P. V. L. p. 148. scrupulus est injectus de Livii Sireno, quandoquidem, si ejusdem poetae fuisset exemplum, haud dubie scripsisset: *Idem in Sereno.* Delrius in Synt. Tr. I. p. 163. adnotavit, se in optt. Mstis invenisse: *Levius in Sirene, Circa nunc Lertie* etc., idque praeferendum dixit, cum praecesserit continuo locus Livii Andronici, ut videatur repetitione nominis supersedendum, et haec verba Sirenis Ulyssem alloquentis esse existimavit. Ambigit etiam G. I. Vossius d. Analog. Lib. II. c. 5. p. 215. Vol. II. Opp. hoc Fragmentum *Livii Andronici* sit, an *Laevii,* et quum in suo Prisciani Msto reperisset *Sinere,* in edit. Venet.

1476. *Sireno*, legendum suspicatur: *Sirene*. Permira, ne gravius quid dicam, sunt quae Kordesius ad Eberhardti lib. I. p. 26 sqq. scripsit, qui, quum sibi persuadere non posset, Sirenum fuisse Tragoediam, et omnino a Livio Andronico Comoedias scriptas negaret, in Prisciani verbis *Livius in Sereno* latere autumavit: *Non minus Serenus*, et Septimium Serenum poetam intellexit, de quo Terentiani Mauri aequale, ut nuper Santenius in Praefat. ad Terent. M. p. III. docuit, praeter Wernsdorfium in P. L. M. T. II. p. 247. ipse docte ac copiose egit. Illa correctio, perquam audax et violenta, tanto majorem facit mirationem, quanto propior erat Kordesius verae illius loci emendationi, dum *Gladiolum* ap. Festum p. 331., *Lydium* ap. Eund. p. 488. et *Virginem* ap. Eund. p. 280., quas vulgo Livii Andronici Comoedias esse dicunt, *Laevio* tribuendas esse contendit. Contra Osannus in Anal. Crit. p. 52. id egit, ut cum eas, quas modo memoravimus, Comoedias, tum etiam *Serenum* Livio vindicaret, cujus tamen fabulae nomen, cum in ejus Fragmento de Ulysse sit sermo, depravatum putavit ex *Sirene* vel *Sirenibus*, cujus nominis Comoedias ab Epicharmo, Nicophonte, Theopompo scriptas esse attestetur Athenaeus. Osannum haec scribentem latebat adhuc Hermanni disputatio, cujus demum in Addendis meminit ita, ut, quam de Sirene Livii Andronici Comoedia proposuerat sententiam, tuendam arbitraretur. Verum tamen in tanta rerum evidentia mihi vix dubium videtur, quin Hermannus, qui in Prisciano *Laevius in Sirene* scribendum censuit, veram Grammatici manum restituerit; si quis vero quaerit, utrum Laevii Sirene fabula dramatica fuerit, nec ne, habeo, quod respondeam. Laevius, si tot composuit dramata, quot et nomine et reliquiis tradita a Grammaticis accepimus, erit profecto, quod altum de hoc tam multorum dramatum scriptore miremur antiquitatis silentium. Atqui ille quum uno Erotopaegnion opere aliquam famam ac laudem inter Latii poetas sit consecutus, illius autem operis eam fuisse rationem §. 11., quantum ejus fieri poterat, probaverimus, ut diversa complecteretur diversi argumenti ac metri poemata propriis quaeque inscripta

nominibus; haud temere nobis videmur suspicari, Sirenem quoque neque Comoediam fuisse, neque Tragoediam, sed singulare quoddam poema, ac fortasse Erotopaegnion partem, in qua fabulam de Sirenibus et Ulysse, earum insulam praetervecto, copiose exposuisset Laevius. Itaque hanc sententiam si in caeteris quoque, quae ordine recensuimus, Laevii poematis amplectimur, non mirum erit, cur de Laevio, scenicarum fabularum scriptore, omnis sileat antiquitas.

§. 11.

Sed idem Laevius perhibetur etiam Cypriae Iliados sive scriptor, sive interpres heroico versu exaratae, cujus hae sunt reliquiae:

XIX. Charisius Inst. Gr. I. p. 118. P. „Torques, hic et haec torques — ita dixisse veteres Caper his exemplis docet. Naevius Cypriae Iliados Libro I.

Collum marmoreum torques gemmata coronat.“ Cn. Naevio h. versum tribuunt H. Stephanus p. 224., Wernsdorf. P. L. M. Vol. IV. P. II. p. 572 sq., Heynius in Excurs. I. ad Virgil. Aen. II. p. 311. ed. 3., Santenius ad Terentian. M. v. 1647. p. 233., et Wüllnerus d. Cyclo Epico (Monast. 1825.) p. 71. vulgarem opinionem dubius amplectitur, et versum illum spectare putat ad unam Dearum, de venustatis principatu certantium, quas Mercurius, Jovis jussu, ad Paridem duxerit. Heynius, quum a Naevio carmen de Bello Punico secundo scriptum sit, non improbabile esse censet, ejusdem etiam esse Cypriam Iliadem. Ad idem carmen respici putat a Servio ad Aen. I. 273.: „*Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.*“ et ad Aen. III. 10.: „*Naevius enim inducit uxores Aeneae et Anchisae cum lacrymis Ilium relinquentes his verbis:*

amborum
Uxores noctu Trojad exibant capitibus
Opertis, flentes ambae, abeuntes lacrimis multis.“

ut h. verba ad versus Saturnios revocavit Hermannus in Elem. D. M. L. III. 9. §. 31. p. 630. Bothius, G. I. Vossium in Cast. et Nott. p. 76. secutus, quamvis et ipse in his Saturniorum speciem agnoscat, tamen ea in Naevii Tragoe-

diis posuit Vol. V. P. I. p. 96. et, retenta lectione *Troade* expulsoque v. *abeuntes*, quod pro putido interpretamento v. *exibant* habet, v. 3. scribit: *Opertis, flentes ambae lacrumis cum multis.* Sed recte contra Heynium monet Hermannus, haec locum habere potuisse in aliquo Naevii libro d. Bell. Pun., quo nuper recepit E. Spangenberg. in Q. Ennii Annal. et Cn. Naevii Fragm. p. 191. Hermanni sententiam secutus est Niebuhrius in Hist. Rom. Vol. I. p. 198. ed. 2. Atque hoc ipsum Fragmentum docere potuisset Heynium, illum Hexametrum non magis Naevio tribuendum esse, quam alium, quem attulit

XX. Priscianus Lib. X. p. 881. P. „Secundum quartam conjugationem producta penultima protulit (v. *potiri*) similiter Naevius in Iliad. II.

Foecundo penetrat penitus thalamoque potitur.“

Hunc quoque Hexametrum Naevio una voce ac consensu adscribunt H. Stephanus, Wernsdorfius, Heynius, Santenius atque etiam Krehlius Vol. I. p. 479., improbata suspicione G. I. Vossii, qui d. Analog. Lib. III. c. 35. p. 318. Tom. II. Opp. pro *Naevius* legendum suadet *Laevius*, quem jam Cypriae Iliados auctorem fecerat Jos. Scaliger ad Ausonii Cent. Nupt. p. 571. ed. Toll. In Scaligeri et Vossii sententiam transierunt Osannus in Anal. Crit. p. 37 sq. et Hermannus Elem. D. M. L. II. 26. §. 2. p. 333. A Vossio discessionem fecit Scriverius ad Baudii Amores p. 416., cui pro *Naevius* ap. Priscianum legi placuit *Nimnius*, ad quem ipse Vossius l. c. c. 24. p. 305. retulit locum Priscian. Lib. IX. p. 866. „Nimius Cassius in XXIII. Iliad. *Nam non connivi oculos ego deinde sopore:*“ ut in textu edidit Putschius, sed in Ind. Auct. recte *Nimnius Crassus;* quam lectionem firmavit Vossius l. c. et d. Poet. Lat. c. 2. p. 237. T. III. Opp., ubi *Nimnium Crassum* in Maecenatis Epigrammate ap. Suetonium in Vit. Horatii significari opinatur: quam opinationem bene refutat C. Fea. In Ninnii Crassi nomine consenserunt etiam optt. Codd. Krehlii, quem videsis Vol. I. p. 459. Hujus poetae item meminit Nonius s. v. *fite* p. 475, 15. „Crassus Lib. XVI. Iliados:— *Socii nunc fite viri*“, quem versum Vossius cum Scaligero legit: *Nunc*

socii, *nunc fite viri*. Quo facto Nimius Crassus in Homeristas Latinos relatus est a Fabricio in Bibl. Gr. Vol. I. p. 428. H.; sed Jos. Scaliger ad Varron. d. L. L. VI. p. 236. T. II. Bip. ap. Priscianum et Nonium reponi maluit *Cn. Mattium*, clarissimum illum Mimiamborum scriptorem, quem constat Latine convertisse Homeri Iliadem, cujus Fragmenta collegit Wernsdorf. P. L. M. Vol. IV. P. II. p. 568 sqq. qui, an umquam vixerit Ninnius Crassus poeta, haud temere dubitat et Scaligero totus assentitur, uti etiam Struvius *Ueber d. Lat. Decl. u. Conj.* p. 236., ita tamen, ut, retento nomine *Crassus*, totum Nonii locum scribendum putet: *Cato de praeda militum dividenda: tu dives fito Crassus. Cn. Mattius* etc. At, si quid intelligo, correctio *fito* adversatur Grammatici praecepto et reliquis, quae protulit, exemplis. De *Ninnio Crasso* videsis Huschkium in Comment. d. C. Annio Cimbro p. 9. N. 2. Caeterum Wüllnerus l. c. p. 73. illum Naevii seu Laevii versum ad Paridem pertinere probabiliter conjicit; *fecundum* autem *thalamum* intelligi malim de conclavi nuptiali, quam de gaza.

XXI. Chalcidius in Timaeum Platonis Cap. 5. §. 71. p. 159. Meurs. „At vero sub Luna usque ad nos omne genus motuum, omne etiam mutationum, prorsus ut est in vetere versu Naevii

Exuviae, *rabies*, *furiarum examina mille*;“

quem versum ex Naevii Iliade, quam Hexametris versibus scripserit, petitum putat Fabricius in edit. Hippolyti Episcop. et Mart. Opp. p. 309. Vulg. *exuviis rabies:* Fabricius, quum in Cod. *eximiae* invenisset, conjectura dedit *Exuviae.* Wernsdorfius l. c. hunc versum ad *Naevii Cypriam Iliadem* retulit, et Osannus in Anal. Crit. p. 38. Laevio tribuit. Equidem nihil definire ausim, nisi hoc, tres illos, quos apposui, Hexametros a Naevio non esse scriptos, quia neminem apud Romanos ante Naevium et ne hunc ipsum quidem heroico versu usum esse verissime dicunt Jos. Scaliger et Hermannus.

XXII. Apulejus de Orthographia p. 123. ed. Maji. Romae 1823. „Naevius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.“ Ita Angelus Majus Codicem secutus edidit; sed, qui de hoc Apuleji libello praeclare meruit, Osannus §. 15. p. 7. summo jure *Laevius* pro *Naevius* reposuit. Idem vir eruditissimus cum Ursino statuit p. 16., illum versum expressum esse ex Homeri Iliad. Libr. VIII. v. 2. 3. Virgilius Laevii versum maluerim integrum transtulisset in Aeneid. Libr. X. v. 1.

DE

C. LICINIO CALVO POETA.

§. 1.

Quum Calvus ejusque familiaris Catullus a Romanorum scriptoribus in eorum numero soleant referri, circa quos, ut A. Gellius alicubi ait, effloruit quicquid venustum et Gratiarum plenum Graeciae opponere posset Latium; mirum profecto quemvis teneat necesse est, quod Horatius, summus Graecorum admirator et aemulator felicissimus, Satira decima Libri I. utriusque poetae cum contemptu quodam meminit, eorumque poemata velut aliud agens obliquo judicio carpit v. 16.

Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi: quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

Cujus loci vis et acumen quo melius perspiciatur, de Calvi vita ac studiis paulo accuratius exponere placet.

Nam inter omnes hodie, quantum sciam, Horatii Interpretes convenit, *Calvum*, cujus poemata Hermogenes ejusque simius, Demetrius, indignante Flacco, cantarent, esse *C. Licinium Calvum*, nobilissimum illum oratorem, Ciceronis aequalem et aemulum, et amicum Catulli poetae, quocum hic contemptim et satis invidiose componitur. Id quum jam testentur Scholiastae ad h. l., mirabilem admisit errorem *I. B. Carpzovius*, qui, *P. Crinitum d. Poet. Lat.* c. 20. secutus, in *Paradoxo Stoico Aristonis Chii* etc. Lips. 1742. p. 214 sq., neglectis veterum scriptorum testimoniis, Calvum oratorem a Calvo poeta distinxit. De

Calvo oratore, praeter Editores Ciceronis, Senecae Rhetoris et Quintiliani, a quibus passim illius mentio injicitur, *Jac. Nicolajus Loensis* in Gruteri Thes. Crit. T. V. p. 366., *J. N. Funccius de viril. aet. Ling. Lat.* P. II. p. 11 sqq. et, cujus libri nulla mihi haec scribenti facta est copia, *Levesque de Burigny* in *Mémoir. de l'Academ. d. Inscript.* T. XXXI. p. 122 sqq. singulatim exposuerunt. Quare de oratoria ejus facultate cursim tantum hic dicam et nihil, nisi quae tum rectius constituenda tum supplenda sunt, copiosius tractabo.

§. 2.

Quod primum ad C. Licinii Calvi natales attinet, Plinius H. N. Lib. VII. c. 50. T. III. p. 227. ed. Fr. haec memoriae prodidit: *C. Mario Cn. Carbone III. Coss. a. d. quintum Kalend. Junias M. Caelius Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt; oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu* [1]). Calvus igitur noster natus est C. Mario, C. Marii septies Consulis filio, et Cn. Papirio Carbone III. Coss. d. XXVIII. Maji a. U. C. 672., quo anno Sulla Dictator, scelerata et cruenta hasta in foro posita, et optimorum et locupletissimorum civium bona, tamquam praedam suam, vendebat.

---

1) Harduinus edidit *M. Caecilius Rufus* intellexitque M. Caecilium, Calpurnii Bestiae accusatorem, a Plinio Lib. XXVII. cap. 2. T. VIII. p. 8. memoratum, quem Praetorem fuisse dicit P. Corn. Lentulo Spinthere et Q. Caecilio Metello Coss. a. U. C. 697. Sed ille Praetor non *Marcus*, sed *Lucius* dicitur a Cicer. p. Mil. c. 14. et in Orat. p. Red. in Sen. c. 9.; deinde *Rufus* est cognomen *Caeliorum*. Itaque Ernestium in Clav. et Ruhnkenium ad Vellej. Pat. II. 68. secutus hic intelligo *M. Caelium Rufum*, excellentis ingenii oratorem, nec tamen moribus commendabilem, de quo, praeter Ernestium in Clav., vid. Funccius d. Cl. Orat. p. 13. et Manutius et Wetzelius ad Cicer. Epistol. Libr. VIII. Utrumque nomen *Caecilius* et *Caelius* confusum est a librariis ap. Cicer. Or. pr. Mil. c. 14. ibiq. Abram. et ap. Priscian. Lib. VIII. 4. §. 372. Kr. cf. praeter Ruhnken. ad Vellej. Paterc. l. c., Ang. Majus in Schützii Cicer. Opp. Vol. XVI. P. 3. p. 280. et Interpp. ad Dion. Cass. Lib. XLII. c. 22. Vol. V. p. 337. St. — Plinii verba: *dispari eventu* malim referri ad diversa judicia de oratoria utriusque facultate, quam ad dispar vitae mortisque genus; vid. Intpp. ad Jul. Caes. Comment. de B. Civ. c. 22. et Dion. Cass. Lib. XLII. c. 25. Caeterum in Plinii loco pro v. *sed tam dispari* fidenter ego correxi, *sed tamen*: cf. Beier. ad Cicer. d. Offic. Lib. II. c. 6. §. 22. T. II. p. 44.

Gens Licinia, ex qua ille oriundus, plebeja quidem erat, sed antiqua et multis nobilitata familiis, inter quas *Calvos* primus, quod sciam, illustravit P. Licinius Calvus, qui, quum a. U. C. 354. unus ex plebe Tribunus militum consulari potestate creatus fuisset, eundem honorem a. U. C. 358. sibi, haud invitis Patribus, delatum ob affectum senio atque infirmum corpus detrectavit, et in concione cognominem filium rei publicae pro se vicarium dedit dedicavitque: id quod petenti patri, expertae moderationis viro, datum est, narrante Livio Lib. V. c. 12. et 18. Eodem saeculo inclaruit etiam C. Licinius Calvus Stolo, vir, ut diserte Livius Lib. VI. c. 34. ait, illustris quidem, plebejus tamen, cui a diligenti agriculturae studio *Stolonis* cognomen inditum refert Varro d. R. R. Lib. I. cap. 2. §. 9. ibiq. Schneider. T. I. P. II. p. 256 sq. Hic cum L. Sextio a. U. C. 378. Tribunus pl. factus promulgavit leges, Patrum opibus perniciosas, utilissimas vero Plebis commodis, quae, multorum in civitate motuum genitrices, decimo demum anno post, suadente M. Camillo, quintum Dictatore ac domesticae quoque pacis auctore egregio, perlatae sunt: quo quidem anno U. C. 388. L. Sextius primus ex plebe consul est creatus [2]). Atque hoc summo magistratu ipse C. Licinius Calvus Stolo biennio post cum C. Sulpicio Petico functus est a. U. C. 390. Hoc anno, teste Livio Lib. VII. c. 2., nihil dignum memoria actum est, nisi quod, gravi pestilentia urbem urente, pacis Deûm exposcendae caussa, praeter lectisternium, ludi quoque scenici per ludiones ex Etruria accitos publice instituti sunt. Quum vero uterque iterum Consul esset a. U. C. 393. praeterquam quod in Hernicos et Tiburtes exercitus ducendi erant, Dictator etiam fuisse traditur T. Quinctius Pennus, quem *Macer Licinius* comitiorum habendorum caussa et ab Licinio consule dictum scripserat, quoniam, collega (C. Sulpicio Petico) comitia bello praeferre festinante, ut conti-

2) De Legibus his *Sextiis Liciniis* egit *Bach. in hist. Jurispr. Rom.* Lib. II. c. 2. §. 10 sqq. ibique Stockmann p. 137 sqq. ed. 6. cl. *Heineccii Antiq. Jur. R.* in Append. Lib. I. c. 1. §. 60. p. 280. ed. Haubold.

nuaret consulatum, obviam eundum pravae cupiditati fuerit. Consulto hic usus sum ipsis verbis Livii Lib. VII. c. 9. qui, quum ejus rei nullam invenisset in vetustioribus annalibus mentionem, relicta auctoritate *Macri Licinii*, quem, ut ait, quaesita ea narratione propriae familiae laus leviorem faciat auctorem, alios secutus scriptores, tumultus Gallici caussa, dictum arbitratur illum Dictatorem.

§. 3.

Jam *Macrum* illum *Licinium*, quem suae gentis h. e. Liciniae studio digressum a vero notat Livius, operae pretium erit, paulo accuratius cognoscere, utpote quem Calvus noster, orator et poeta, sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate proxime attigit. Id autem non dubium est, quin Macer Licinius, quem Livius tum hic, tum Lib. IV. c. 23. tamquam recentiorem auctorem vetustioribus rerum Romanarum scriptoribus opponit, ille sit Annalium [3]) scriptor, cujus meminit Cicero de Legg. Lib. I.

---

3) Ejus Annalium Fragmenta, primum collecta ab Ausonio Popma, repetiit Cortius ad Sallust. p. 40., in quibus repositum etiam invenio illud, quod legitur ap. Priscian. Lib. VI. c. 7. §. 36. T. I. p. 243. Kr. ubi post *M. Catonis in Censura de Vestitu et Vehiculis et Caelii in II*, mentionem haec: *C. Licinius in II. Perversum esse alii modi postulare.* Idem fragmentum laudatur iterum a Priscian. Lib. VI. c. 16. §. 82. T. I. p. 276. praemissis eisdem *M. Catonis et Caelii* exemplis. Quibus quidem locis adducor, ut ap. Priscian. Lib. XIII. c. 3. §. 12. p. 566. pro: *Quintus in II. Perversum est alii modi postulare, Pyrrhum in te atque in caeteris fuisse*; scribendum censeam: *C. Licinius in II*, atque ibidem pro *M. Caelius de vestitu et vehiculis* fidenter reponendum: *M. Cato*, repugnante licet Krehlio ad h. l. Neque enim h. l. de *M. Caelio Rufo*, oratore (vid. No. 1.), sed de *Lucio Caelio Antipatro*, Historico, cogitandum est: id quod vel adjuncta aequalium historicorum nomina nos docent. Ab eodem Prisciano Lib. X. c. 6. §. 33. p. 496. citatur *Aemilius Macer in sextodecimo Annalium: Omnium nostrum neglegerit auctoritatem.* Quo in loco quis est, quin videat vel invitis Musis corrigendum esse: *Licinius Macer in sextodecimo Annalium*, sicut idem laudatur a Prisciano Lib. VI. c. 11. §. 58. p. 256. *Licinius Macer in I. Annalium: Non minimo opere milites quietes volebant esse.* Idem mendum emaculabis ap. Diomedem 1. p. 366. P., ubi eadem verba *Aemilii Macri* nomine proferuntur, et fraudi etiam fuere *Struvio Ueb. d. Lat. Declin. u. Conj.* p. 254. Verum enim vero neque verba ipsa redolent poetam, neque *Annales* scripsit *Aemilius Macer*, poeta ille Veronensis, de quo, praeter *Funccium de vir. aet. L. L.* Cap. IV. §. 18. p. 298., *Broukhusius ad Tibull. II. 6. 1. p. 274.* prolixe exposuit. Hujus corruptelae emendatio aeque facilis erat, atque illa ap. Nonium s. v. *prosecta* p. 220. ubi pro: *Licinius Macer in Ornithogonia* recte jam G. I. Vossius d. Histor. Lat. Lib. I. c. 10. p. 46. *Aemilii Macri* poetae nomen revocan-

c. 2. §. 3. ubi Atticus, excitaturus M. Ciceronem ad scribendam historiam, quae ab Romanis litteris adhuc absit, percenset praecipuos hoc in genere scriptores, et, post C. Fannii et L. Caelii Antipatri mentionem, ita pergit §. 6: „*Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum; (nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis;) in orationibus autem multus et ineptus; elatio, summa impudentia. Sisenna, ejus amicus, omnes adhuc nostros, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur*“ etc. Quo in loco quum Codd. Mss. praeberent *Acrum*, *Actium*, *Accium*, Car. Sigonius *Macrum* ingenii sagacitate emendavit, quam verissimam emendationem omnes receperunt Editores [4]), et, quem contextus suadebat, intellexerunt Macrum Licinium, cujus non modo apud Livium, sed etiam apud Dionysium Halicarnassensem creberrima invenitur mentio. Etenim uterque Historicus ex ejus Annalibus plurima hausit: Livius, cui constanter *Macer Licinius* dicitur, praeposito, ut fieri solet, cognomine nomini gentili [5]), eo

---

dum censuit. Caeterum ex emendato Prisciani loco discimus, C. Licinii Macri Annales saltem Libros XVI. esse complexos: nam locum Nonii s. v. *patibulum* p. 221. *Licinius Rerum Romanarum Lib. XXI. Deligat ad patibulos:* malim cum G. I. Vossio d. Hist. Lat. L. 1. c. 8. p. 35. ad Clodium Licinium, Ciceroni de Legg. l. c. memoratum, referri. *Facciolati in Lexic. L.* s. v. *patibulus* ex Nonio l. c. affert: *deligata ad patibulos*, eaque verba tribuit Varroni: quod utrum fecerit libr. Mss. auctoritate, an lapsus memoria, nescio. Adde nunc, quae de *Macris Osannus ad Apulei d. Orthogr.* §. 18. p. 56 sq. et *Jahnius d. P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis* P. 1. p. 8 sqq. (Lips. 1826.) docte subtiliterque disseruerunt.

4) Hoc Ciceronis loco fultus *Accium* Historicum recensuit *Glandorpius in Onom.* p. 4. refutatus jam a *G. J. Vossio d. Hist. Lat. L.* 1. c. 7. p. 29 sqq. *Osannus* in Anal. Crit. cap. IV. p. 65., rejecta Sigonii conjectura, maluit hic reponi *Atejum* philologum: id quod mihi secus videtur.

5) Plurima id genus exempla attulerunt *Drakenb. ad Liv. Lib. III.* c. 1. T. II. P. 1. p. 12. *et Lib.* IV. c. 23. T. II. P. 2. p. 192. ed. Stutg. et *Schweighaeuser. ad Appian. de Bell. Annib.* c. 35. T. III. p. 371. Cf. *Manutius* ad Cicer. Ep. ad Q. Fr. II. 1. Vol. II. p. 27. ed. Schütz., *Hein-*

multa cum cautione in rebus tradendis usus est, ita ut, quemadmodum supra de Dictatore vidimus, sic etiam alibi v. c. Lib. IX. c. 46. cl. Gellii N. A. Lib. VI. c. 9. et Lib. X. c. 9. ejus fidem in dubium vocaret adeoque eum L. Calpurnio Pisoni, exili admodum, ut Cicero in Br. c. 27. judicat, Annalium auctori, postponeret, tametsi non indiligens plane videatur fuisse antiquitatis investigator, quippe quem inter alia publica veterrimi aevi monumenta etiam *Libros Linteos* adhibuisse ipse Livius Lib. IV. c. 7. et 20. diserte attestatur. Dionysius Halicarnassensis, cui Lib. I. c. 7. T. I. p. 21. R. *Λικίννιος Μάκερ* [6]), alibi simpliciter *Λικίννιος* laudatur, aeque multa ac Patavinus historicus ei refert accepta, sed, sicut in universum de Latinis rerum auctoribus superciliose et contemptim judicare solet, ita etiam Macrum Licinium, quem cum Cnaeo et Sexto Gelliis plerumque jungit, passim graviter vituperat, ut Lib. VI. c. 11. T. II. p. 1060. R., ubi de Tarquinio Superbo agens haec: *Λικίννιος μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ Γέλλιον, οὐδὲν ἐξητακότες, οὔτε τῶν εἰκότων, οὔτε τῶν δυνατῶν κ. τ. λ.*

---

richius ad Ciceronis Or. pr. Scauro p. 126. ed. Beier. et *Ruehkius* in Comment. d. Annio Cimbro p. 16 sqq.

6) Hic locus est classicus de eis, quos auctores Romanos Dionysius in scribenda Historia sit secutus, in quibus post Licinium Macrum commemorantur *Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι*, ubi quos intelligam Aelios, animi pendeo. Ab eodem Lib. I. c. 80. T. I. p. 207. R. *Τουβέρων Αἴλιος, δεινὸς ἀνὴρ, καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής* memoratur, quem G. I. Vossius d. Hist. Lat. L. 1. c. 12. p. 56. fuisse existimat *Lucium Aelium Tuberonem*, familiarem et affinem M. Ciceronis et Q. Fratris in Asia legatum, de quo Marcus scribit ad Q. Fratrem Lib. 1. ep. 1. *Tubero: quem ego arbitror (praesertim cum scribat historiam) multos ex suis annalibus deligere, quos velit ac possit imitari.* Magnopere autem fallitur Vossius, quum eundem *L. Aelium* intellectum voluit ap. Livium Lib. IV. c. 23. ubi diserte *Quintus Tubero* non *Lucius* citatur et cum *Macro Licinio* et *Valerio Antipatro* componitur. cf. Lib. X. c. 9.— Q. Tubero, cui Dionysius Halic. Judicium de Thucydide inscripsit c. 1., est haud dubie is, qui memoratur Suetonio in vit. Jul. Caes. c. 83. Multos secutos esse video errorem Vossii, a quo rem minime ad liquidum perductam puto. Caeterum ut a Dionysio l. c. *Gellii* memorantur scriptores, ita etiam a Cicerone de Legg. l. c. et de Divinat. I. c. 26. *Omnes hoc historici Fabii, Gellii, sed proxime Caelius.* Alterum eorum dictum esse *Cnaeum Gellium* discimus ex Dionys. Lib. II. c. 31., alterum *Sextum* memorat Aurel. Victor. d. Orig. G. Rom. c. 6. cf. Davisius ad Cicer. de Legg. l. c. Caeterum, ut hoc addam, Livius etiam Lib. IV. 23. Tuberonem et Valerium Antiatem et Licinium Macrum antiquioribus opponit rerum auctoribus.

Licinium tamen et Gellios hac in re sequi placuit Livio, ut jam Casaubonus adnotavit; idem Dionysius Lib. VII. c. 1. T. III. p. 1312. R. eum neglectae chronologiae insimulat his verbis: ὡς Λικίννιος γέγραφε καὶ Γέλλιος καὶ ἄλλοι συχνοὶ τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων οὐδὲν ἐξητακότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς κ. τ. λ. Cum his Dionysii et Livii de Macro Licinio judiciis si contendimus ea, quae Atticus Ciceronis nomine statuit, nemo est, quin videat, ab eo non tam fidem historicam illorum scriptorum, quam scribendi genus spectari et vituperari, quippe in quo adhuc illud oratorium, quo Graeci excellerent rerum auctores, maxime desiderari ait, et cui Marcum Ciceronem imprimis satisfacere posse, statim a principio amicum amice adulaturus et blande excitaturus fatetur. Idcirco aegre fert, neminem eorum, qui Antipatro, paullo jam inflanti vehementius et historiae majorem sonum addenti, succederent, illius exemplo admonitum majori cum cura scripsisse, eosque maluisse subsistere ac veluti inhaerere in antiquorum languore et inscitia [7]), quam imitari Antipatri vires, agrestes quidem et horridas sine nitore ac palaestra, vires tamen et nervos.

Improbatis igitur eo nomine Cnaeo et Sexto Gellio, Clodio, Asellione, pergit Atticus ad Macrum, quem dubitat fere habere in eloquentium historicorum numero, eique loquacitatem tribuit, argutam quidem, sed alienam ab erudita Graecorum copia. Haec, quis non videt, unice spectare ad historicum ejus scribendi genus? Sed quum Atticus eum appellat multum et ineptum in orationibus, ambiguum est, quodnam orationum ejus genus mente ille habuerit? Wyttenbachius eas orationes voluit intellectas, quas Macer, ad veterum historicorum exemplum, suis in historiis interposuerit et in quibus nimis frequens et intem-

---

7) Verissime *Moserus ad Cicer. d. Legg.* l. c. p. 20. explicat *inscitiam* de illo vitio, quo quis dicitur *inscitus* h. e. inficetus, inurbanus, ab elegantia remotus. Quod ut ad scribendi genus referamus, jubet nos adject. voc. *languor*, qui tribuitur orationi succo ac sanguine destitutae. *Loquacitas* autem in scriptoribus quid sit, exponit Quintilianus I. Or. Lib. VIII. c. 2. §. 17.

pestivus, nullâ decori et verisimilitudinis ratione habita, ad summam usque impudentiam fuerit, qua ductus persuaderi posse lectoribus putaret, has orationes verisimiles esse. Verum enim vero num Atticus in Macro impudentem decori suorumque lectorum neglectionem et contemptum notare voluerit, vehementer dubito et, ut dubitem, totius mihi disputationis illius consilium suadet. Atticus enim, ut jam dixi, in Romanis rerum auctoribus oratorias potissimum virtutes Graecorum desiderat, ideoque ab uno M. Cicerone putat effici posse, nihil ut hoc in genere Graeciae cedat Latium. Quare ego potius orationes ejus intelligo forenses, neque vereor, ne id temere videar contendere. Quemadmodum enim Sisenna, quem negat Atticus umquam in oratorum numero habitum fuisse, a Cicerone in Brut. c. 64. inter Oratores recensetur doctos et optimis studiis deditos; ita ibidem c. 67. *C. Macer* quidam, tamquam patronus diligentissimus memoratur, cujus *si vita*, ut Cicero pergit, *si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, majus nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non plane horrida oratio; vox, gestus, et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio; ut non facile in ullo diligentiorem majoremque cognoverim; sed eam ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.* Quam vividissimam C. Macri Oratoris imaginem, modo si animum oculosque adverteris, non poteris, quin simillimam dicas et plane geminam ei, quam de Macro Historico idem Cicero, assumpta Attici persona, Lib. I. d. Legg. 1. c. dedit ac depinxit, ita ut mihi sit persuasissimum, Ciceronem utroque loco de una eademque persona, de Cajo Licinio Macro, Historico et Oratore, loqui [8]).

8) Conjecturae meae de *Macri* orationibus forensibus patrocinatur Priscianus Lib. X. c. 7. §. 42. T. I. p. 502. Kr. ubi haec: *Licinius Macer pro Tuscis: Quae oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averterent.* Hanc pro Tuscis orationem eccui probabile est in *Macri* Annalibus fuisse lectam a Prisciano?

Longum est, singula utriusque imaginis lineamenta quasi per partes eundo contemplari ac persequi, et, quae videantur sibi contradicere, ea ex artis historicae ac rhetoricae legibus interpretari interpretandoque tollere. Illud tamen silentio hic non praetermittendum est, quod, qui a Cicerone in Brut. l. c. C. Macro praemittitur *L. Turius*, orator parvo ingenio, sed multo labore, haud dubie is est, quem a M. Catone contra Cn. Gellium defensum commemorat Gellius N. A. Lib. XIV. c. 2. atque hunc Cn. Gellium, Turii accusatorem ut Macri Historici aequalem fuisse arbitrer, ea, quae supra disputavimus, suadent [9]). Quod quantum firmamenti ac ponderis meae addat sententiae, nemo non intelligit. G. I. Vossius quidem de Histor. Lat. Lib. I. c. 10. p. 45. ideo dubitavit Macrum Historicum in Ciceronis Bruto agnoscere, quoniam nulla Annalium ejus mentio facta sit: id quam leve sit, quilibet videbit, qui reputat, a Cicerone Macri Annales esse omissos, quia in eis minorem etiam laudis oratoriae invenerit materiam, quam in orationibus ejus forensibus. Utrumque, Historicum et Oratorem, distinxit etiam *de Brosses* in *Histoire de la Republiq. Rom.* Lib. III. ad cap. 74. T. III. p. 361. *(vern. interpr. Schlüteri)* et Historici filium fuisse dicit C. Macrum, oratorem, qui a. U. C. 675. Quaestor, et a. U. C. 680. Tribunus pl. fuerit, quo anno habitam ab eo putat orationem ad Plebem, quae hodieque inter Fragmenta

9) Olim in Ciceronis Brut. l. c. vitiose legebatur *Thorius* et intelligebant Editores *L. Thorium Balbum*, hominem istum voluptuosissimum, cujus meminit Cicero de Fin. Lib. II. c. 20. ibique *Goerens.* p. 216. *Glandorpius in Onom.* p. 380. ex Gellii loco affert Catonis orationem pro L. Furio: qua fultus auctoritate, me latet. Hic vero mihi succurrit alius *Turius* ex Hor. Sat. II. 1. 49. *Grande malum Turius, si quid se judice certes:* quem ad locum Porphyrion: *C. Turius hic praetor fuit, apud quem accusatus est a Cicerone Verres, Hortensio defendente.* Hinc varia allucinatur *Marcilius* de L. Furio Praetore, cujus nomen h. l. repositum voluit *Cruquius*, quem tacite secutus est *Dorighello* in Horat. Edit. Patav. 1780. nil adnotante *C. Fea.* Sed nomen *Furius* primam syllabam habere productam ideoque vel ob metrum non posse admitti, monuere jam *Torrentius* et *Bentlejus.* Quare nequeo satis mirari, a *Doeringio* non tantum in Scholiastae Cruq. adnotatione: *C. Marcium Turium significat judicem corruptissimum, qui accepta pecunia pro reis pronuntiare sit solitus, qui fidem suam corruperant:* (ita leg. in edit. Plant. 1611. p. 408.) sed etiam in Horatii versu Cruquii errorem receptum et *Furius* pro *Turius* esse editum!

Histor. Sallustii Lib. III. p. 967. ed. Cort. legitur [10]). Mihi profecto non dubium est, quin Vossius aliique, qui eum secuti sunt, suam mutassent sententiam, si, duce Chronologia, Macrorum, qui ab auctoribus memorantur, aetatem paulo accuratius inquisivissent. Id igitur quanta fieri potest maxima cum cura agamus.

§. 4.

Jam Macer, qui Ciceroni de Legg. l. c. memoratur, qua floruerit aetate, ex eo colligi potest, quod in ista Historicorum censura ab Attico subjicitur Gelliis, Clodio et Asellioni, quos recentioris aevi scriptoribus manifesto adnumerat, dum eos reprehendit, quod ad antiquorum languorem et inscitiam maluerint se componere, quam imitari laudabile Caelii Antipatri exemplum. Hunc vero Antipatrum Cicero in Br. 26. dicit fuisse magistrum L. Licinii Crassi Oratoris, cujus virtutem subita morte d. XX. Septembris a. U. C. 663. exstinctam esse refert de Orat. Lib. III. c. 1. Quum igitur isti rerum Romanarum auctores Antipatro, qui ne ipse quidem antiquos inter scriptores repónitur, successisse, neque tamen melius ejus scribendi genus imitati esse dicantur, liquet, seriori eos vixisse tempore [11]). Accedit, quod Antipater a Vellejo Paterc. Lib. II. c. 9. diserte traditur fuisse vetustior Sisenna, quem ab Attico Macri amicum dici ap. Cicer. de Legg. l. c. legimus.

---

10) Quemadmodum *de Brosses* de Licinlis Macris plura finxit, neque probavit, ita etiam Historico tribuit praenomen *Lucius*, quod etsi familiare fuisse constat genti Licíniae et praenomen *Cajus* incerto nititur testimonio aliq. Codd. Liv. IV. c. 20. ibiq. Drakenb. T. II. P. 2. p. 177. ed. Stutg., tamen plus habet verisimilitudinis hoc quam illud, et nostra, speramus, disputatione efficietur, ut pleno illum nomine dictum fuisse *Cajum Licinium Macrum* nemo amplius dubitet. Ita etiam in Num. Famil. Rom. Patini p. 152.

11) Ambiguam vocabulorum *antiquus*, *vetus*, *vetustus* notionem, ubi de scriptoribus usurpantur, illustrarunt *Ernesti ad Suet. Tiber.* c. 70. et *F. A. Wolf* in *Proleg. ad Pseudo-Ciceronis Orat. pr. Marcello* p. XXII. N. cl. Gierig. ad Plinii Libr. IX. ep. 22. Hac de re dignus est qui legatur Auct. Dial. d. Oratt. c. 16. et 17. ubi Aper Ciceronem, Caesarem, Caelium, Calvum, Brutum etc. quia ante principatum Augusti floruerint negat jure accenseri antiquis, sed repugnante loquendi usu negatur. Atticus ap. Cicer. quum Antipatrum recentioribus acconset, in mente sine dubio habuit Q. Fabium Pictorem, L. Cincium Alimentum aliosque.

De tempore autem, quo vixerit Sisenna, testis est si quis alius perspicuus ac disertus Vellejus Paterculus eo, quem modo citavimus, loco Lib. II. c. 9. ubi haec leguntur: *Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello, eques militaverat. Quo quidem tempore juvenes adhuc Jugurtha et Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum, Sisenna erat juvenis; sed opus belli civilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Caelius: aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias.* Sisenna igitur bello Numantino, quod a. U. C. 620. P. Scipioni Africano demandatum est, juvenis fuit, et senior edidit suum opus de Bello Civili et Sullano aliquot annis post confectum bellum Sullanum: id quod factum est a. V. C. 672., qui annus, uti supra Plinii testimonio probavimus, natalis erat Calvi nostri, Oratoris ac Poetae, ita ut hic puer admodum Sisennam viderit senem praegrandem quidem, sed vegetum adhuc et optimis studiis deditum. Nam quum a Vellejo dicatur fuisse bello Numantino juvenis h. e. quum, deposita praetexta, sumpsisset togam virilem, quod illo tempore factum esse constat aetatis anno fere septimo decimo, necesse est natus sit a. U. C. 604. s. 605. ita ut senex septuagenarius opus illud historicum scripserit. Verum tamen, ne quid dissimulem, Velleji hac in re fidem dubiam videtur facere Cicero, qui, ubi oratores, quibuscum ipse vixit viguitque, percenset in Brut. c. 64. de Sisenna ita exponit: *Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus reipublicae, non sine facetiis; sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis; interjectusque inter duas aetates, Hortensii et Sulpicii, nec majorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere.* Postremis hujus loci verbis quum Wetzelius, secutus G. J. Vossium d. Hist. Lat. Lib. I. c. 10. p. 42., significari arbitratur, Sisennam aetate grandiorem fuisse Hortensio, juniorem autem Sulpicio, admo-

dum vereor, ne Tullii verbis sensus subjiciatur plane absurdus. Nam P. Sulpicius Rufus, summus suae aetatis orator, quum a. U. C. 630. sit natus, utqui in Brut. c. 88. decem annis major dicatur Hortensio, quem a. U. C. 640. primam vitae lucem vidisse constat, ex ista interpretandi ratione sequeretur, L. Sisennam circiter a. U. C. 635. fuisse natum. Id ut contra disertum Velleji testimonium concedamus, adeone Ciceronem credibile est ineptiisse, ut quasi mirabundus scriberet, Sisennam vitae annis non potuisse consequi Sulpicium natu majorem et necesse fuisse, cederet aetate Hortensio natu minori? Verum enim vero, quum Cicero hac in oratorum recensione L. Sisennam dicat inferioris aetatis proximum, manifestum est, non tam de illorum annis natalibus, quam de Romanae eloquentiae aetatibus hic esse cogitandum, quarum primam videmus ab eo deductam ad belli Punici II. finem, et secundam Sullae cum victore exercitu in Italiam reditu terminatam a. V. C. 672. quo tempore, ut in Brut. c. 63. f. ait, quaedam in foro erat ab oratoribus solitudo, cum P. Sulpicius Rufus ab Sulla reduce proscriptus occidisset, et ceteri aut abessent urbe aut contempti jacerent et tacerent. Tertia denique eloquentiae aetas, excellentium oratorum feracissima, in qua Cicero ipse regnabat, principem habuit ac veluti choragum Q. Hortensium, qui, quum undeviginti adolescens annorum, L. Licinio Crasso, oratore illo Caelii Antipatri disciplina erudito, et Q. Mucio Scaevola Coss. a. U. C. 659. in dicendo posuisset tirocinium, quo, ut Ciceronis utar verbis, ejus ingenium, ut Phidiae signum, simul adspectum et probatum est, in hoc eloquentium, quos Latium tulerat, hominum censu a Cicerone cum oratoribus disparis aetatis erat componendus. Natalem enim Q. Hortensii annum primamque, quam in foro dixit, causam si spectas, secundae ille aetatis accensendus erat oratoribus, quorum agmen claudebat P. Sulpicius Rufus; si vero singularem ejus in dicendo virtutem ac facultatem spectas, in tertia eloquentiae aetate familiam ducebat, quamvis jam superiori eminuisset aetate. Hanc igitur rationem quum Ciceroni placeret sequi, scribere poterat, se Hortensii ae-

tatem in disparem oratorum aetatem includere. De oratoria autem Sisennae facultate ita judicavit, medium ut ei assignaret inter Sulpicium et Hortensium locum eumque inter duas h. e. secundam et tertiam, eloquentiae aetates diceret interjectum, etiamsi ille utrumque oratorem aetate et usu rerum antecederet. Hoc igitur Ciceronis loco Velleji de Sisennae aetate testimonium, quod etiam secutus est Saxius in Onom. Vol. 1. p. 144. minime elevatur; sed majorem, fateor, difficultatem habet alius Ciceronis in Bruto locus c. 75. quo Atticus introducitur Bruto narrans haec: *Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati quum esse vellet, ne a C. Erucio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. — Quidnam istuc est? inquit Brutus; aut quis est iste C. Erucius? — Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium, Sisenna defendens, dixit, quaedem ejus* sputatilica *esse crimina. Tum C. Erucius, Circumvenior, inquit, judices, nisi subvenitis. Sisenna, quid dicas, nescio: metuo insidias.* Sputatilica, *quid est hoc?* sputa *quid sit scio,* tilica *nescio. Maximi risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui.* Quo in loco nihil dubitavi, pro vulg. lect. *C. Rusio*, homine prorsus ignoto, reponere *C. Erucium*, secutus Pighium in Annal. ad a. 613, cui etiam Schneiderus in Epist. ad Langer. p. XLV. et Schützius in Cicer. Opp. Rhet. Vol. III. P. 2. p. 102. adstipulati sunt. Nam C. Erucius iste, quem Atticus accusatorem veterem h. e. exercitatum et versutum, dicit, est haud dubie idem, qui in caussa Sext. Roscii Amerini, Chrysogoni impulsu, criminis confictionem suscepit, confutatam a Cicerone viginti et sex annos nato et cui etiam in Orat. pro Vareno jocose dictus est: *Erucius Antoniaster*, referente Quintiliano I. Or. Lib. VIII. 3. §. 22. ibiq. Spalding. T. III. p. 225. Hic igitur Erucius, homo haud inficetus, Sisennam, ut in historia, ita etiam in orationibus forensibus puerile quiddam consectantem, veteratoria festivitate in judicum consessu ludificatus est ob *sputatilica* crimina, in C. Rutilii accusatione sibi objecta. Sed recte se loqui putabat et inusitato-

rum verborum usum defendebat Sisenna, quem Atticus h. l. suum appellat familiarem. Atqui Atticus natus est an. U. C. 645. ac dubitari potest, potueritne Sisennam, quem circiter a. U. C. 604 s. 605. natum esse, Vellejo auctore ac duce ostendimus, suum nominare familiarem? De Lucio Cornelio Sisenna, Historico et Oratore, quum hic manifesto loquatur Atticus, non est, quod huc vocemus Cnaeum Cornelium Sisennam, Graeciae Praefectum, quem Dio Cassius Lib. XXXVI. c. 2. T. 1. p. 208. St. tradit morbo absumptum obiisse a. U. C. 686. et quem fortasse quispiam majori jure dicat habeatque familiarem Attici a. U. C. 722. defuncti. Sed, ut dicam, quod sentio, mihi neque annorum subductio, quam ex Velleji loco de anno natali L. Sisennae petitam proposuimus, videtur premenda esse et ad vivum resecanda, neque dubium mihi est, quin potuerit Atticus Sisennam, aetate licet priorem, commode appellare suum familiarem i. e. usu et consuetudine conjunctum sibi ac cognitum, praesertim quum Sisenna, quem negat Cicero fuisse multi laboris, serius demum atque aetate longius progressus rei publicae vivere ac litterarum studiis librisque scribendis vacare coeperit: quo etiam factum puto, ut neque versatus sit multum in caussis, neque multa scripserit [12]).

§. 5.

Jam quae de Attici cum L. Cornelio Sisenna familiaritate disputavimus, eis quis non videt consentaneum et consequens esse, ut etiam C. Licinii Macri, quocum amicitia junctus erat L. Sisenna, non solum Atticus, sed etiam Ci-

12) Fulvius Ursinus in Cicer. Opp. p. 292. cl. Corte ad Sallust. Jug. c. 95. p. 849. aeneam apud se habere tabulam refert, in qua nomen *Sisennae*, tamquam Praetoris Peregrini invenerit et inde hunc Sisennam M. Aemilio Lepido et Q. Lutatio Catulo Coss. a. U. C. 676. Praetorem fuisse studuit probare, sequentibus Glandorpio in Onom. p. 266. et Schneidero in Epist. ad Langer. p. XLI. qui de eodem explicarunt locum Ovidii Trist. II. 443. *Vertit Aristidem Sisenna: nec obfuit illi, Historiae turpes inseruisse jocos*, h. e. libellos Milesios s. amatorios, quos scripserat Aristides Milesius cl. v. 414. vid. *Astii* Philolog. §. 69. p. 151. De ejus opere historico, in quo caeteris rebus Romanis breviter percursis, Bellum sociale et Sullanum copiosissime enarraverat, docte exposuit Ruhnkenius ad Vellej. l. c. Fragmenta, quae supersunt, vid. in Cortii Sallust. p. 59 sqq.

cero, an. U. C. 648. biennio post Atticum natus, fuerint aequales, illis tamen aliquanto juniores. Cujus quidem rei documento etiam sunt, quae Cicero de utroque Historico et Oratore, tum in suo de Legibus Opere, tum in Bruto scripta reliquit, ita sane comparata, ut cuique appareat, a Tullio de eis, quos ipse vivos adhuc et vigentes viderit audieritque, esse judicatum. Cujus judicii rationem quo saepius ego attentiusque consideravi atque expendi, hoc magis mihi visum est illud, quod de C. Licinio Macro scripsit, spirare cupiditatem nescio quam atque animum prodere pristini cujusdam doloris memoria vulneratum et recrudescentem. Id quum diu multumque animo reputassem, in eam tandem deductus sum opinationem, ut hunc C. Licinium Macrum, Historicum et Oratorem, neminem alium esse arbitrer, quam Virum illum Praetorium, quem Cicero Praetor a. U. C. 688. repetundarum postulavit, auctore Plutarcho in Vit. Cicer. c. 9. T. IV. p. 763., a quo haec narrantur: *Στρατηγίαν δὲ μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη· καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον, ὡς νενικηκώς, λαβών, αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ, καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ κατακλιθεὶς ἀποθανεῖν· τὸ δὲ πρᾶγμα τῷ Κικέρωνι δόξαν ἤνεγκεν, ὡς ἐπιμελῶς βραβεύσαντι τὸ δικαστήριον.*

Huic conjecturae qualicunque meae non modo nomen utriusque favet, sed etiam aetas et tempus, quo Historicum illum et Oratorem, L. Sisennae amicum, vixisse ostendimus, apprime convenit. Tametsi haec meae suspicioni tantum addunt verisimilitudinis, quantum tali in caussa et in tanta testium penuria et exspectari et postulari potest, tamen facile praevideo futuros esse, qui cum alia, tum imi-

primis hoc objiciant urgeantque, quod a Plutarcho nihil quidquam de istius viri praetorii doctrina et studiis, nihil de ejus opera forensi additum sit, quo Historicus et Orator ille designetur atque agnosci possit. Hoc Plutarchi silentium, per se admodum leve et nullius hac in re momenti, nihil mihi facit mirationis, si quidem ille in exponenda Ciceronis vita civili ac publica maxime secutus est ducem et auctorem M. Tullium ipsum: quae enim subjicit de isto judicio, quod Ciceroni apud populum summo fuerit honori, quis est, quin videat, hausta ea esse ex epist. 4. Libr. I. ad Atticum, cui scripserat, incredibili se populi voluntate de Macro transegisse et hac caussa insignem aequitatis laudem cepisse. Atque quum Cicero ipse C. Licinium Macrum, Attici nomine, vix dignum censuisset, quem in Historicorum numero reponeret, et quum vita ejus ac moribus, quo mihi videor omni jure referre peculatus et repetundarum crimen, omnem ingenii commendationem eversam esse in Bruto scripsisset, quid mirum, si Plutarchus, totus in hac caussa referenda pendens a Ciceronis judicio, taceret de illius ingenio doctrinaeque laude, qua eum haud indignum fuisse Cicero vel invitus attestatur, quippe cujus diligentiam laudat, cui in inveniendis componendisque rebus tam miram tribuit accurationem, ut non facile in ullo cognoverit diligentiorem ac majorem, et quem in publicis causis probatum fuisse atque in privatis illustrem adeo obtinuisse locum fatetur. Caetera, quae ibidem de C. Licinio Macro scripta leguntur, testatum faciunt, ut supra dixi, animum vulnere quodam exulceratum. Enim vero Ciceroni seni, quum de Legibus et de claris Oratoribus scriberet, nomen et memoria C. Licinii Macri neque grata esse, neque laude ac praeconio digna poterat videri, quoniam ista de Macro, repetundarum reo, actio prospero caruerat eventu, et causa fuerat et fons simultatis multarumque inimicitiarum, quas ab eo inde tempore cum ejus filio C. Licinio Calvo, clarissimo oratore, susceperat. Cujus quidem rei testis est Valer. Maximus Lib. IX. cap. 12. n. 7. qui haec memoriae prodidit: *Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, vir Praetorius, Calvi pater, repetunda-*

rum reus, dum sententiae diriberentur, in Maenianum conscendit [13]*). Siquidem cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, praetextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse: nec sua bona hastae posse subjici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus coartatis, incluso spiritu poenam morte praecurrit. Qua cognita re Cicero nihil de eo pronuntiavit. Igitur illustris ingenii orator et ab inopia rei familiaris* [14]*) et a crimine domesticae damnationis, insitato paterni fati genere vindicatus est.*

---

13) *Maenianum* sc. aedificium; frequentius Num. Plur. *Maeniana* dicuntur, de quibus Festus p. 212. Dac. *Maeniana aedificia a Maenio sunt appellata: is enim primus ultra columnas extendit signa, quo ampliarentur superiora.* De Maenio, quem alii (vid. Intpp. ad Fest. l. c.) Censorem faciunt a. U. C. 435., alii bonorum suorum decoctorem istum, quem Horatius Sat. I, 1. v. 101. 3. v. 21. et Epist. I, 15, v. 26. significat, mihi nondum liquet. cf. Mazochii Tabul. Heracleens. P. I. p. 376. N. 103. Salmasius ad Spartiani Pescenn. Nigr. c. 12. derivat a *moenibus* h. e. columellis, quarum lorica circumdaretur solarium, ne quis delabi posset. cf. Ernesti Prolus. d. Solariis in Opusc. Philol. p. 29. Salmasii sententiam Codd. orthographia firmari ait Oudendorp. ad Sueton. Calig. c. 18. p. 495. Schneiderus in Vitruv. Lib. V. c. 1. §. 2. edidit: *circaque in porticibus argentariae tabernae moenianaque superioribus coaxationibus collocentur* etc. et in Comment. T. II. p. 310. confert Graecorum ἐξώστας, Franco-Gallorum *les Galleries au dessus.* Apud Valer. Maximum haud dubie intelligendum est certum quoddam tablinum a Maenio, quisquis fuit, conditum, quod Donatus in Rom. Vet. et Rec. Lib. II. c. 27. p. 215. in Foro Romano situm esse recte putat, de quo se C. Licinius Macer praecipitavit: ab illo Maeniano s. Maenio, quod M. Porcius Cato Censor emit, teste Livio L. XXXIX. c. 44., nomen invenerunt alia Romae tablina ad illius exstructa similitudinem (*Balkon. Altan*): quorum substructiones videntur fuisse tabernae: vid. Goerenz ad Ciceron. Acad. L. II. c. 22. p. 131 sq. Ammianus Marcellinus Lib. XXVII. c. 9. de Praetextato, Urbi praefecto, viro bono et forti, Valentiniani imperio, narrat: *Namque et Maeniana sustulit omnia, fabricari priscis quoque vetita legibus*, cf. Intpp. ad h. l. T. III. p. 200. ed. Wagneri. — Caeterum in Valer. Maximi loco pro *dum sententiae dicerentur* edidi *diriberentur*, secutus Wunderum in Var. Lect. e Cod. Erfurt. enot. p. CXXXVIII.

14) Domum habuit Calvus orator hereditate procul dubio acceptam juxta Romanum forum supra Scalas anularias, in qua serius Augustus habitabat, teste Suet. c. 72. et quam modicam fuisse docet adjecta aedium Hortensianarum mentio. A patre autem dicitur Ciceroni in Epist. ad Q. Fr. Lib. II. 4. *Macer Licinius:* plenius ejus nomen, quod a Pighio Annal. T. III. p. 392. et Glandorpio in Onom. p. 533. affertur, *C. Licinius Macer Calvus*, nusquam me legere memini. [illegible] tamen Ellendtius, qui in Prolegom. in Cicer. Brut. p. CXVIII — XXV. de Calvo oratore erudite egit, amplecti videtur p. CXVIII.

§. 6.

Igitur C. Licinius Calvus, Orator et Poeta, de quo scribere instituimus, filius fuit C. Licinii Macri, quem probabilem Annalium scriptorem atque haud ignobilem oratorem fuisse evincere studuimus et, quum Calvus noster, juvenis sedecim annorum, per Ciceronem patre fuisset orbatus, non mirum est, quod a Cicerone alienatus eique subiratus per omnem vitam obtrectator ejus et inimicus existeret: quibus animi sensibus mutuam posthac in foro aemulationem et fomenta addidisse et incitamenta verisimillimum est. Nam, teste Seneca Controv. L. III. 19. p. 232. Bip., Calvus cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit, et quamquam Auct. Dial. d. Oratt. c. 18. frequens inter utrumque epistolarum commercium memorat, tamen mihi vehementer falli videntur, qui inde factam inter utrumque gratiae reconciliationem colligunt, atque pro certo affirmant. Ista reconciliatio et amicitia, si qua erat, ambitiosa fuit et fucosa, et aemulis rerum civilium et doctrinae studiis ita in dies nutrita, ut, quoad vivebant, alter alterius gloriae invideret, ac virtutibus mutua malivolentia obtrectaret: nam Ciceronem, cui Calvus visus fuerit exsanguis et attritus, a Calvo male audivisse tamquam solutum et enervem, idem tradit Auct. Dial. d. Oratt. c. 18. Neque illud mihi videtur hic silentio praetereundum, quod Calvus, patris accusatione et, quae eam insecuta est, inopinata ejus morte offensus ac Ciceroni infestus, nullam ei, sumpta toga virili, dedit operam neque eum in foro est assectatus: id quod de M. Caelio Rufo, Calvi nostri aequali, constat. v. Quintilian. I. Or. Lib. XII. c. 11. §. 6. ibiq. Spalding. T. IV. p. 687. Hic contemptus nescio dicam an neglectio non poterat, quin aliquanto offenderet Ciceronem, praesertim quum per illud temporis spatium fere solus esset, qui prisci moris tenax, juvenes discendi cupidos tum suo ipsius exemplo, tum praeceptis erudiret.

De magistris, quibus usus sit Calvus, altum est apud scriptores silentium; consideranti autem mihi ejus dicendi genus admodum probabile est, eum Rhetoribus Graecis, qui magna tunc copia Romam confluentes scholas coepis-

sent aperire, in quas discendi caussa se juvenes conferrent, dedisse operam, et ingenii felicitate atque sua ipsius industria effecisse, ut posthac cum Tullio, suo inimico, de principatu eloquentiae posset contendere. Qui Ciceronis animum novit, iniquiorem nonnumquam in aemulatores et vero etiam molliorem cupidioremque in suos suique studiosos, is, opinor, propensam ejus in M. Caelium Rufum, hominem ingeniose nequam, voluntatem ac studium non mirabitur, neque moderationem et humanitatem cupiditate quadam adulteratam non agnoscet in eis, quae post Caelii mortem in Bruto cap. 79. et Orat. c. 16. et 50. scripsit. Severius autem, ne dicam, inhumanius est judicium, quod in Br. c. 82. de Calvo tulit, in quo scribendo saucium adhuc fuisse ejus animum, in eoque odiosam pristinae simultatis ac mutuae obtrectationis memoriam insedisse, manifestum est.

Isti necessitudini, quam Ciceroni cum Calvo fuisse demonstravimus, citius finem fecit praematura hujus mors, quam Quintilianus I. Or. Lib. X. c. 1. §. 115. his verbis testatur: (Calvus) *imitator autem est Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus sibi, non si quid detracturus fuit.* Vitae suae finem Calvus haud dubie admaturaverat nimis assiduo studiorum labore ac vigiliis, quibus corporis naturâ infirmioris, ut infra videbimus, vires fregisset in flore aetatis et exhausisset. Nam Plinius H. N. Lib. XXXIV. c. 50. T. IX. p. 354. refert, Calvum oratorem adalligatis lumborum et renum parti laminis plumbeis, Veneris impetus cohibuisse viresque corporis studiorum labori custodisse. Quo autem anno Calvus vita sit defunctus, certo definiri nequit, et me fateor ignorare, unde, qui trigesimo eum aetatis anno obiisse dicunt Viri Docti, tam accuratam temporis notationem hauserint. Quid? quod mihi diligenter hunc in finem pervestiganti veterum auctorum monumenta, occurrebant quaedam indicia, quae Calvum ultra trigesimum vitae annum vixisse probabile redderent. Nam quum Cicero in Br. c. 82. de Calvo locutus sit jam demortuo, atque, hoc Tullii opusculum anno U. C. 707. exeunte seu ineunte anno U. C.

708. scriptum sit; patet, eum ante hunc annum vita excessisse. Accedit aliud idque accuratius ejus rei testimonium, petendum illud ex Ciceronis Epist. Lib. XV. ad Div. 21. quae epistola ad Trebonium, in Hispania provinciae pacandae causa versantem, mense Decembri a. U. C. 707. data est, in cujus manus venerat nescimus quo casu Tullii quaedam epistola ad Calvum, in qua eum amplissimis laudibus ornaverat ejusque ingenium et dicendi facultatem extulerat. Miranti id Trebonio exponit in illa epistola Cicero rationes, quibus adductus Calvum tantopere laudarit, idque se fecisse ait, partim, quia de ejus ingenio valde existimaverit bene, partim de industria, quandoquidem in excitando plurimum valeat, si laudes eum, quem cohortere. Jam nemo erit, quin, hac epistola attente perlecta, intelligat, Ciceronem de Calvo loqui nuperrime defuncto, ita ut eum circiter a. U. C. 706. diem supremum obiisse mihi sit verisimillimum. Laudes autem, quibus Cicero Calvum in illa epistola mactaverat, nihil dubito, quin blanditias dicam habeamque, quibus familiaritati cum Calvo simulataeque amicitiae velificatum esse Tullium supra suspicati sumus [15]).

Calvus noster Naturam habuerat in tribuendis ingenii dotibus fautricem, quibus diligenter excultis id consecutus est, ut, teste ipso Cicerone in Br. c. 82. et Ep. ad Divers. XV. 21., multarum et reconditarum literarum scientia et accurato exquisitoque dicendi genere illustrem inter aequales teneret locum. Quo autem aetatis anno oratoriam laudem in foro auspicatus sit, colligimus ex Dial. de Oratt. c. 34. *Nono decimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt,*

15) Huc non pertinet locus Ciceronis ad Attic. 1. ep. 16. *Nosti Calvum, ex Nannejanis illum, illum laudatorem meum de cujus oratione erga me honorifica ad te scripseram:* quo in loco non Calvus noster Orator, sed *M. Crassus* cum acumine significatur, ut post Manutium et Ernestium docte exposuit *Beierus* V. Cel. in Fragm. Cicer. Oratt. in P. Clodium et Curionem (Lips. 1825.) p. 8. V. 14.

quas hodieque cum admiratione legimus: quae verba cave ita accipias cum Pighio Ann. T. III. p. 360. et N. Fabro ad Senec. Controv. L. III, 19. p. 256. T. III. Amstelod. 1732., ac si Calvus non multo antecesserit aetate Pollioni, quem a. U. C. 678. primam vidisse lucem constat, quum manifestum sit, Auctorem illius Dialogi id non spectasse, ut, uter natu major minorve altero esset, exponeret, sed uter eorum aetate junior pro rostris eloquentiae posuerit tirocinium. Id quam verum sit, facile est intellectu, duce chronologia. L. Licinius Crassus enim C. Papirium Carbonem, hominem nobilissimum et eloquentissimum, post Consulatus cum P. Manilio an. U. C. 634. functionem, in judicium vocavit an. U. C. 635., annos natus unum et viginti, ut ipse ait ap. Cicer. d. Orat. Lib. III. c. 20. ita ut Auctor Dial. d. Oratt. aut erraverit, aut, quod mihi verisimilius est, librarii oculorum aberratione lapsi vitiosum numerum signis, non verbis expressum, textui intulerint: unde tot in Codd. Mss. errores constat ortos esse; de ipsa Crassi actione vid. Beier ad Cic. d. Offic. Lib. II. cap. 13. T. 11. p. 92. Simili modo natum suspicor dissensum scriptorum de C. Julio Caesare, qui Cn. Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum accusavit a. U. C. 677. D. Junio Bruto et M. Aemilio Lepido Coss., quo anno Caesar quartum et vigesimum aetatis annum ingressus est: cf. praeter Pighii Annal. T. III. p. 280. cl. 286., Baumgarten-Crusius ad Sueton. Jul. c. 4. Et C. Catonem, M. Catonis affinem, nullius consilii adolescentem, Asinius Pollio, duo et viginti annos natus, duplici actione de Tribunatu postulavit a. U. C. 700. uti docuit *Thorbeckius in Comment. d. Asin. Pollionis Vita. Lugd. B.* 1820. p. 56 sqq. cl. *Heinrich. ad Cicer. Or. pr. Scauro* p. 122. ed. Beier. C. Catonem defendit Calvus, qui quum anno proxime superiori i. e. anno V. C. 699. Vatinium de ambitu reum fecisset, liquet, eum, quem an. U. C. 672. natum esse ostendimus, septimo et vigesimo aetatis anno primam in foro dixisse caussam, quinque igitur annos Pollioni aetate antecedentem. Huc etiam spectat locus Quintiliani I. Or. Lib. XII. c. 6. §. 1. *Calvus, Cae-*

sàr, *Pollio*, *multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima judicia susceperunt.* Quum Quintilianum et Auctorem illius Dialogi minime definite loqui manifestum sit, dubitari etiam licet, an Lipsius in Excurs. ad Tacit. Ann. Lib. III. c. 39. jure usus sit his locis, quibus *aetatem quaestoriam* anno aetatis quinto et vigesimo definiret: Lipsio tamen assentitur Buttmannus ad Quintil. l. c. T. IV. p. 554. Idem Quintiliani locus procul dubio induxit Pighium Ann. T. III. p. 392. ut Calvum, Oratorem et Poetam, a. U. C. 698. Quaestorem fuisse contenderet. Hanc Pighii opinationem haud pauci sunt amplexi; equidem vero nusquam memoriae proditum inveni, publicum quoddam munus a Calvo fuisse administratum.

§. 7.

Sed ut, unde digressus sum, revertar, Calvus noster, qui nativa quadam sui diffidentia praecavisset, ne, praeveniente vires fiducia, quam perniciosissimam jure appellat Quintilianus, acerbi quid et immaturi proferret, in hac prima, quam dixit, caussa tam admirabilem explicavit dicendi facultatem et tam vehemens ac violentus exstitit accusator, ut Vatinius media in actione surgeret et exclamaret: *Rogo vos, judices; num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* vid. Senec. Controv. III. 19. p. 232. Bip. Hanc Calvi in agendis caussis violentiam mihi non dubium est, quin respexerit M. Corn. Fronto, quum ad Verum Imperatorem (vid. ejus *Epistolae ex Cod. Vatic. editae cur. Angel. Majo. Romae* 1823. p. 171.) scribit: *Concionatur autem Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose. Jam in judiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur.* Ad hunc Frontonis locum vereor ut satis apte Ang. Majus conferre nos jusserit Senec. Controv. l. c. p. 233. B. ubi haec: *Compositio quoque ejus* (Calvi) *in actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia et concitata et fluctuantia.* Quod Senecae judicium quis non videt esse referendum ad istam Calvi diligentiam et religionem, qua, ut Ciceronis in Br.

c. 82. utar verbis, nimium in se inquirens atque ipse sese observans metuensque, ne vitiosum colligeret, verum deperdidit sanguinem suamque orationem ita attenuavit, ut doctis quidem et attente audientibus esset illustris, a multitudine autem et a foro devoraretur [16]). Quod Ciceronis judicium ob oculos habuit Quintilianus I. Or. X. 1. §. 111., qui alias orationem ejus sanctam et gravem et castigatam et frequenter vehementem appellat, et inprimis judicium ejus laudat I. Or. X. c. 2. §. 25. Quam diversae antiquiori aevo sententiae de oratoriis Calvi virtutibus latae sint, nos docent, quae a Quintiliano I. Or. X. 1. §. 115. et ab Auctore Dial. d. Oratt. c. 17. 21. et 25. relata legimus, et, diversis illis scriptorum judiciis aequa lance ponderatis, negari nequit, nimiam ejus diligentiam abiisse in suorum operum calumniam et in istud *κακιζοτεχνίας* vitium, quo oratio ejus non splendesceret lima, sed attereretur omnique privaretur vi, quam in eo fuisse diserte negat Cicero Epist. ad. Div. XV, 21. [17])

Verum id vitii Calvus sibi detracturus fuisset, ut Quintilianus I. Or. X, 1. §. 115. omnium aequissimus ejus censor, judicat, si longior ei contigisset vita et diuturnior agendi in foro usus et exercitatio. Nam quum, ut vidimus, septimo demum et vigesimo aetatis anno rostra primum conscenderit, et vix trigesimum quintum vitae annum attigerit, non poterimus, quin admiremur ejus industriam ac studium. Brevissimum enim vitae a Fato sibi concessae spatium eloquentiae studiis et foro tribuit totum, quum teste Auctore

---

16) Schneiderus in Wetzelii editione p. 198. voc. *devorabatur* injuria offensus est, ut recte monuit Schützius in Cicer. Opp. Rhett. Vol. III. P. 2. p. 111. ejusque metaphorae rationem et vim praeclare explicavit J. Chr. Th. Ernesti in Lex. Rhet. Lat. p. 114 sqq. Vide nunc Ellendtii Adnot. ad h. l. p. 207.

17) Spectat huc vexatissimus iste Criticorum studiis locus Plinii Lib. I. epist. 2. §. 2. *Tentavi enim imitari Demosthenem, semper tuum, Calvum, nuper meum, figuris dumtaxat orationis. Nam vim tantorum virorum pauci, quos aequus amavit, adsequi possunt:* in quo refingendo, post praeclaram Heusingeri et Schaeferi crisin, *Calvum* retinere frustra tentavit Spaldingius ad Quintil. I. Or. X. 1. §. 115. T. IV. p. 101. quoniam Calvo, animoso licet et vehementi oratori, *δεινότης* Demosthenea a Plinio tribui non potuit.

Dial. l. c. 21., unum et viginti reliquerit libros h. e. orationes, ex quibus ille duas, alteram in *Asitium*, in *Drusum* alteram nominat; tertiam pro *Messio* affert Senèca Controv. l. c. p. 233. B. et ob lenem compositionem laudat ex illius Epilogo prae ceteris haec verba: *Credite mihi, non est turpe misereri* [18]). Orationis pro *C. Catone*, quem contra Pollionem fortiter defendit et crimine absolvit, supra jam fecimus mentionem; nulla tamen videtur majorem apud aequales consecutus esse gloriam, quam oratione in *Vatinium*, cujus hodieque aliquot exstant Fragmenta, quae hic collecta atque illustrata dare placuit.

---

18) Nomen *Asitii*, quod alii aliter tentarunt, manifesto est corruptum. cf. Thorbeckius d. C. Asinii Pollionis Vita p. 79. *Drusum* vero suspicor fuisse illum, quem a Lucretio reum de praevaricatione factum Cicero a se defensum scribit Attico Lib. IV. epist. 16, ibique cf. Manutius et Schützius in *Cicer. Epist. ordine chronol. dispos.* T. II. p. 270. Hic Drusus fuit familiaris Pompeji, ut ex Ep. ad Attic. II, 7. discimus, ubi *Pisaurensis* nominatus et cum epulone Vatinio subcontumeliose componitur; vid. Schütz. T. I. p. 191. Defendit eum Cicero, ut scribit ad Attic. IV. 15. post *Messium* e legatione Caesaris revocatum, qui sine dubio C. Messius Tribunus plebis est a. U. C. 697. qui ob rogationem illam de revocando Tullio promulgatam laudatur in Orat. p. Red. in Sen. c. 8. Fuit et hic Pompeji familiaris, ut apparet ex Cicer. Ep. ad Attic. VIII. 11. seu potius ad Pompejum M. vid. Schütz. T. IV. p. 85 sqq. ad cujus potentiam augendam ille legem tulerat immodestam et vix ferendam, ut Cicero ipse scribit Attico suo Lib. IV. l. Utrique igitur, Druso et Messio, litem intulit Calvus cum Cicerone, faciliori Pompeji familiarium patrono, congressus, et fortasse ex Senecae loco scribendum est ap. Auct. Dial. c. l. *in Messium* pro *in Asitium*: quae coniectura non vereor ne infelicior Mureti, Lipsii, et Schurtzfleischii opinationibus censeatur. Caeterum Auctor Dialogi sicut h. l. Calvi orationes *libros* appellat, ita c. 38. de centumviralibus exponens causis ait: *ut neque Ciceronis, neque Caesaris, neque Calvi, — non denique ullius magni oratoris liber — legatur:* ubi Schulzius p. 154. ampliores orationes *libri* nomine insignitas esse censet, laudato loco Plinii, qui Epist. Lib. III, 18, 1. Romano amico *librum*, quo nuper optimo Principi Consul gratias egerat, i. e. Panegyricum, misisse scribit. Equidem vero non tam *amplas* quam *literis consignatas* et in lucem editas orationes arbitror sic dictas fuisse. Ita Plinius Epist. Lib. V, 20, §. 2. Urso amico propediem missurus orationem habitam chartisque mandatam scribit: *Egi ego pro Vareno non sine eventu: num bene, an male, liber indicabit;* et idem Epist. Lib. I. 2. r. *librum* Arriano suo exhibet, in quo tentaverat imitari Demosthenem. In utroque loco quis non videt significari scriptum actionis forensis exemplar? Quid? quod Plinius Epist. Lib. I. 20. 8. Ciceronem, quae per plures dies dixerit, postea recisa et purgata in unum librum coartasse scribit. Atque Auctor Dialogi l., quum Calvi orationes legerit scriptas et, ut Plinius ibidem acute monet, aliud sit bona actio, aliud oratio bona, non mirum, qui potuerit fieri, ut Apro, fastidioso veterum oratorum aestimatori, vix una aut altera Calvi oratio satis faceret.

I. Jul. Severianus Syntom. Rhet. p. 342. *Hominem nostrae civitatis audacissimum, de factione divitem, sordidum, maledicum accusabo:* ita Ruhnkenius ad Aquilae Rom. Libr. d. Fig. Sent. et Eloc. 40. p. 184. pro *accusato* verissime correxit. Calvus Vatinium quum pluribus videatur aggressus esse actionibus, quarum *secundam* diserte memorat Auct. Dial. de Oratt. c. 21., hoc fragmentum ex prima desumptum actione haud temere fortassis suspicatus primo posui loco.

II. Quintilianus I. Or. Lib. IX. c. 2. §. 25. T. III. p. 395. Sp. *perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.* His verbis Calvum excepisse Vatinium sibi obvium, nescio qua auctoritate dixit Glandorpius in Onom. p. 882.: nam mihi haec quoque verba ex eadem actione videntur esse, qua Calvus, indignationis et odii plenissimus, acriter invectus est in Vatinium, ambitus reum, in quo Vellejus Paterc. L. II. 69. §. 4., acutissimus ille ingeniorum morumque pictor, deformitatem corporis cum turpitudine ingenii certasse ait adeo, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. Excanduerat autem Calvi animus, quod in Praeturae petitione M. Cato summo cum populi dedecore repulsam tulerat et Vatinius, impiis Pompeji et Crassi, qui Consulatum per vim acceperant, artibus, largitionibus et factionibus Praetor an. 699. electus fuerat: vid. Plutarch. in Vit. Cat. c. 41 sqq. et in Vit. Pompej. c. 52. cf. Garatonii Excurs. III. ad Cicer. Or. pr. Plancio c. 16. p. 251. ed. Orellii. De Vatinio, quem Jul. Caesar, promptissimum scilicet suorum consiliorum administrum, ad summum evexit magistratum, egerunt, praeter Glandorpium l. c., Wetzelius in Praef. ad Cicer. Epist. ad Div. Libr. V. N. VII. p. 167. et Schützius in Summariis Cicer. Oratt. pro Sextio et in Vatinium Opp. T. VIII. P. 1.

III. Quintilianus I. Or. Lib. VI. c. 1. §. 51. T. II. p. 451. Nam egregie in Vatinium Calvus: *Factum*, inquit, *ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt.* Calvum ad judices conversum in peroratione, ut opinor, haec dixisse, in aprico est.

IV. Quintilianus I. Or. Lib. IX. c. 3. §. 56. T. III. p. 486. *Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quam majestatis, neque majestatis magis, quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis, quam ambitus, neque ambitus magis, quam omnium judicia legum perierunt.* Hunc locum ex Calvi in Vatinium actionibus esse depromptum, licet Quintilianus non dixerit, discimus ex Aquilae Rom. Libro d. F. S. et Eloc. 40. p. 188. ed. Ruhnkenii, qui eadem verba laudata invenit a Diomede II. p. 443. *Galli* nomine, ubi *Gallo* recte substituit *Calvum*. Ex utra Calvi actione elegans illud *Gradationis*, quae dicitur κλῖμαξ (vid. Cicer. d. Orat. III, 54.), exemplum sit, quis definire ausit?

V. Ejusdem orationis facta est mentio a Charisio II. p. 203. P. *Licinius Calvus in Fuscinium ambitus reum: At ita mihi Jovem deosque immortales velim bene fecisse, judices, ut ego pro certo habeo, si parvuli de ambitu judicarent:* ubi recte jam J. Nicolajus Loensis *in Vatinium* emendavit.

VI. Idem Charisius Lib. II. p. 198. P. „*Vehementissime* pro *fortissime* et vere Calvus in Vatinium: *Vehementissime probare.*“

Caeterum illud Gradationis exemplum et Fragmentum nobis etiam documento est, quam artificiosa et limata fuerit Calvi dictio, in qua membra membris et verba verbis paria et veluti demensa responderent: cui si nimium tribuerit curae ac diligentiae, non est, quod miremur, ejus dicendi genus veteribus visum fuisse nimis affectatum, attritum et strigosum, ita ut Lysiae potius gracilitatem, quam Demosthenis vim et lacertos referret. Haec profecto orationis tenuitas sine carne et lacertis non poterat, quin id incommodi haberet, quod solis doctis esset illustris, ut Cicero ait, populi autem, qui ejusmodi acumina et artem non capit, aures inutilis praetervolaret et omnem suavitatem et perceptionem excluderet. Proinde eidem Apulejus in Apolog. p. 589. (T. II. ed. Bosscha. Lugd. Bat. 1823.) haud immerito ascribit *argutias*, quas etiam in ejus poematis notabimus. Haec vero quum mecum reputo, haud

difficile mihi est intellectu, qui factum sit, ut Calvus istam caussam non obtineret, licet haud dubie singulari bonorum omnium voluntate et studio isti nequissimo homini, in quem, quantum ex Macrobio Saturn. II. 6. colligimus [19]), omnis civitas communi ferebatur odio, litem intenderit. Huc accessit, quod Vatinium, quem Calvus, clarorum secutus exempla juvenum, qui, ut Quintilianus alicubi ait, crediti sunt rei publicae obsidem dare, malorum civium accusationem, duabus aggredi ausus erat actionibus, duobus judiciis, ut Val. Maximus Lib. IV. c. 2. n. 5. narrat [20]), tutatus est, Pompeji intercessione et Caesaris precibus commotus, idem ille Cicero, qui istum hominem, biennio fere ante in caussa Sextiana suo arbitratu conciderat, diis hominibusque plaudentibus, ut ad Quint. Fratrem Epist. II. 4. scribit [21]). Non mirum igitur, quod Calvus, juvenis

19) Lapidatus a populo Vatinius, (ita leg. non *Tatinius*, ut in edit. Zeunii p. 368.) cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles ediceret, ne quis in arenam, nisi pomum mittere vellet. Hoc accidisse puto a. U. C. 691. Cicerone et Antonio Coss., quo anno Vatinius Quaestor fuit. Forte his diebus, uti pergit Macrobius, Cascellius consultus a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit: *Si in Vatinium missurus es, pomum est.* Quo in loco Meursius perperam *Caecilium* substituere tentavit *Cascellio*, quem juris peritissimum fuisse vel ex loco Horatii A. P. v. 371. colligere licet. Est ille *Cascellius*, homo praeterquam facetus et dicax et pertinax admodum Triumvirorum adversarius, teste Val. Maxim. Lib. VI. c. 2. n. 12. cf. de eo Spalding. ad Quintil. I. Or. VI. c. 3. §. 87. T. II. p. 599. Ex ejus operibus memoratur Liber *Benedictorum*, quae Bachius in Histor. Jur. Rom. Lib. II. c. 2. §. 49. p. 266. ed. 6. Stockm. verissime explicat de responsis facetis et urbanis, quoniam *bona dicta* jam ab Ennio (teste Cicer. d. Orat. Lib. II. c. 54.) de salibus et jocis (*bons mots*) usurpata erant, ut simpliciter *dicta*. vid. Pontanus ad Macrob. Sat. II. c. 1.

20) Manutius ad Cicer. Ep. ad Divers. V, 9. T. I. p. 321. ed. Richter. de alio cogitavit crimine, quo Vatinium defenderit Cicero: id quod mihi secus videtur.

21) Ciceroni, Sextii defensori acerrimo, haud dubie respondit Vatinius oratione, in qua eum *Scurram Consularem* appellaverat, auctore Macrob. Sat. II. c. 1. Ad eandem orationem refero etiam acerbiorem illum jocum Ciceronis, qui Vatinium, cum caussam diceret, *οἰδοῦντα ῥήτορα* nominaverat, quippe *ἔχοντα χοιράδας ἐν τῷ τραχήλῳ*, teste Plutarcho in Vit. Cicer. c. 26., ita ut illa verba non tam de orationis tumore, quam de inverecundia, cujus argumentum esse crassam cervicem docet Bartonus ad Plutarchi Cicer. c. 9. Vol. IV. p. 935. R., intelligi debeant. Fuit enim Vatinius et animi et corporis foeditate insignis eique Cicero ob *strumas* alibi etiam insultavit v. c. Or. in Vat. c. 2. et 4. cf. Schütz. ad Cicer. Ep. ad Attic. II. 9. T. I. p. 200. Fuit etiam *podagra contusus* (ita enim ap. Macrob. Sat. Lib. II. c. 4. legendum cum Gro-

adhuc et argutus Atticorum imitator, cesserit Ciceroni, qui sua oratione vim Demosthenis, copiam Platonis et jucunditatem Isocratis effinxerat et in foro caussisque agendis jam consenuerat. Vatinius igitur, civis audacissimus et de factione dives, per Ciceronem absolutus est. Ex isto patrocinio et caussa plusne reprehensionis an laudis ad Tullium apud aequales redundarit, in dubio relinquunt Scriptores. Valerius quidem Maximus Lib. IV. c. 2. n. 4. Ciceronem non tantum negat Vatinii defensione levitatis et inconstantiae notam ignominiamque subiisse, sed humanitatis adeo ejus laudi inde factam esse contendit accessionem, quia speciosius aliquanto injuriae beneficiis vincantur, quam mutui odii pertinacia pensentur. Id quamvis verum sit, adduci tamen non possum, ut illud humanitati ejus tribuendum putem, aut innatae cuidam animi mollitudini, qua ductus cum tam perdito cive, qualis Vatinius erat, et cum homine, suae dignitati semper infesto, vere in gratiam redierit et ita injurias beneficiis remuneratus sit. Etenim mihi non dubium est, quin illud factum, sicut omnes boni in Viro Consulari, quem ob servatam a Catilinae incendiis et rapinis patriam septennio ante Patrem Patriae salutaverant, non possent non mirari, ita Cicero ipse secum improbaverit et condemnaverit. Hunc Tullii animum testatum facit, si quid video, elaboratissima illa Epistola ad Lentulum Lib. I. ad Div. 9., in qua amico sciscitanti, cur Caesari, Appio, Crasso et Vatinio, quos ut quisque erat patriae ac libertatis amantissimus, ita maxime habere debebat infestos, reconciliatus sit, rationes illius facti exponit, operosa et anxia quadam usus excusatione, qua amico satisfaceret, ibique omnia ad Pompeji, optime de se meriti, intercessionem et auctoritatem refert. Atque istum Ciceronis in gratiam cum Vatinio reditum non voluntarium, sed coactum, ne-

novio, non *confusus*), de qua Octavianus adolescens jocatus fertur. Illam amariorem Ciceronis urbanitatem Vatinius, homo minime inficetus, (v. Seneca. d. Const. Sap. c. 17. §. 3.) ultus est sic, ut Ciceronem gloriantem, se rei publicae humeris de exsilio reportatum esse interrogaret: *Unde ergo tibi varices?* vid. Macrob. Sat. III. c. 3. quos Cicero in cruribus habuit: unde *varicosus Arpinas* ap. Sidon. Apoll. Epist. V. 5. cf. Quintil. I. Or. XI. c. 3. §. 148. ibiq. Spalding. T. IV. p. 427 sq.

que ex ea animi persuasione fuisse profectum, qua istum hominem non adeo malum esse, quam antea, putarit, demonstrat ejusdem epistola Lib. U. ad Div. 11. ad Vatinium imperatorem a. U. C. 709. data. Publ. Vatinius enim, qui, post paucorum dierum cum Q. Fufio Caleno Consulatum a. U. C. 707, a Caesare Dictatore ad Illyrios continendos cum exercitu missus (vid. Appian. Illyr. c. 13. T. I. p. 847. Schw.) et ob res ibi gestas Imperator appellatus erat, ad Ciceronem literas, peramanter et officiose scriptas, Narona dederat (v. Lib. V. ad Div. 9, 10.) eique suam dignitatem contra pusillorum ac malivolorum obtrectationes et invidias tuendam, id est, supplicationes a Senatu impetrandas suamque uxorem, Antoniam (vid. Cic. Opp. T. XVI. P. 3. p. 276. ed. Schütz.) commendaverat. Ad has literas Cicero, quamvis perofficiose, tamen ita respondet, ut, meus me sensus si non fallit, tota epistola plus ironiae atra tinctae bile quam urbanitatis, ac plus contemptionis quam studii ac gratiae prodat [22]).

Quum vero Vatinius priore ad Ciceronem epistola a. d. V. Id. Quint. a. 709. scripta obtrectationes et invidias malivolorum et pusillorum memorat easque jam olim pro suo honore a Tullio prostratas et obtritas dicit, paene inducor, ut Vatinii haec scribentis animo Calvi, accusatoris sui violentissimi, imaginem et parvulam corporis staturam adhuc obversatam esse credam, cujus de ambitu accusationem, qua valde, ut supra vidimus, perculsus esset, non mirum est malivolentiae cuidam tribui a Vatinio, homine audacissimo et maledico, et suae defensionem caussae ascribi Ciceronis amori ac studio, a quo longissimae fuerat Tullius, patriae ad extremum vitae halitum studiosissi-

22) Ista Ciceronis cum Vatinio reconciliatio, Pompejo intercedente effecta, non hanc habuisse vim mihi videtur, ut, quam Tullius dudum susceperat in Vatinium offensionem, odii haud dissimilem, deponer omnem, et de eo bene existimaret: alioquin ille, quum sibi de Vatinii morte falso nuntiatum esset, vix potuisset jocari: *καλῶς τοίνυν ἀπόλοιτο καλῶς ὁ ψευσάμενος*, uti Plutarchus in Vit. Cicer. c. 26. refert. Neque repugnat huic meae opinioni Quintilianus I. Or. XI. c. 1. §. 73., in quo perdifficili loco de lacuna assentior acutissimo Buttmanno in Addend. ad Spaldingii Edit. T. IV. p. 712. non item de supplemento. Cf. Beierus in Addendis ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 277 sqq.

mus. Sed quemadmodum Ciceroni, tot civilium rerum fluctibus jactato, hanc in suscipienda Vatinii defensione facilitatem suadebat dubia ac tristis temporum, quae tum erant, ratio, eumque monebat, ut se iis, qui rerum in dies magis magisque potirentur, viris placabilem et auricula infima molliorem (ut ipse ad Quint. Fr. Lib. II, 15. scribit) praestaret, neque suam libertatem in pertinacia, sed in moderatione quadam (vid. Orat. pr. Plancio c. 38 sqq.) positam putaret; ita Calvus, qui commotus rei indignitate, qua M. Catoni non tam praetura, quam praeturae Cato negatus videbatur, ut scite ait Valer. Maxim. Lib. VII. c. 5. n. 6., Vatinio diem dixit, dubitari nequit, quin bonorum omnium tulerit applausum, et insignem ex populi existimatione fructum perceperit, illisque actionibus, artis oratoriae primitiis, auditores impleverit sui admiratione: quod vel festivum illud, non multo post hanc caussam scriptum, Catulli Carmen LIV. nos docet:

Risi nescio quem modo in corona,
Qui cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens:
Di magni, salaputium disertum!

in quo Catullus de amici, quem familiariter et hilare amplexabatur, parvula statura jocatur, in qua tantum animi ardorem et tantam dicendi vim quidam ex auditorum corona admiratus esse eumque *salaputium disertum* appellasse perhibetur [23]). Quanta pusillo Calvo in orando fuerit ve-

---

23) Finxeritne v. *salaputium* Catullus, an vere quidam auditorum Calvum ita nominaverit, quis certo definiat? Prius mihi verisimilius videtur; at corruptum a librariis esse illud nomen, mihi persuasissimum est. Variant libri scr. et edītt. vett. et variis inde conjecturis indulsere VV. DD., quas maximam partem h. l. collegit *C. J. Sillig*, p. 78. Quod N. Heinsius ad Ovid. Heroid. XVIII, v. 102. conjecerat *sallicipium*, idem jam ante Tittius Locor. Controv. Lib. IV. c. 21. tentaverat. Qui vulg. *salaputium* tuentur, eos duplicem video secutos esse originationem illius vocabuli: alii enim ortum censent a v. *salax* et *putus*, quod posterius ortum dicunt ex Gr. *πόσθη* vel *πόσθιον* extrita litera sibila, et conferunt cum h. vocabulo Augusti blandimentum, quo Horatium, brevis staturae hominem, *purissimum penem* appellasse traditur a Suetonio in Vit. Horatii. Ex illorum VV. DD. ratione hybrida esset vox *salaputium:*

hementia, testatur etiam Seneca Controv. Lib. III. 19. qui eum refert adeo concitatum vehementemque fuisse accusatorem, ut in actionibus excederet subsellia et impetu elatus usque in adversariorum partes transcurreret et, quum C. Catonem, ab Asinio Pollione de Tribunatu postulatum, defenderet, adeo eum animo exarsisse dicit, ut, quia parvulus statura esset, in foro [24]) imponi se supra cippum

---

quod nomen deducunt alii a v. *putus* i. e. puer, puellus, pusio: quae vox invenitur in Catalect. Virgilii IX. ad Varium.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam;
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem praecepta vetant me dicere: sane,
Non dicam. Sed me perdidit iste puer.

Ex quo Epigrammate discimus in vocabulo *putus* fuisse quandam lasciviae et obscoenitatis notionem, neque isti etymologiae obstat prosodia primae syllabae v. *putus* correptae, cum derivata *putillus* et *putilla* primam producant: cf. de his verbis, quae veteribus ὑποκορίσματα erant, Intpp. ad Plauti Asin. Act. III. Sc. 3. v. 103. *Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum, Hirundinem, monetulam, passerculum, putillum;* adde Interpr. ad Horat. Sat. II, 3, 216. et Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. Lib. III. epigr. 248. T. I. p. 675. Sed quamvis concedamus, in v. *putus* et, quae inde deducatur, terminatione *putium* latere pusillae staturae significationem Calvo convenientem, tamen prius illud *salax* notionem infert impudicae et incontinentis lasciviae, quae in Calvum nostrum minime cadit, praesertim quum Seneca Rhetor Controv. l. c. commemorata Calvi oratoris vehementia et breviori figura, diserte dicat, inde tulisse eum a Catullo nomen *salaputium*, ita ut Senecam aliud vocabulum a Catullo scriptum legisse mihi certum sit. Fuit, quo ego, Cod. Laud. lectione *solapycium* inductus et memor Aristophanici σαυλοκρωκτιᾷν in Vesp. 1212. Inv. quod Schol. Vol. II. p. 907. ed. Dind. σαλεύειν τὸν πρωκτόν. σαῦλον δὲ τὸ κοῦφον explicant, conjicerem *salapygium*, quod de oratore pusillo, ob ingenii alacritatem agiliori et in rostris prae vehementia subsiliente et circumcursante, qualem Seneca descripserat Calvum, mihi videbatur aptissimum. Derivandum est illud vocabulum ἀπὸ τοῦ σαλεύειν τὴν πυγήν: quod etsi proprie dicatur de incessu molliori et superbienti: unde Hermogenem Tigellium, cantorem istum, *Salaconis* nomine significat Cicero Epist. ad Divers. VII, 24.; tamen homini pusillo et agili egregie convenit. Neque obstabat Catullo quo minus illud fingeret vocabulum, Graecae linguae ratio et lex, licet a v. πυγὴ in usu sit Deminutivum πυγίδιον: nam ut ζώνη, ζώνιον, κόρη, κόριον (alia dedit Matthiae Gr. Gr. §. 102. 6.) ita a v. πυγὴ formari potuit πύγιον. Conjecturae meae, cui olim nihil tribuebam, novum pondus et probabilitatis commendationem addidit Salmasii auctoritas, qui in Exercit. Plin. T. I. pag. 50. b. ex vet. libr. Mss. correxit *salopugium*, et Graecis *motacillam* aviculam (n. *die Backstelze*, s. *Wippsterz*) dictam fuisse ait σαλοπύγιον: quod tamen vocabulum, nusquam a me lectum, a Salmasio novatum et in suae emendationis gratiam cusum videtur, cum *motacilla* a Graecis σεισοπυγὶς s. κίγκλος nominetur: vid. Schneider. ad Aristot. H. An. Lib. IX. c. 13. §. 1. T. IV. p. 86. cf. Beierus in Addendis ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 276.

24) Ego dubitanter in Senecae textu scripsi *in foro* pro nullius sen-

juberet juraturus, si quam injuriam Cato Pollioni, accusatori suo, fecisset, se in eum juraturum calumniam. Hanc brevem Calvi staturam manifestum est etiam respici ab Ovidio Trist. II. 31.

Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.

§. 8.

Jam quum Ovidius h. l. Calvo *exiguo* carminum *licentiam* ascribat *parem similemque* Catulli poematis (v. 427.), inscii fere delati sumus ad Calvum poetam. Namque carmina ab eo scripta esse, idem Seneca l. c. his testatur verbis: *Et carmina quoque ejus, quamvis joca sint, plena sunt ingentis animi* [25]). Quo in loco cur ejus carmina *joca* dicantur, patet ex Ovidio, qui a Catulli et Calvi licentia in describendis amoribus suae ipsius lasciviae petit excusationem et veniam. Utrumque alibi etiam ob studiorum poeticorum similitudinem reperimus junctum. Idem Ovidius Amor. Lib. III. el. 9. v. 61. ubi mortem Tibulli deplorans canit:

Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.

Cum Catullus, natus a. U. C. 667. et Calvo quinque tantum annos major, vix quadragesimum aetatis annum egressus obiisset (vid. Doering. in Vit. Catull. p. XL.), utrumque in flore aetatis demortuum nominare poterat Ovidius

---

sua lectione *in forecae* s. vett. editt. *insectae*, ex quo mendo Erasmus *circumventum sorite* h. e. syllogismo acervali (v. Cicer. d. Divin. II, 4.) elicuit. Probabilis admodum conjectura, modo eam contextus commendaret, qui loci, quo se in cippum imponi jusserit Calvus, flagitare videtur notationem. Qua in re mecum sentiens Beierus in Addendis ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 280. conjecit *in turba* seu *in porticu*. Obscuriora etiam Interpretibus visa sunt verba *calumniam jurare in aliquem*, quibus alii alium subjecere sensum; verissime ea Gronovius de *accusatione* accepit, si quidem Romanis *accusator calumniam jurare* dicebatur, qui juro jurando profitebatur, se accusaturum sine calumnia: vid. Graevius ad Caelii Epist. in Cicer. Ep. ad Div. VIII. 8. Valesius ad Liv. XXXIII. c. 47. in edit. Drakenb. T. IX. p. 932. ed. Stutg. et impr. Heineccius in Antiq. Jurispr. Rom. Lib. IV. Tit. 16. §. 1. p. 729. et Tit. §. 8. p. 737. ed. Haubold. a. 1822.

25) Non erat, quod N. Faber *jocosa* scribendum conseret; Vulgatum jure retinuerunt Bipont. Editores.

hedera cinctum juvenilia tempora, et optare, ut uterque obvius in valle Elysia veniret Tibullo. Utriusque poetae memoriam cum laude usurpavit Propertius Lib. II. el. 19. v. 40.

Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.

Propertius suam se Cynthiam carminibus celebraturum ait, aemulatus Calvi et Catulli exemplum, quorum hic Lesbiam, ille Quintiliam virginem deperierat versibusque cecinerat [26]). Quintiliae a Calvo amatae immaturam mortem luget Catullus Carm. XCVI.

Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

Quod poema exaratum opinor a Catullo, quum Calvi de Quintiliae obitu legisset Elegiam, cujus meminit Propertius Lib. II. el. 25. v. 89.

Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miserae funera Quintiliae [27]).

---

26) cf. Apulejus in Apologia p. 279. Elm.

27) Typis exprimendum curavi nomen *Quintiliae*, non *Quinctiliae*, secutus perdoctam de horum nominum scriptura disputationem Spaldingii in Praef. Quintiliani p. XXIII. Ceterum quum h. l. Calvo tribuatur *docti* poetae nomen, quod vulgo adhaesit Catullo ob Graecarum literarum scientiam (vid. Broukhus. ad Tibull. III, 6, 4r. p. 345. et Burmann. ad Phaedr. Prolog. III, v. 26.), Broukhusio subnata est suspicio, turbatum hic esse a librariis versuum ordinem sic restituendum, ut Propertius scripserit v. 87. *Haec etiam docti cantarunt scripta Catulli* etc. et v. 89. *Haec quoque lascivi confessa est pagina Calvi* etc. Verum tamen, uti jam Burmannus Sec. ad h. l. p. 479. monuit, neuter alterutro nomine indignus est poteratque Calvus quoque *doctus* dici, quippe quem novimus fuisse Atticorum imitatorem. Sed constat etiam, Romanis in universum *doctum* dici eum, qui humanitatis studiis excultus suaeque artis, quam profitebatur, peritus putabatur: hinc ap. Horat. Ep. II, 1. v. 82. *doctus Roscius* et Sat. II, 4, 3. *doctum Platona*; et ut a Graecis poetae nominabantur σοφοί, sic Horatio Ep. II, 1, 50. *Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus* h. e. doctus, et ibid. v. 56. *Pacuvii docti famam senis, Attius alti*: quem locum illustrant verba Quintiliani I. Or. X. 1. §. 97. *Virium tamen Attio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.* cl. d. Hostio Poeta §. 4. N. 6. Ciceroni d. N.

Calvus igitur ejusque amicus carmina scripserunt amatoria, eaque molliora ac petulantiora, quae non illa tantum, sed seriori etiam aetate, labente praesertim morum sanctitate, plurimos utriusque sexus admiratores et imitatores invenerunt: id quod praeter Propertium et Ovidium, vel Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 17. testatur, qui, licet ipse contemptim de iis judicet, tamen permultis ea placuisse acerba ista Hermogenis et Demetrii irrisione tacite profitetur [28]). Ex seriori aetate ejus rei testis est Plinius Lib. I. epist. 16. qui Erucio suo scribit de Pompejo Saturnino, versus faciente, *quales Catullus aut Calvus*, additque: *quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! Inserit sane, sed data opera, mollibus levibusque duriusculos quosdam: et hoc quasi Catullus aut Calvus.* Hoc Plinii loco descriptam quasi videmus naturam et indolem Calvi poematum, quae, si eorum argumentum spectamus, mol-

---

D. Lib. I, 22. Simonides *non solum poeta suavis, verum etiam cetera quam doctus sapiensque* dicitur. Maecenatem suum Horatius alloquitur Ep. I. 19. v. 1.: *Maecenas docte* ob ingenium literarum artiumque humanitate excultum politumque: quam doctrinae laudem nemo erit qui Calvo deneget.

28) Nempe isti cantores Calvi et Catulli aetatis placebant suae hominibus et vita et moribus effeminatis, qui non jam Homeros, sed Homeronidas, non Ennios aliosque poetas, virtutem et fortitudinem spirantes, sed poetillas, amorum deliciis et molli quadam diffluentes petulantia, amabant eorumque poemata et legebant libenter et audiebant. Istam studiorum depravationem, rei publicae interitu subinde invalescentem, deplorat jam Cicero, summus ille veterum vatum admirator et vindex Q. Tusc. III. c. 19., ubi, laudatis Ennii versibus, gravitatis et sublimitatis plenis, cum quadam indignatiuncula exclamat: *O poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur:* quem locum etsi praeclare explicavit *A. Meincke* in Euphorionis Chalcid. Vit. et Scr. p. 33 sq. ibique docuit, respici a Cicerone Euphorionis Elegos mollioris argumenti poemata, tamen non possum, quin a doctissimo viro, quum *Euphorionis cantores* de illius elegorum vel interpretibus vel imitatoribus accipit, discessionem faciam: nondum enim me eorum poenitet, quae de istiusmodi cantoribus disserui in Progr. *de Horatii Obtrectat.* §. 3. Ita etiam, quae *Obbarius*, vir eruditissimus, contra me in *Jahnii* Annal. Philol. et Paedag. Vol. III. p. 95. inductione quadam usus disseruit, nondum, fateor, eam habuere vim, ut priorem de Horatiani loci vi et acumine sententiam missam facerem. Calvi enim et Catulli poemata si Horatio satis pulchra, gravia nec digna contemptu fuissent visa, nullo pacto poterat indignari, ea sola, neglectis Graecis, cantari solita esse ab Hermogene ejusque simio, Demetrio. Horatius igitur non tam obtrectator illorum vita jam defunctorum fuit, quam contemptor!

liuscula et leviuscula, si verba et numeros, duriuscula fuerunt, qualia scripta nobis reliquit Catullus. Neque huic judicio repugnat locus Gellii N. A. Lib. XIX. c. 9., ubi Catullus et Calvus non nisi pauca scripsisse dicuntur poemata, quae cum fluentibus Anacreontis deliciis contendi possent. Nam in carminibus Catulli, quem adeo Plinius major N. H. Praef. T. I. p. 4. Fr. *duriusculum* nominat, nemo, opinor, erit, quin illam nervosae orationis elegantiam, lenitatem et numerorum concinnitatem desideret, quam Augustei aevi poetae et verbis et numeris referunt ad Graecorum, in primis Alexandrinorum vatum, exempla feliciter effictam. In universum quidem Calvus noster in oratione quaedam aut indulsisse sibi aut studio quaesivisse videtur, quae veteres Grammatici respuerent. Ita Quintilianus I. Or. Lib. I. c. 6. §. 42. ait: *nec* collos *mihi Calvus persuaserit.* Calvus igitur antiquatam illam v. *collus* formam in fragmentis Attii, Naevii, Lucilii et in Plauti Captiv. II, 2, 108. obviam, repertam etiam ap. Fronton. Ep. II, 12. p. 168. ed. A. Maji, improbante Quintiliano, usurpaverat. Alia alii notant Grammatici v. c. Charisius I. p. 59. P. *unde perspicuum est, Calvum ad amicos non recte dixisse:* non est triclinarius, *cum* triclinaris *dicere debuisset.* Diomedes I. 372. P. *deleor, delitus et deletus. Calvus ad uxorem:* „prima epistola videtur in via delita.“ Calvi ad uxorem epistolae alibi, quod meminerim, non memorantur. Denique Marius Victorinus L. I. de Orthogr. p. 2456. 1. P. *Licinius Calvus* q. *litera non est usus:* Consultum Senati *ipse scripsit; et ad Cajum Caesarem* Senatus Consultum. *Idem* Optimus Maximus *scripsit, non ut nos per* U *literam.* Quamquam haec, quae adnotavimus, sumpta maximam partem videntur ex familiari sermone Calvi, neque ex ejus orationibus, quas eum summa cum cura scripsisse et ad Atticorum normam meticulosa quadam religione veluti exasciasse supra vidimus, tamen eosdem dictionis naevos poeticae ejus orationi adhaesisse, carminum Fragmenta nos docent. Quemadmodum igitur alius est Cicero orator, alius Cicero poeta, ita etiam Calvus, cujus orationes forenses religiosissimo verborum

delectu et periodis ad circinum fere circumductis et curiosius elaboratis, insignes erant, alius plane erat et diversus in poematis, quibus, qua vixerit aetate, luculenter demonstrat. Erat enim illius aetatis poetarum proprium vitium nescio dicam an studium, ut, quod Latinus sermo in foro jam asciverat virile robur, in versibus frangerent cum aliis rebus, tum imprimis frequenti Deminutivorum usu, quo tantum aberat, ut carminibus elegantiam conciliarent, ut iis molestam quamdam et duram adderent scabritiem, quae Augusti demum aetate Horatii acumine et Virgilii arte detersa est, ita ut Maecenas, quem constat hujuscemodi calamistris utrumque orationis genus inussisse, ab omnibus derideretur. Istam igitur orationis asperitatem et antiquitatis rigorem quum referrent poemata Calvi, non mirabimur, quod Horatius, cascae istius antiquitatis osor ideoque acerbior veterum poetarum judex, de ejus poematis contemptim statuit, eumque cum Catullo composuit, quos inter tanta eo in genere videtur intercessisse similitudo, ut, etiamsi nobis de Calvi aetate nihil prorsus constaret, eum tamen Catulli fuisse aequalem, vel ex residuis carminum fragmentis intelligere et probare possemus.

§. 9.

Mirabilem porro utriusque poetae similitudinem deprehendo in carminum, quae scripserunt, generibus atque argumentis. Nam, ut Catullus, sic etiam Calvus breviora modo poemata ingenio lusisse et ab argumento longiori ac continuo, quale fuisset heroicum aut didacticum, abstinuisse mihi videtur. Utriusque exemplum seriori tempore aemulatus est Sentius Augurinus, qui, teste Plinio L. IV. ep. 27. §. 3. de suis poematiis ita:

Canto carmina versibus minutis,
His, olim quibus et meus Catullus,
Et Calvus veteresque.

ubi *minutos versus* vel de Epigrammatis, vel Idylliis, vel Eclogis, vel Hendecasyllabis intelligemus, quibus poematum generibus ejusmodi ingenii lusus seu nugas comprehendit Plinius Lib. IV. epistola 14. §. 9., in qua se Paterno

amico, cui Hendecasyllabos misit suos, de Poetices petulantioris ac lascivioris studio excusat et, quum per alium amicum, Aristonem, comperisset, fuisse, qui impudicam versiculorum licentiam, ut indignam viro gravi atque oratore, reprehendissent, pluribus hac de re exponit Lib. V. ep. 3. et se ab illorum vituperiis gravissimorum et sanctissimorum antiquitatis virorum exemplis defendit, in quibus, praeter M. Tullium, Asinium Pollionem, Q. Hortensium, M. Brutum, Q. Catulum, Serv. Sulpicium aliosque, etiam Calvum nostrum ponit. Sed multi ex iis, quorum auctoritate Plinius se voluit adversus aliorum reprehensiones tueri, non tam petulantes et lascivos, quam remissiores modo scripserant versus, et haud pauci eorum vel puerili tantum vel juvenili aetate Artem Poeticam, sua natura affinem eloquentiae, tractaverant, ut hoc exercitationis genere spiritum in rebus et in verbis sublimitatem et in affectibus motum et in personis decorem assumerent. Verum tamen fuere etiam, qui inclarescendi quadam perversitate abrepti et poetae clari et oratores dici haberique vellent et utroque nomine excellere cuperent. Ab hac vanitate ne ipsum quidem Ciceronem abfuisse, satis compertum est: quem Plutarchus in Vit. Cicer. c. 40. T. IV. p. 825. R. refert sexaginta jam annorum senem, tanta usum esse ad poesin facilitate, ut, si quando ad condendum carmen ferretur, una nocte quingentos fuderit versus: quo sane fieri non posset, quin versus ejus fluerent lutulenti, in eisque, ut in Lucilianis, esset, quod velles tollere. Proinde Auctor Dial. de Oratt. c. 21., memoratis Caesaris et Bruti orationibus, quas ob lentitudinem et teporem nemo legat, nisi qui et carmina eorumdem miretur, verius nescio dicam an acerbius etiam de Cicerone addit: *Scripserunt enim* (Caesar et Brutus) *et carmina, et in bibliothecis retulerunt, non melius, quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* Ita ille statuit de poesi Ciceronis, quem adeo nihil dubitavit imitari Plinius, ut, quum audisset lascivius ejus epigramma in Tironem, quod quondam exciderat viro consulari, ipse, suae immemor gravitatis, in petulantioris argumenti poematiis ingenii vires experiretur,

atque ab illius exemplo suarum nugarum et excusationem peteret et veniam. Idem Plinius ad Caesaris et M. Junii Bruti provocat exemplum et auctoritatem, qua se Aristoni suo purget. Caesaris quidem carmina ferebantur quaedam Romae, ut *Laudes Herculis* et *Oedipus* tragoedia: quae tamen ab ipso vel puero vel adolescentulo scripta esse, diserte testatur Suetonius c. 56; sed quae de Bruti carminibus memoriae produntur, ea admodum dubia sunt atque incerta. Etenim nihil prorsus hac in caussa probat locus Quintiliani I. Or. Lib. IX, 4, §. 76., quum manifesto ibi de iis tantum sermo sit versibus, qui oratoribus insciis et invitis in scribendo exciderant. Neque huc vocari potest Ovidius, quum Lib. I. ex P. ep. 1. v. 23. scribit: *Quod metuas, non est. Antoni scripta leguntur; Doctus et in promptu scrinia Brutus habet.* Quo in loco Codd. lectio *carmina* pro *scrinia* merito rejecta est, et, quum Antonius triumvir non carmina scripserit, sed librum de Ebrietate, a Plinio H. N. Lib. XIV. c. 28. T. V. p. 133. Fr. memoratum, quem haud dubie Ovidius hic respexit, in aprico est, significari Bruti quosdam libros inverecundi et propudiosi argumenti, neque mihi dubium est, quin huc referendae sint *Bruti senis oscitationes*, *De capsa miseri Libellionis*, quarum Statius in Risu Saturnalitio ad Plotium Gryphum Sylv. Lib. IV. 4. v. 20. meminit. At enim vero poterant M. Brutus et Caesar provectiori etiam aetate, civilibus licet districti negotiis, per otium hujuscemodi nugas scribere, Plinio notas, quales lusisse constat Q. Hortensium et Serv. Sulpicium Rufum, viros gravissimos, quorum itidem auctoritate Plinius l. c. se defendit et Ovidius Trist. Lib. II. v. 441.

Neq minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina: quis dubitet nomina tanta sequi? [29])

29) In Ausonii Cent. Nuptial. p. 516. ed. Toll. „*Meminerint autem quippe eruditi probatissimo viro Plinio in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram; prurire opusculum Sulpicii, frontem caperare;* ambiguum est, utrum legendum sit *Sulpicii*, an *Sulpiciae*, cujus poetriae notissimae nomen hic repositum voluit Scriverius, qui obscenum istius de Calaeno poema respici putavit, cujus fragmentum legimus ap. Scholiast. Juvenal. Sat. VI. v. 537. p. 252. ed. Cramer.

Uterque enim excellentis ingenii orator, ut multi alii, poetica studia in oblectationibus modo habebant, et operis subsecivis, quibus animum a forensi contentione relaxarent et negotiorum intervalla eleganter utiliterque dispungerent. Q. Hortensii poemata *invenusta* dicuntur ap. Gellium N. A. Lib. XIX. c. 9., quod de dictione tantum, non de eorum argumento esse accipiendum, docere nos possunt duo, quae hodieque supersunt, epigrammata Q. Lutatii Catuli [30]), cui Cicero in Br. c. 35. orationis comitatem et in-

---

30) Intelligendus est Q. Lutatius Q. F. Catulus, C. Marii in consulatu a. U. C. 652. collega et Cimbricae victoriae socius, de quo vid. G. J. Vossius d. Histor. Lat. Lib. I. c. 9. p. 38. et d. Poet. Lat. c. 1. p. 12. cl. Rupertio ad Juvenal. Sat. VIII. 186. Vol. II. p. 490. P. Scriverius, quem Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 256. secutus est, tribuit ei tragoediam *Alcmaeon* inscriptam ob locum Cicer. Acad. Lib. II. c. 28. falso intellectum, ut docuit Langius in Vind. Trag. Rom. p. 11. Not. 13. Q. Catulo mater erat Popilia (vid. Cicer. d. Orat. Lib. II. c. 11.) quae post Q. Catuli patris mortem L. Julio Caesari nupsit, ex quo connubio susceptus est C. Julius Caesar Strabo, de quo, Q. Catuli fratre uterino, fuse exposuit Wetzel. ad Cicer. Brut. c. 48. p. 121. Ejus genus dicendi C. Jul. Caesar adolescens secutus dicitur Sueton. c. 55. Orator enim fuit et Poeta, minime quidem vehemens, sed quo nemo unquam urbanitate et lepore et suavitate conditior; a Plinio est omissus, quoniam non ludicra scripserat poemata, sed tragoedias, in quibus lenitatem sine nervis perspici ait Cicero in Brut. c. 75. Tragoediarum ejus meminit etiam Asconius Pedianus ad Cicer. Orat. pr. Scauro T. XVI. P. 2. p. 243 sq. ed. Schütz. et p. 145. ed. Beier. „*Julios autem quum dicit duos Caesares fratres, Cajum et Lucium significat; ex quibus Lucius et praetor et consul fuit. Cajus aedilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio Tribuno fuerit; nam et sperabat et id agebat Caesar, ut omissa praetura consul fieret, cui quum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est: hujus sunt enim tragoediae, quae inscribuntur Julii:*" quae postrema Asconii verba, perperam intellecta ab Ant. Delrio, ut jam monuit Bothius in P. Scen. L. T. V. P. 1. p. 255., equidem ita accipio, ut Asconius significare velit, tragoedias, quae *Julii* nomine inscribantur et Romae circumferantur, esse *Cajo* Caesari, non *Lucio*, ejus fratri, tribuendas. Quapropter non dubium mihi est, quin P. Scriverius verissime correxerit ap. Macrob. Sat. VI. 4. p. 597. Z. „*Julius in Theutrante* (scr. *Teutkrante:* vid. Lobeck. ad Sophocl. Aj. v. 209. p. 253.)

Flammeam per aethram alte fervidam ferri facem."

pro vulg. *Ilius*, in quo corrupto nomine *Osann Ueber d. Sophocl. Aias* p. 73. Livii Andronici nomen latere invita Minerva suspicatus est. Eundem *Julium* Caesarem poetam intelligo ap. Festum p. 385. Dac. „*Prophetas in Adrasto Julius nominat antistites fanorum, oraculorumque interpretes:*

Cum capita viridi lauro velare imperant
Prophetae, sancta cafte qui purant sacra.

corruptam quamdam Latini sermonis integritatem tribuit, quam perspici ait ex eo libro, quem de consulatu et rebus gestis suis molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, de quo egi in Comment. *d. Furio Bibaculo* §. 4. Sed hanc, quam Cicero in ejus pedestri oratione praedicat mollitiem et munditiem, nemo non desiderabit in ejus poematis, quorum alterum in Roscium legitur ap. Cicer. d. N. D. Lib. 1. c. 28.

Constiteram exorientem auroram forte salutans,
Cum subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,
Mortalis visu's pulchrior esse deo.

Alterum nobis servavit Gellius N. A. Lib. XIX. c. 9.

Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. sic est. perfugium illud habet
Quod si non interdixem, ne illunc fugitivum
Mitteret ad se intro, sed magis ejiceret?
Ibimu' quaesitum. verum ne ipsi teneamur,
Formido. Quid ago? da, Venu', consilium.

quod quidem epigramma G. J. Vossius Inst. Poet. Lib. III. c. 11. e Graeco conversum esse putat: id quod verissimum videtur, quum totius ratio et color poematis Graeciam potius, quam Latium referat et Catulus a Cicerone d. Orat. Lib. II. 7. Graece dicatur doctissimus et in universum oratoribus Romanis ad parandam sibi et copiam et facilitatem orationis conversio Graecorum operum fuerit admodum fre-

---

uti h. v. metro restituit Jos. Scaliger. Ad eundem *Julium* Caesarem haud dubie spectat etiam locus Marii Victorini d. Orthogr. l. p. 2456. P. *Deinde nec Alcmenam dicebant, nec Tecmesam, sed Alcumenam: inde Alcumeon* (scr. Alcumaeon v. c. Alcmaeon Ennii ap. Cicer. d. Orat. Lib. III. c. 58. cl. c. 38. ibiq. Müller. p. 522.) *et Alcumena, tragoediae, donec Julius Caesar, qui Vopiscus et Strabo, qui et Sesquiculus dictus est, primus de Tecmesa scripsit tragoediam suam et in scena pronuntiari jussit.* Asconii locus supra allatus docet, eundem Cajum Julium Caesarem Strabonem significari a Cicerone Philipp. XI. c. 5. *Alter Caesar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus.* ibiq. Intpp. T. II. p. 379 sq. ed. Wernsdf. Idem Caesar Vopiscus memoratur a Varrone de R. R. Lib. I. c. 7. et a Plinio H. N. Lib. XVII. 4. In hanc sententiam meam transiit Beierus in Addend. ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 281 sqq.

quentata, quod exercitationis genus probat Quintilianus I. Or. Lib. X. 5. §. 4. Haec de poeticis Romanorum oratorum studiis dicere haud alienum mihi est visum, quo melius poematum, quae Calvus scripsit, perspiciatur ratio et indoles.

§. 10.

Nam quum Calvus maximam vitae brevissimae partem, ut supra ostendimus, in foro transegisset, non nisi otium scribendis carminibus videtur tribuisse, ut fractum pugnaci et contentiosa actionum forensium oratione resumeret ingenii impetum, animusque ipsius remissioribus illis studiis recalesceret. Hinc etiam factum putabimus, ut Calvus neque multa poemata scripsisse, neque umquam gravioris argumenti carmen exorsus videatur, utpote quod nisi in otio absolvi pertexique non poterat. Quum vero Seneca Rhetor l. c. dicit, non solum Calvi orationes, sed etiam carmina ejus plena fuisse ingentis animi, nemo erit, qui haec verba ad amatorios ejus lusus referenda putet, in quibus quidem plurimum affectus fuisse concedimus, ingentem autem animum istum, in actionibus forensibus expromi solitum, an spiraverint illa poemata, admodum dubitamus. Quare intelligenda sine dubio sunt *famosa epigrammata* ejus, a Suetonio in Vit. Jul. Caes. c. 73. memorata, quae plena ingentis animi dici poterant, quippe bellatorio stylo, ut cum Plinio loquar, scripta in praepotentes civitatis viros, Caesarem et Pompejum, eorumque amicos et satellites. Atque hac etiam in re summam video fuisse inter Calvum et Catullum consensionem voluntatum et consiliorum. Quum enim inita ab istis sentirent consilia, quibus sensim pristina reipublicae forma everteretur et publica libertas pessum daretur, uterque, generosissimo patriae amore incensus stimulatusque, indignationis, irae atque odii aculeos erexerunt atque in istos, quamvis potentes, emiserunt eisque perpetua stigmata versiculis imposuerunt. Catulli acerbitas in Caesarem quanta fuerit, tum Suetonius in Jul. Caes. c. 73. et Tacit. Annal. IV. c. 34., tum duo, quae hodieque exstant, ejus Carmina XXIX. et LVII., refertissima illa ni-

gris salibus et contumeliis, satis testantur; atque ab eodem Vatinius, quum a Caesare ad Consulatum esset evectus, paucis, sed contumeliosis versibus proscinditur Carm. LII.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori? 31)

Quantum in istum hominem odium conceperit Catullus, declarat etiam Carm. XIV. ad Calvum, facetissime scriptum et simulatae indignationis et irae plenissimum, in quo se amicum *Vatiniano* odio persecuturum esse minatur, quod sibi Saturnalibus pessimorum poetarum carmina dono miserit.

Parem Calvi sensum nobilemque patriae libertatis amorem hodieque nobis testatum faciunt duorum in Caesarem et Pompejum Epigrammatum reliquiae (Fragm. N. I. et II.) et ejusdem *Hipponacteum praeconium* in Hermogenem Tigellium, Jul. Caesaris familiarem, modulatorem istum et Horatii obtrectatorem. Ex illo Tigellii praeconio unus adhuc superest versus Scazon s. Hipponacteus, v. Fr. N. IV. Idem Hendecasyllabis perstrinxit Curium quendam, v. Fr. N. III. Haec poemata quemadmodum spirabant ingentem animum, sive bono et forti dignissimum, ita amatorii ejus lusus aequalibus aeque ac posteris placebant; alioquin Propertius eum Virgilio, Catullo, Cornelio Gallo non adnumerasset nec cecinisset Lib. II. el. 25. v. 93.

---

31) De hoc brevissimo Vatinii consulatu Macrobius Sat. II. c. 3. duo nobis servavit perurbana Ciceronis joca, qui quereuti Vatinio, quod se aegrotantem gravatus esset invisere, respondit: *Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit.* Et alio tempore: *Magnum ostentum anno Vatinii factum est; quod nec bruma, nec ver, nec aestas, nec autumnus fuit.* Hae Ciceronis urbanitates, in quas Vatinius cum illo reconciliatus incurrit, quamvis non inhumanae, tamen confirmant ea, quae supra N. 22. de civili utriusque necessitudine disputavi. Verum Catulli epigramma, non tam salis ac festivitatis, quam fellis et contumeliae refertissimum testatur animum rei indignitate vehementer commotum. Nec dubium mihi est, quin Catullus Nonium Strumam, de quo, praeter Glandorpium in Onom. p. 626., accuratius exposuit Hardouinus ad Plin. N. H. Lib. XXXVII. c. 21. s. 6. p. 68 sq. T. X. Fr., consulto hoc in carmine cum Vatinio junxerit, quo acrius *strumosum consulem* (vid. N. 21.) sugillaret.

Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere Fama volet.

§. 11.

Sed jam Lectores ipsos judicii, quod de Calvo poeta tuli, judices faciam appositis carminum ejus reliquiis, quarum aliquot jam *H. Stephanus in Fragm. Poet. Vet. Lat.* Paris. 1564. collegit atque edidit p. 410 sq., itemque *Almeloveen in Opusculis.* Amstelod. 1686. p. 168., quas hic et illustratas et pluribus auctas dabimus.

I. Suetonius in V. Jul. Caesaris c. 49. Omitto, inquit, Calvi notissimos versus:

Bithynia quidquid
Et paedicator Caesaris umquam habuit.

quos scripserat in Jul. Caesarem, qui pudicitiae suae famam Nicomedis, Bithyniae regis, contubernio laeserat omniumque exposuerat conviciis: hinc audit ap. Catullum Carm. XXIX. v. 2. et 10. *impudicus et vorax et helluo*, ut ego cum Scaligero, Graevio et Vossio legendum censeo. Cf. Fabricius ad Dion. Cass. Lib. XLIII. c. 20. T. I. p. 854 sq. R. Hoc Fragmentum, ex integro Calvi in Jul. Caesarem poemate eoque contumelioso desumptum, dubito an recte *Georg. Henr. Bernstenius* retulerit inter *Versus Ludicros in Romanorum Caesares Priores compositos.* Halis Saxon. 1810. p. 5., quum hujuscemodi poematia, referta illa contumeliis Caesarum, qualia, praeter Calvum et Catullum, etiam M. Furius Bibaculus scripsit, animi serii et generosa indignatione exardescentis fetus, differre mihi videantur ab istis *αὐτοσχεδιάσμασι*, versiculis jocularibus atque inconditis, quae milites, ducis triumphantis currum sequentes, canere consueverant: de quibus docte exposuit *Bernstenius* in Prolegom. p. IX. et *Eichstadius* in Praef. p. X. Haec enim militum licentia tametsi persalsa adeoque nonnumquam cum acumine probrosa (vid. Vellej. Paterc. Lib. II. c. 67. ibiq. Krause p. 328.), nihil tamen imperatorum laudi ac gloriae quidquam detraxit, et tantum abfuit, ut despicientiae cujusdam odiive esset testis, ut haud raro summum exercitus in ducem studium, amorem et admira-

tionem declararet, quum contra de famosis istiusmodi carminibus quandoque conquererentur principes civitatis (vid. Sueton. in V. Jul. Caes. c. 75. ibiq. Intpp.), licet ista tulerint moderatione nescio cum Tacito Annal. IV. c. 34. dicam an sapientia, aut prudentia quadam ducti, quod, quum ipsi omnem juris divini humanique majestatem perverterent ac proculcarent, uti nollent in illos poetas lege XII. Tabularum, quae capite sanxerat: *si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri*, uti edidit Ang. Majus apud Cicer. de Republ. Lib. IV. c. 10. p. 291. ed. Stutg. cf. praeter *Davisium* ad Cicer. Q. Tusc. Lib. IV. c. 2. p. 294. ed. Rath., *H. Ed. Dirksenii* egregium opus: *Uebersicht der Zwölf-Tafel-Fragmente* p. 507 — 516. cl. *Stockmanni* Progr. d. Famosis Libellis. (Lips. 1799.) p. 14.

II. Seneca Controv. III, 19. probaturus, carmina quoque Calvi plena fuisse ingentis animi, attulit haec de Pompejo:

digito caput uno
Scalpit; quid credas hunc sibi velle? virum.

Hoc epigramma miro errore Martiali tributum a Scholiasta Lucani Phars. VII. v. 726. ita hodie profertur: *Magnus, quem metuunt homines digito caput uno Scalpit. quid dicas hunc sibi velle? virum:* quod tamen sic supplevit Oudendorpius T. II. p. 583., secutus Scaligerum, qui illud se in veteri quadam scheda ita suppletum vidisse ait in Catalectis p. 217. Atque ita illud etiam edidit Pithoeus Lib. II. p. 78., probantibus G. I. Vossio in Inst. Orat. Lib. IV. c. 9. p. 159. et P. Burmanno Sec. in Anth. Lat. Lib. II. Ep. 47. p. 215. T. I. Idem Scaliger hoc epigramma in Lectt. Auson. Lib. I. c. 27. memoria lapsus, uti Pontanus ad Macrob. Lib. II. c. 9., *Cinnae* adscripsit (vid. Comment. d. *C. Helvio Cinna* N. XIII. s. fin.) et lacunam Hexametri ita explevit: *Fasciola qui crura ligat digito caput uno Scalpit: quid credas hunc sibi velle? virum:* et antea in Epist. 33. minus feliciter correxerat: *quo credas hunc sibi velle virum?* Illud Scaligeri supplementum perquam ingeniosum recepere Editores Bipontini Senecae, servato

tamen pejore versuum interductu. Supplevit autem Scaliger ex Ammiano Marcell. Lib. XVII. c. 11. §. 4. T. I. p. 134. ed. Wagn., ubi haec: *Nec non etiam in Pompejum obtrectatores inique multa scrutantes, cum nihil, unde vituperari deberet, inveniretur, duo haec observaverunt ludibriosa et irrita: quod genuino quodam more caput digito uno scalpebat: quodque aliquandiu tegendi ulceris causa deformis fasciola candida crus colligabat: quorum alterum factitare ut dissolutum, alterum ut novarum rerum cupidum adserebant: nihil interesse oblatrantes argumento subfrigido, quam partem corporis redimiret regiae majestatis insigni: eum virum, quo nec fortior, nec cautior quisquam patriae fuit, ut documenta praeclara testantur.* Igitur apud Romanos *candida fasciola*, quam gestabat, in affectati suspicionem regni incurrebat Pompejus, cui M. Favonius quoque, M. Catonis aemulator, fortissimus vir, qui post Philippensè praelium captus Octavianum foedissimo convicio coram proscidit (v. Suet. in Vit. Octavian. c. 13.), aliquando exigui istius panni cavillatione regias vires exprobrans, *Non refert*, inquit, *qua in parte corporis sit diadema:* ut narrat Valer. Maxim. Lib. VI. c. 2. N. 7. Quid? quod ipsi Ciceroni *caligae ejus* (Pompeji) *et fasciae cretatae non placebant*, ut scribit Attico Epist. Lib. II. 3. Jam quum Calvus noster, quem et ipsum fuisse vidimus *τὴν Κάτωνος παῤῥησίαν ὑποποιούμενον*, qualem Favonium dicit Plutarchus in Vit. Caes. c. 41., suspicax et fortis esset libertatis publicae vindex; mihi veri est similius, Pompeji fasciam eodem sensu acceptam ab eo et notatam fuisse. Hinc verissima mihi videtur Scaligeri divinatio, neque exputo, cur Burmannus Sec. ad Anth. Lat. l. c. p. 216. cum aliis Viris Doctis alterum supplementum praeferendum putaverit et hoc Epigrammate regni cupiditatem Pompejo exprobrari dubitaverit. Nemo enim non sentiet, quantopere ista: *Magnus, quem metuunt omnes* frigeant; praesertim quum Burmannus contendat, solam mollitiem Pompejo objici: quo sensu ve ista, quae Scaliger ex Ammiano elicuit, verba commode accipi possunt, quandoquidem molliorum et muliebrium

hominum erat fasclas gestare iisque pectora, femora, tibias aliasque corporis partes obvolvere, ut docuit Salmasius ad Lampridii Alexandr. Sever. c. 40. et imprimis Beier. ad Cicer. Orat. in Clod. et Curion. Fragm. c. 5. p. 33 — 35. Verum enim vero numquam adduci potero, ut credam, Calvo plus offensionis attulisse Pompeji mollitiem, quam regni cupiditatem, quam eidem propter fasciolas istas exprobravit Favonius. Neque Burmanni sententiae patrocinatur locus Senecae Controv. Lib. V. c. 30. *In Cn. Pompejum terra marique victorem fuit qui carmen componeret, uno, ut ait, digito caput scalpentem:* quo in loco manifestum utique est, et de Calvo cogitandum esse, et notari Pompeji mollitiem, ob quam male illum apud aequales audivisse minime nego; sed idem muliebris mollitiae vitium, indignum sane tanto duce, quantus cum aliis, tum imprimis sibimet ipsi videbatur Magnus ille, in eodem Calvus perstrinxit epigrammate, quo potentiam ejus et regni cupiditatem invidiosa fasciolae candidae mentione criminabatur. Nam recte Burmannus post alios monuit, utraque illa locutione *uno digito caput scalpere* et *virum quaerere* significari et carpi mollitiem Pompeji, quem eo nomine iisdem verbis infamaverat etiam Clodius, auctore Plutarcho in Vit. Pompeji c. 48. T. III. p. 808. R., publice ita interrogans colluviem hominum petulantiorum: *τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; οἱ δ', ὥσπερ χορὸς εἰς ἀμοιβαῖα συγκεκροτημένος, ἐκείνου τὴν τήβεννον ἀνασείοντος, ἐφ' ἑκάστῳ μέγα βοῶντες ἀπεκρίναντο· Πομπήϊος.* Hunc Plutarchi locum primus N. Faber ad Senecam l. c. commode attulit; sed magis etiam appositus ad perspiciendam Epigrammatis illius vim et acumen est alius Plutarchi locus in Vit. Caesaris c. 4. T. IV. p. 175. R., ubi Cicero primus suspectam habuisse dicitur Julii Caesaris in republica gerenda humanitatem et perspexisse *τὴν ἐν τῷ φιλανθρώπῳ καὶ ἱλαρῷ κεκρυμμένην δεινότητα τοῦ ἤθους καὶ τυραννικὴν αὐτοῦ διάνοιαν· ἀλλ' ὅταν, ἔφη, τὴν κόμην οὕτω διακεκριμένην περιττῶς ἴδω, κἀκεῖνον ἑνὶ δακτύλῳ κνώμενον, οὔ μοι δοκεῖ πάλιν*

οὗτος ἄνθρωπος εἰς νοῦν ἂν ἐμβαλέσθαι τηλικοῦτο κακὸν, ἀναίρεσιν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας. Caesar igitur, qui idem evertendae reipublicae consilium animo agitabat, iisdem, quibus Pompejus, artibus populum fallere studebat, eodem genuino, ut Ammianus ait, scalpendi caput more usus a Cicerone notatus et fallacis cujusdam mollitiei insimulatus est. Hinc plurimum lucis affunditur Calvi in Pompejum epigrammati, et Scaligeri conjectura insignem inde accipit probabilitatis commendationem. Politianus Miscell. c. 7. apte laudavit Juven. S. IX. v. 131.

undique ad illos
Convenient et carpentis et navibus omnes
Qui digito scalpunt uno caput [32]).

Caeterum locutionem *virum quaerere* illustrarunt Rutgersius Lectt. Venus. c. 29. p. 405. Interpr. ad Petron. c. 119. T. I. p. 722. Burm. et Ruhnkenius ad Vellej. Paterc. II. c. 29.

III. Asconius Pedianus, ut jam H. Stephanus p. 411. et N. Faber ad Senecae Contr. I. c. adnotarunt, ad Cic. Orat. in Toga Candida contra Anton. et Catilin. T. XVI. P. 2. p. 219. ed. Sch. de Curio quodam loquens: Curius

---

32) Vet. Comment. ad Juven. p. 372. ed. Crameri adnotavit: *Cinaedi, cum muliebri more componunt crines.* Homines enim elegantes ac molles, caput si prurit, non pluribus, sed uno tantum digito scalpunt, ne comae bene comtae et calamistratae disturbentur: id quod merito Veteres cum irrisione notabant in viris gravibus: cf. Ruperti ad h. l. T. II. p. 532. ed. 2. Juvenalis vero non magis hanc dictionem a Calvo mutuatus est, ut Politianus opinatur, quam priora ab Horatio Lib. I. epist. 11. v. 28. *Strenua nos exercet inertia; navibus atque Quadrigis petimus bene vivere;* ubi C. Fea locutionem desumptam putat a spectaculis Circensibus et naumachiis. Id mihi secus videtur, neque assequor, quid hac in caussa probet allatus ab eo locus Juvenalis Sat. X, 80. *Duas tantum res anxius optat Panem et Circenses.* Aptior fuerat is, quem tractamus, locus Juvenalis, in quo uti in Horatiano itinera significantur maritima et terrestria, habentque ista verba vim quandam proverbialem, qua summum studium ac contentio denotantur, ut in simili locutione *viris equisque* s. *velisque*, quam, praeter Intpp. ad Ciceron. Philipp. VIII. c. 7. T. II. p. 261 sq. ed. W., Gronov. ad Liv. XXI. c. 27., Burmann. ad Virgil. Aen. VIII. 3., perdocte illustravit *Beier.* ad Cicer. Offic. Lib. III. c. 33. T. II. p. 407. Si Fea magis illius epistolae finem ac consilium, quam ejus verba curasset et imprimis, quis fuerit iste, ad quem Horatius scripsit, Bullatius, qui v. 6. *odio maris atque viarum* dicitur Lebedi consedisse, aliqua cum cura inquisivisset, a vero Horatiani loci sensu non aberrasset.

hic, inquit, notissimus fuit aleator damnatusque postea est: in hunc est Hendecasyllabus Calvi elegans:

Et talis Curius pereruditus.

Haud dubie intelligendus est iste *M. Curius*, M. Antonii familiaris, homo dissolutus et famosus aleator, qui a Cicerone Or. Philipp. V. c. 5. memoratur.

IV. Porphyrion et Schol. Cruq. ad Horat. Sat. I. 3. v. 3. At Licinius de Hermogene loquens:

Sardi Tigelli putidum caput venit.

Hoc fragmentum jam in Comment. *d. Horatii Obtrect.* §. 5. tractavi, dixique esse illud ex Calvi *praeconio Hipponacteo*, cujus Cicero ad Div. L. VII. ep. 24. meminit, in quo Calvus haud dubie istum hominem Sardum, sua patria pestilentiorem, tamquam servum venalem exposuerat eumque, mangonis instar, laudaverat, ut quasi emptores inveniret. Hanc ob caussam Calvi carmen a Cicerone appellatur *praeconium* et *Hipponacteum* seu quoniam Calvus iambicae poeseos ingenium et naturam, Hipponactis propriam (vid. *Welcker.* ad *Hipponactis et Ananii Fragm.* Gottingae 1817. 4. p. 4.), versibus suis referebat, sive, quod magis placet, propter procacem et amarulentam dicacitatem, qua Hipponactem, *τὸν πικρὸν χωλιαμβοποιοῦντα*, aequabat Calvus, ut irritabilis animo, ita brevi etiam statura similis Hipponacti, quem pusillo et gracili fuisse corpore a veteribus memoriae proditum est scriptoribus. vid. Welcker. l. c. p. 15. cf. Torrentius ad Horatii Epod. VI. v. 13. p. 359.

V. Huic Fragmento ex Calvi *Hipponacteo praeconio* dubitanter subjiciam aliud ex Ciceronis Lib. I. d. Fin. c. 2., ubi *Synephebos ego*, inquit, *potius Caecilii aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? A quibus tantum dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Attilii mihi legendam putem. De quo Licinius*, ferreum scriptorem: *verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit.* Ita h. l. edidit Goerenzius eumque tacite secutus est Schützius in Opp. Cicer. T. XIII. p. 194. Quo in loco advertenda est Ciceronis sententia et argumentatio. Summus enim

ille litterarum Latinarum patronus ac vindex, quo magis illos pungat, qui, spretis Latinorum poetarum operibus, Graecos unice legendos dictitarent, Attilium commemorat, cujus Electram, quamvis male ex Sophoclea conversam, tamen se legere fatetur. Jam suum de Attilio judicium illustrat firmatque consimili Licinii cujusdam sententia, qui item Attilium nominaverat *ferreum scriptorem*, *verum tamen scriptorem*, *ut legendus sit.* Haec enim verba mihi videntur ejusdem esse Licinii: quae si cum Goerenzio et Schützio tribueris Ciceroni, admodum languent, praesertim quum modo confessus esset, se Attilii Electram lectione dignam judicare, eamque adeo, quia Latina sit, praeferre Sophocleae. Quae cum ita sint, non dubito, quin verum viderint ii, qui in illis Licinii verbis versuum numeros agnoscerent, et illum Ciceronis locum sic ederent: *De quo Licinius:*

Ferreum scriptorem: verum, opinor, scriptorem tamen,
Ut legendus sit.

Ita Licinii verba praeeunte G. I. Vossio d. Poet. Lat. Cap. 1. p. 7. disposuit Davisius, rejecta merito Joh. Scaligeri emendatione in App. ad Conject. in Varron. p. 190. (T. II. p. 246. ed. Bip.): *Ferreum scriptorem opinor, verum exscriptorem tamen* etc., licet per se illa non absurda sit, modo v. *exscriptor* de interprete accipiatur non verborum, sed rerum seu argumenti alicujus operis, sicut M. Varro complura de Magonis libris exscripta a se fatetur d. R. R. Lib. II. c. 5. §. 18. T. I. P. 1. p. 249. Schn. Vossianam et Davisianam rationem etiam secutus est Wyttenbachius, qui ad h. l. haec in Scholis dictavit: „Licinius *cognomine* Calvus, *amicus Ciceronis*, *poeta et orator. Est hic versus Trochaicus tetrameter catalecticus, qui constat septem pedibus et dimidio; nam illa ultima*, ut legendus sit, *sunt initium secundi versus ejusdem generis. Eumdem* (Attilium) *Cicero ad Attic.* XIV. 20. durissimum poetam *vocat.*“ Haec innotuerunt mihi ex *Jan. Theod. Bergmanni* pereleganti Comment. *d. Lit. Condit. ap. Rom. inde a Bello Pun. Pr. usque ad Vespasian. Caesar.* Lugd. Bat. 1818.

4. pag. 20. Wyttenbachius igitur illud de Attilio judicium Calvo nostro ascribit, quod Cicero suum fecerit. Davisius et Goerenzius, quem intellexerint Licinium, non dixerunt; Schützius autem de nostro etiam oratore et poeta cogitavit. Verum tamen equidem valde dubito, num Cicero ad aequalis atque junioris scriptoris provocarit auctoritatem, qua suum probaret de Attilio judicium: quapropter aut intelligendus est *C. Licinius Imbrex*, poeta comicus, de quo *Bothium* in *Poet. Lat. Scen.* Vol. V. P. 2. p. 39., ubi hunc Licinii versum, detruncatum tamen verbis: *ut legendus sit*, profert, cogitasse video, aut, quod mihi rectius videtur, *Porcius Licinius*, qui *Librum de Poetis* scripsit, ex quo a Gellio N. A. Lib. XVII. c. 21. hi proferuntur versus:

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Ejusdem Porcii Licinii, quem suspicor fuisse juniorem Terentii aequalem, alios versus laudat Gellius N. A. Lib. XIX. c. 9.

Custodes ovium, teneraeque propaginis agnûm,
Quaeritis ignem? Ite huc. Quaeritis? Ignis homo'st.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem:
Omne pecus: flamma'st omnia, qua video.

uti hoc Fragmentum edidit Gronovius. In illo de Poetis Libro versibus trochaicis, ut videmus, Porcius Licinius persecutus erat historiam et fata Artis Poeticae apud Romanos et haud dubie singulos summatim percensuerat Poetas suumque de iis interposuerat judicium, ibique etiam de Attilio scripserat:

Ferreum scriptorem; verum, opinor, scriptorem tamen,
Ut legendus sit.

quod judicium Cicero sibi probatum in suam caussam convertit, qui si modo illa verba: *ferreum scriptorem*, neque integrum Licinii locum voluisset adhibere, non dubium mihi est, quin illa alio eóque breviori modo orationis seriei adnexuisset. Quidquid tamen ejus rei est, illud, credo, cuivis manifestum certumque erit, injuria attribui Calvo

nostro istum de Attilio versum, quo Cicero usus est, ut aequales, quos ob Latinorum poetarum despicientiam inertissimae segnitiae aut fastidii delicatissimi coarguit, gravius perstringeret et confutaret. Quotiescunque vero istam Ciceronis disputationem attentius consideravi et expendi, toties me mirum habuit, quod a Caecilii Synephebis et Andria Terentii, quas Comoedias aegrius ab aliis legi ait, quam utramque cognominem fabulam Menandri, statim transiliat ad tragoediam Sophoclis, male in Latinum sermonem conversam ab Attilio, quem ideo inter Tragicos Romanorum poetas recensitum invenio, tum ab aliis, tum etiam ab eruditissimo *Langio* in *Vindiciis Trag. Rom.* pag. 7. Nullam plane equidem video rationem idoneam, qua ductus Cicero Tragoediam Latine redditam composuerit cum Comoediis ex Menandro conversis et prorsus desidero illam scribendi artem et curam, quam eodem in argumento observavit d. opt. gen. Orat. c. 6. *Iidem Andriam et Synephebos: nec minus Terentium et Caecilium, quam Menandrum legunt: nec Andromacham aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium et Pacuvium et Attium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt:* quo in loco vides, quam artificiose Comici Comicis et Tragici Tragicis utriusque populi poetis et componantur et opponantur. Itaque reputanti mihi istius loci d. Fin. Lib. I. c. 2. ἀσυστασίαν suborta est suspicio, Sophoclis Electram ab Attilio Latinis versibus comice esse tractatam. Sed quid tandem comoediae cum Electra, quae, ut decuit heroinam, cothurno, numquam socco poterat ac debebat incedere? Qua in re ne cui videar hariolari, afferre placet de Alcestide fabulam, qua nescio an nullum antiquitatis argumentum sit τραγικώτερον. Jam id argumentum, ut Hermannus in Praef. ad Euripidis Alcestid. p. XVI sqq. egregie docuit, praeter Phrynichum, tractaverat etiam Antiphanes Comicus, teste Athenaeo Lib. III. c. 34. p. 122. C. (T. I. p. 473. Schw.), et apud Fulgentium Expos. Serm. Ant. s. v. *Friguttire* legimus: *Ennius Alcestide comoedia* etc., ubi *Osannus* in *Anal. Crit.* p. 8. ob testimonium Gellii N. A. Lib. X. 9. *Ennio* substituendum censuit

nomen *Laevii* poetae; *Osanni* conjecturam omni dubitatione exemit Hermannus l. c. p. XIX., qui eodem modo Fulgentii locum emaculavit. Quidni igitur poterat Sophoclis Electram comica venustate tractare Attilius, quem Poetam Comicum fuisse diserte testatur *Volcatius Sedigitus* in *Libro de Poetis* ap. Gellium N. A. Lib. XV. c. 24.

Caecilio palmam Statio do comico:
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Naevius, qui ferret pretium tertium.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius, etc.

ita hos versus emendatiores dedit *Osannus* in *Anal. Crit.* p. 3. Volcatius Sedigitus igitur *Attilio* quintum assignat inter Comicos locum post Licinium Imbricem, eumque praeponit adeo Terentio: quod miratur Scaliger ad Varron. d. L. L. VI. p. 234. T. II. Bip. Praeterea Cicero ad Atticum Lib. XIV. 20. scribit: „*quare sine quaeso sibi quemque scribere:*

Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum.

Non scite: hoc enim Attilius, poeta durissimus:“ quae verba socco digniora esse, quam cothurno, nemo erit, quin fateatur. Imprimis vero huc pertinet alius locus Ciceronis Tusc. Q. Lib. IV. c. 11., ubi haec: *Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu;* ut odium mulierum, *quale in μισογύνῳ Attilii est.* Hic Ciceronis locus *Bothium*, qui in *Poet. Lat. Scen.* Vol. V. P. I. p. 254. Attilio locum inter Tragicos Romanorum poetas dedit, prorsus latuisse videtur, nisi forte amplexus est sententiam Bentleji, qui huic Ciceronis loco in Emendationibus ad Q. Tusc. *Davisianae* Editioni a *Rathio* subjectis p. 63. controversiam movit, et Ciceronis verba ingeniose quidem, sed audacter ita refinxit: *ut odium in mulieres, quale μισογύνου Hippolyti est:* atque *Attilii* nomen textu prorsus exterminavit. Davisius ex Codd. Mss. *misso gino* vel *misso guno Atili* enotavit, et quum in Prisciano Lib. XVIII. c. 25. p. 228. T. II. Kr. legatur: *Idem* (Menander) *in Misogyno:* suspicari

possimus, controverso in Ciceronis loco scribendum esse: *quale in Misogyno Attilii est.* Nam ab Attilio illam Menandri fabulam Latine esse conversam, licet unus testetur Cicero, tamen de more illius aetatis verisimillimum est. Menandri *Μισογύνης* a multis memoratur, et quae hodieque supersunt ejus fabulae Reliquiae, eas collegit et illustravit *Meineke*, qui p. 115. hoc in Ciceronis loco verissime correxit: *quale in Μισογύνῃ Attilii est.* Denique Varroni d. L. L. V. p. 75. T. I. Bip. memoratur *Boeotia, quam comoediam alii esse dicunt:* quo in loco certum est vocem *alii* esse corruptam, sub qua Augustinus nom. *M. Attii* s. *Accii* i. e. Plauti ob testimonium Gellii N. A. Lib. III. c. 3, et Scaliger *Aelii* nomen latere conjectabant. Popma autem *M. Attilii* tentabat: vid. T. II. p. 155. Bip. Perfacilis utique erat librariorum error in nominibus *Attius* et *Attilius* per compendium scriptis; ita etiam nomina *Mattius* et *Attilius* confusa sunt ap. Macrobium, notante Scaligero ad Varron. Lib. V. p. 234. T. II. Bip. et idem ap. Varronem d. L. L. VI. p. 101. B. pro v. *Auctorem Caecilium* s. *Accilium* acute correxit *Auctorem Attilium* T. II. p. 246. B. [33]) Quod quum reputo, non adeo absonum mihi videtur Virorum Doctorum conamen, *Attilii* Comici nomen expungendi ap. Suetonium Caes. c. 84. *Inter ludos cantata sunt quaedam ad miserationem et invidiam caedis ejus* (n. Caesaris) *accommodata ex Pacuvii Armorum judicio:*

Men' servasse, ut essent, qui me perderent?

---

33) Cicero Q. Tusc. Libr. V. c. 22. „*Adhuc neminem cognovi poetam*, (*et mihi fuit cum Aquinio amicitia*) *qui sibi non optimus videretur.*“ Quo in loco Cod. Eliens. sec. *cum Attilio amicitia:* quod ne recipiatur, vetat Davisius, qui recte hic intelligendum esse censet Aquinium, stultum istum et ineptum poetam, cujus meminit Catullus in Carm. XIV., quod Licinio Calvo poetae et amico inscripsit, v. 17.

Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinios,
Suffenum omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.

Ad eundem fortasse referendus est jocus Ciceronis ap. Plutarchum Vit. Cicer. c. 27. *Μάρκον Ἀντώνιον, ἔχοντα δύο γαμβροὺς φυγάδας, Ἄδραστον ἰκάλει:* quod de poeta dictum plus acuminis videtur habere.

Et ex Electra Attilii ad similem sententiam. Hic Suetonii locus, fateor, prorsus refutat meam, quam de Ciceronis loco d. Fin. I. c. 2. supra movi dubitationem, si quidem apertum est, Attilii Electram, comoedia si fuisset, non potuisse agi post Julii Caesaris caedem. Casauboni conjectura, qui in Suetonii loco *ex Electra Attii alia* scribi voluit, omnium scriptorum silentio de Attii Electra utique premitur: id quod urgebant etiam VV. DD., qui illam Viri Magni suspicionem exploderent. Verum tamen et Torrentius et Oudendorpius in Codd. Mss. *Accii* et *Attii* pro *Attilii* exaratum invenerunt, ita ut Casaubonus illa Suetonii verba minime sine Codicum suffragio mutare ausus sit; deinde Attii pariter ac Pacuvii Tragoediae in summo tunc temporis fuerunt honore ac pretio; de Attilio contra altum silentium, si ab uno isto Ciceronis loco discesseris. Porro adduci non possum, ut post laudatissimam illam Pacuvii tragoediam, Attilii, ferrei et durissimi poetae, tragoediam male ex Sophoclea conversam illo tempore Romae editam esse credam, eaque, etiamsi a Polo quodam esset acta (vid. Gellius N. A. Lib. VII. c. 5.), spectatorum animos potuisse percelli miseratione. Denique si in deperditis veterum poetarum fabulis scenicis, quarum nil nisi tituli ad nostram pervenerunt memoriam, scriptorum testimonia numerare mallemus, quam ponderare, quis, quaeso, non videt, quot dramata uni itemque alteri et Graeciae et Latii poetarum deroganda essent! Jam in Suetonii loco Attii Electram ut inveniamus, plurima suadent argumenta interna et externa, quae dicuntur, totidemque adsunt, quae dissuadeant cognominem Attilii tragoediam, quam librarius, sive recens a Ciceroniani loci perperam intellecti lectione, seu nominum *Attii* et *Attilii* confusionem solito oculorum errore admittens, hic intrusit. Quapropter haud diffiteor Casauboni conjecturam vehementer mihi arridere, eamque, qua Attio Electra tragoedia vindicetur, multo magis mihi probari, quam opinationem Torrentii, qui, scriptorum de Attii Electra silentio permotus et tamen Attilii mentione offensus, etiam verba: *ex Electra*, tamquam ex glossemate profecta, textu removenda, et, ut *Pacuvii*, ita etiam

Attii Armorum Judicium tum temporis editam et apud Suetonium intelligendam censeret. Sed haec hactenus: redeundum enim est ab hac digressione ad alia eaque genuina Calvi nostri Fragmenta.

VI. Charisius Lib. I. p. 78. Putsch. „Quid quod aeque feminino genere dixit *cinerem* Calvus in carminibus

Cum jam fulva cinis fuero."

VII. Idem Charisius l. c. e Calvi carminibus affert:

Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.

Spectat huc Nonius p. 198, 10. Merc. *Cinis feminino* (genere) *apud Caesarem et Catullum et Calvum lectum est, quorum vacillat auctoritas: Quum jam fulva cinis fuero.* Hunc Nonii locum *Lachmannus* ad Propertium L. III. 1. p. 140. non integrum esse recte censet: Nonius, inquit, haud dubie posuerat ex Caesare, apud quem hodie frustra quaeras, exemplum, tum Catulli LXVIII. 90. et C. I. 4. Pro his nunc legimus inepta illa: *quorum vacillat auctoritas*, quae verba Burmannus ad Anthol. Lat. IV. 89. a sciolo glossatore profecta judicat. *Lachmannus* l. c. p. 141. posteriorem versum acute suspicatur ex eis Calvi esse carminibus, *Quis cecinit miserae funera Quintiliae*, ut Propertius Lib. II. El. 25. v. 89. memorat, quo respiciens Catullus Carm. XCVI. 5. cecinit: *Certe non tanto mors immatura dolori est Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.* Utrumque fragmentum Muretus in Commentar. in Catull. T. II. p. 843. R., non indicato tamen fonte, quo hauserit, attulit ad probandum v. *cinis* genus femininum, cujus exempla alia ex Epitaphiis antiquis collegit Burmannus ad Anthol. Lat. T. II. p. 32.

VIII. Priscianus L. V. c. 8. p. 196. T. I. Kr. Calvus in Epithalamio:

Hesperium ante jubar quatiens.

Non mirum est, etiam a Calvo scriptum esse Epithalamium, quum amatoriis poematis daret operam et, praeter Catullum, multi alii Romanorum poetae in tractando hoc argumento sibi placerent, quos diligenter recensuit Wernsdorfius in Poet. L. M. T. IV. P. 2. p. 462 — 474. cl. Silligii Epist. Crit. de Catulli Carmin. p. 6.

IX. Probus Grammaticus ex Calvi poemate, quod inscriptum dicit *Io*, profert h. versum:

Mens mea dira sibi praedicens omnia vecors.

Ita h. fragmentum edidit H. Stephanus p. 411., sed Putschius p. 1405. „*ut Calvus in X Mens mea*“ etc. Equidem primum *omina* pro *omnia* scribendum arbitror; deinde quo minus de Calvi carmine *Io* inscripto dubitem, obstat Servii testimonium et quod affert Fragmentum, ab H. Stephano omissum.

X. Servius ad Virgil. Ecl. VI, 47. „Calvus in Io:

Ah, virgo infelix, herbis pasceris amaris.“

XI. Probus Grammaticus ap. H. Stephanum p. 411.

Frigida jam celeris vergatur Vestinis ora.

sed Putschius p. 1394. edidit: Calvus in X. *Frigida jam celeri peragrata Borysthenis ora.* Putschii correctionem versus, sive ingenio, sive Codd. Mss. auctoritate factam, censeo verissimam; non item num. X. probo, partim ob allatum Servii locum, partim quoniam a Calvo scriptum esse tanti ambitus carmen admodum improbabile est, ut supra §. 16. monuimus.

XII. Servius ad Virgilii Eclog. VIII. v. 4. „Calvus in Io:

Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.“

quo probet, v. *requiescere* activa vi dictum esse pro *quietos facere, retardare.* Qui Tragoediam Ius nomine a Calvo scriptam opinantur, eos mirifice allucinari manifestum est, eorumque opinationem confidentius refellere poterat Ellendtius in Prolegom. in Ciceronis Brut. p. CXXV. Calvus procul dubio heroico carmine eoque breviori nec plures in libros distributo Ius errores descripserat.

XIII. Priscianus Lib. IX. c. 8. p. 459. T. I. Kr. „Calvus *connivere* infinitum secundum tertiam conjugationem correpta penultima protulit:

Cum gravis ingenti connivere pupula somno.“

XIV. Charisius L. I. p. 61. P. „*Alvus* feminino genere Virgilius saepe dixit, sed masculino Calvus:

Partus gravido portabat in alvo.“

H. Stephanum uterque praeteriit versus, quem, qui nove-

rit Ius errores et fata, mecum ex eodem desumptum poemate suspicabitur.

XV. Charisius L. I. p. 120. P. in v. *unguis*. Licinius Calvus in poemate:

Vaga candida nympha, quod secet ungui.

Haec verba ex elegiaco carmine videntur mihi excerpta, quo Hexametri finem constituerint et initium Pentametri; sed Broukhusio ad Propert. L. I. El. 20. v. 39. est fragmentum carminis glyconici, quod suppleto vocabulo ita restituendum censet:

Lilium *vaga candido*
Nympha quod secet ungui.

De utraque casus sexti forma *ungue* et *ungui* ablegat nos ad Priscian. Lib. VII. (c. 13. p. 338. T. I. Kr.), Servium ad. Virg. Aen. Lib. IX. v. 474. et Vossium d. Anal. L. II. c. 12., quae nostra memoria doctius exposuit C. L. Schneider. in Gr. Lat. Sect. II. 1. p. 226.

XVI. Macrobius Saturn. III. c. 8. Nam et apud Calvum Acterianus affirmat legendum:

Pollentemque deum Venerem.

quo in loco Vossius ad Catull. p. 259. *deum* per Syncopen pro *deorum* dictum putavit, et sic alii, quos Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. T. I. p. 670. attulit, sed frustra: id quod pluribus probavit, praeter Delrium ad Senec. Herc. Fur. v. 384. T. III. Syntagm. Trag. Lat. p. 255., Verheyk ad Anton. Liber. c. 29. p. 191. et p. 125 sqq. ed. Teucheri. Caeterum idem Calvi hemistichium profertur a Servio ad Virgil. Aen. II. v. 632. *Descendo ac ducente deo* i. e. Venere.

XVII. A. Gellius N. A. Lib. IX. c. 12. Item C. Calvus in poematis *laboriosus* dicit, non ut vulgo dicitur, qui laborat, sed in quo laboratur:

Durum rus fugis et laboriosum.

Hunc versum, ab H. Stephano p. 414. Gallo i. e. Cornelio Gallo tributum, Calvo vindicavi in Comment. de *C. Helvio Cinna* cap. III. 3. Fr. XI. Nonius enim p. 133, 12. h. verba *Galli* nomine laudat, et Stephanum in fraudem induxit.

XVIII. Servius ad Virgilii Aen. Libr. VIII. v. 58. „Alii dicunt favere nuptiis Cererem, quod prima nupserit Jovi et condendis urbibus praesit, ut Calvus docet:

Et leges sanctas docuit, et cara jugavit
Corpora connubiis, et magnas condidit urbes.“

Hos duo de Cerere θεσμοφόρῳ versus, quos ex Calvi Epithalamio depromptos ingeniose suspicatur Osannus ad Apuleji d. Orthograph. §. 2. p. 17., protulit etiam Ellendtius in Prolegom. in Ciceronis Brut. p. CXXV., itemque hemistichium, quod servavit

XIX. Servius ad Virgilii Aen. Libr. XI. v. 169. *Non alio digner te funere.* „Alii *dignem* legunt juxta veteres ab eo, quod est *digno*. Calvus:

Hunc tanto munere digno.“

Quo ex carmine Calvi haec deprompta sint verba, ne suspicari quidem nobis licet. Almeloveenius in Opusculis p. 168. hoc quoque inter carminum Fragmenta profert, quod habet

XX. Charisius Libr. I. p. 62. P. „Stomachus etiam in pluribus singulariter dicitur, ut ait Calvus: *Quorum praedulcem cibum stomachus ferre non potest.*“

DE

CAJO HELVIO CINNA POETA.

Ex quo antiquarum literarum studia, depulsis barbariei tenebris, in Europa denuo instaurari et cum omnium scriptorum, tum etiam Romanorum poetarum opera ex monasteriorum umbra in lucem proferri et ad publicam celebrari notitiam coepta sunt; in universa eorum, qui aurea, quae dicitur, aetate Romae vixerunt, poetarum censura ad Virgilium et Horatium, una et consentiente virorum intelligentium voce, principatus omni tempore est delatus. Neque hoc est quod miremur, si quidem jam Petronius Sat. c. 118. caeteros poetas, praeter illos, non vidisse viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuisse calcare dixerat, ita ut in utroque summa poetici ingenii vis ac veluti mensura apud Romanos et exstitisse et constitisse putaretur. Hinc etiam factum est, ut eorum carminibus plurimum operae doctrinaeque ab Interpretibus certatim impertiretur, et, quotquot viri de Poeseos studiis, quae tum temporis viguere, ab ipso Augusto et Maecenate factitata, et mirum in modum nutrita, scripserunt, ii omne fere suum de divina hac arte ejusque communi Romae cultu judicium ad illorum poetarum praestantiam conformarent et regerent et, quae his laeta atque invidiosa contigisse narratur in Augusti domo et parasitica Maecenatis mensa vitae conditio, eandem etiam plerisque caeteris affingerent et quasi fruendam concederent. At enim vero hi viri, qui speciosam Augustei aevi felicitatem ambitiosius et inflatius praedicare et de principum istorum civitatis virorum in literas meritis et patrocinio mira somniare solent, non dubium est, quin longe secus de illis statuissent temporibus ac viris, si plus studii

ac curae iis tribuissent poetis, quorum opera, praeter pauca fragmenta, temporis absorbuit longinquitas quorumque memoriam non nisi tenuibus servatam vestigiis ad nos transmisit. Quot enim ingenia illo se proferebant aevo atque ostentabant! Quot poetae exstitere, Virgilio Horatioque aequales et familiaritate amicitiaque juncti, qui eadem tractarent studia et cum illis non sine popularium suorum applausu ac favore de eadem contenderent laude: quorum veluti intermortuam memoriam revocandam, merita cujusque in poesin, quantum ejus fieri possit, suis ponderanda esse momentis et docendum, qua quisque usus fuerit vitae conditione, priusquam de poeticis aureae aetatis studiis universaque illorum temporum ratione certo pronuntiari statuique possit, nemo est, quin intelligat.

Inter illos autem poetas, quorum memoria et ingenii doctrinaeque laus mira fatorum iniquitate si non prorsus deleta, at obscurata tamen ad posteritatem est propagata, non ultimum locum tenere mihi videtur *Cajus Helvius Cinna:* qui cum vivus clarissimorum virorum familiaritate et amicitia floreret et a nonnullis aequalium poetarum ob doctrinam carminumque praestantiam magna ornaretur laude, nostra aetate nullum sui ingenii ac studiorum aestimatorem nactus, aeterna ferme obrutus est oblivione. Qua cum nequaquam sit dignus, de eo ita disputare placet, ut Capit. I. quidquid de ejus vita mihi innotuit, in medium proferam; Capit. II. de ejus ingenio, doctrina et carminibus agam, et Capit. III. carminum ejus fragmenta, quotquot hodie supersunt, tum aliorum tum meis illustrata observationibus proponam.

Caput I.

De Caji Helvii Cinnae Vita.

§. 1.

Cum Cinnae nomen in historia Romana haud ignobile sit, pluresque, qui illud gesserunt, nominatim e gente

Cornelia belli pacisque artibus inclaruerint [1]): de hujus poetae nomine eo accuratius est videndum, quo major in nomine gentis, ex qua ortus erat, et in ejus praenomine scriptorum discrepantia, sive ab ipsis rerum auctoribus, sive a librariorum errore profecta, deprehenditur.

Noster poeta a probatissimis scriptoribus aut simpliciter *Cinna* appellatur, ubi, quae adjuncta sunt, nos dubitare non sinunt, quin de poeta cogitandum sit, aut, praemisso nomine gentilicio, *Helvius Cinna:* quod gentis nomen in aliquot Codd. Suetonii et Gellii mire depravatum legitur, ut Gronovius ad Gellii N. Att. Lib. XIX. c. 13., Burmannus et Oudendorpius ad Sueton. Jul. Caes. c. 52. et 85. docuerunt. Ex vocabulorum monstris *Hejulus*, *Ejulus*, *Hevilus*, *Hellius*, *Helivius*, *Helius* et *Aelius* fuerunt qui *Aelius* adoptarent, in his Pithoeus et Scaliger, ideo notati a Burmanno Sec. ad Anthol. Lat. L. II. ep. 250. T. I. p. 44. Sed jam Gifanius in Ind. Lucret. p. 430. verum gentis, ad quam noster poeta pertineat, nomen non *Aelium*, sed *Helvium* esse monuerat, idque melioribus Suetonii et Gellii Mss. confirmatur. Similis scribarum lapsus ap. Ciceron. de Orat. L. II. c. 65. invenitur, ubi pro *L. Aelio Lamia* ante Ursinum *L. Helvius Lamia* legebatur [2]). Caeterum Helviorum nomen ap. Romanos haud obscurum fuit eorumque plures ob res in bello fortiter gestas cum laude commemorant rerum Romanarum auctores. Longum est enumerare singulos: hic memorasse sufficiat *Helvium Manciam*, C. Julii, oratoris, joco de ejus deformitate notum ex Ciceronis de Orat. L. II. c. 66. et Quintiliani I. Or. L. VI. c. 3. §. 38., ad quos locos Harlesius p. 364. et Spaldingius T. II. p. 550 sq. nomen *Helvius* in *Helmius*, *Elvius* et *Helius* a librariis corruptum e Codd. enotarunt. Neque fortasse silentio hic praetermittendae sunt duae ex eadem gente feminae, filiorum claritate utra-

1) Cf. *Glandorpii* Onomast. Roman. p. 274.

2) Cf. *Pearcii* Nota ad h. l. in edit. Harles. p. 339. Ita ap. Cicer. ad Attic. I. 9. „*Chilius te rogat, et ego ejus rogatu, Εὐμολπιδῶν πάτρια:*“ quo in loco Corradi et Victorius conjecerunt: „*C. Helvius te rogat,*“ et intellexerunt C. Helvium Cinnam, poetam, de quo agimus.

que posteritati commendatae, quarum priorem Ciceronis matrem fuisse, ex Plutarcho in Cicer. Vit. c. 1. T. IV. p. 747. R., posteriorem Senecae philosophi matrem, ex ipsius filii scriptis constat [3]). Nostro denique poetae aequalis fuit ille *Helvius Blasio*, comes et amicus D. Bruti, quem ad necem, forti subeundam animo, manu sibi ipsi coram eo intrepide illata, corroborasse fertur, teste Dione Cassio Lib. XLVI. c. 53. T. I. p. 488. Reim. Utrum hos poeta noster cognatione aliqua attigerit, non magis affirmare, quam negare ausim: qui seriori aetate innotuerunt Helvii, eos recensuit Glandorpius in Onomast. Rom. p. 394.

Quod ad praenomen ejus attinet, vidi Vulpium ad Catulli Carm. XCV. p. 469. et Io. Henr. Vossium ad Virgil. Eclog. IX. v. 35. p. 475. ambigentes, utrum *Cajus* an *Quintus* dictus sit Cinna noster; prior enim scribit: *C. vel Q. Cornelii Helvii Cinnae, optimi poetae*, etc. et hic: *Helvius Cinna, mit dem Vornamen Cajus oder Quintus* etc. In utriusque viri adnotatione mirum me habet praen. *Quintus*, necdum fontem, ex quo illius notitiam nominis hauserint, potui indagare. Quotquot scriptores, Graeci pariter ac Latini, hujus poetae mentionem faciunt, illud praenomen ignorant iisque, ut jam supra dixi, vel simpliciter *ὁ Κίννας*, *Cinna*, vel *Ἑλουΐος Κίννας*, *Helvius Cinna* appellatur, excepto Catullo, a quo diserte *Cajus* nominatur. Catullus Carm. X. Varii scortum, cum ipsi lecticarios, ex Bithynia adductos, meretricia arte eripere vellet, ita fefellit respondens v. 29. *Meus sodalis Cinna est Cajus: is sibi paravit:* quo in loco poetam nostrum intelligendum esse, infra satis apparebit. Huic gravissimi auctoris testimonio insuper addi possunt lemmata, duobus praefixa Epigrammatis in Anthol. Latin. L. II. ep. 250. et 251. T. I. p. 440. et aliquatenus etiam Valerius Maximus

3) Ita ap. Plutarchum l. c. olim legebatur: *Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ὀλβίαν καὶ γεγονέναι κ. τ. λ.*, quod mendum dudum sustulerunt VV. DD. auctoritate Eusebii in Chronico, qui Ciceronis matrem *Helviam* nominat. Nec minores corruptelas subiit in Codd. Mstis nomen matris Senecae, ut adnotavit Delrius in Syntagm. Trag. Latin. Proleg. Vol I. p. 37 et 61.

Lib. IX. c. 9. 1. Quo igitur jure Vulpius et Vossius Cinnae nostro praen. *Quintus* tribuerint, non magis habeo dicere, quam quod a Vulpio idem etiam *Cornelius* nominetur. Quaeritur sane, qui factum sit, ut *Cinnae* nomen, genti Corneliae proprium, ad Helviorum familiam traduceretur. Quod enim Xylander ad Plutarchi Vit. Ciceron. c. 1. scripsit, Romae fuisse Helvios Cinnae cognomento, id vulgari opinione, qua hic noster poeta et tribunus plebis, in Jul. Caesaris funere populi manibus dilaceratus, qui et ipse a Valerio Maximo l. c. *Cajus Helvius Cinna* appellatur, unus idemque esse statuitur, prorsus refellitur, quoniam, si ista opinio vera est, nullus, quod sciam, Helvius praeter poetam Cinnae cognomine ab historicis memoratur. Sed quidquid ejus rei est, de qua deinceps videbimus, id statuamus necesse est, nostrum Helvium per adoptionis jus Cinnae cognomen accepisse, neque tamen, quod Vulpius nescio qua auctoritate fretus dicit, nomen Corneliae quoque gentis assumpsisse. Itaque plenum verumque hujus poetae nomen fuit Cajus Helvius Cinna.

§. 2.

Tempus, quo floruit Noster, satis definitur a Catullo, qui eum l. c. *sodalem* appellat suum et praeter familiarem de adulteriis, in immensum brevi auctis, querelam, quam in ejus sinu Carm. CXIII. deponit, ejusdem poema, Smyrnam, cum manifesta intimae amicitiae significatione Carm. XCV. laudat. Annus ejus natalis nos latet; qui autem ei fuerit fatalis, certo nobis constaret, si, quae de ejus nece traduntur, certa niterentur fide.

Namque Suetonius, quem primo testium loco ponere placet, in Vit. Jul. Caes. c. 85. haec memoriae prodidit: *Plebs statim a funere* (Caesaris) *ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit: atque aegre repulsa, obvium sibi Helvium Cinnam, per errorem nominis, quasi Cornelius is esset, quem graviter pridie concionatum de Caesare requirebat, occidit, caputque ejus praefixum hastae circumtulit.* Hoc igitur aliquot diebus post Idus Martias a. U. C. 710., a. Chr. n. 44. accidit. Jam cum

Suetonio faciunt et alii: in his Valerius Maximus L. IX. 9. 1. *C. Helvius Cinna, tribunus plebis, ex funere C. Caesaris domum suam petens, populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem saevire se existimabat: — eoque errore propulsus est, ut caput Helvii perinde atque Cornelii circa rogum Caesaris, fixum jaculo, ferret: officii sui alieni erroris piaculum miserabile.* Neque dissentiunt ab utroque domestico rerum Romanarum auctore Appianus B. C. Libr. II. c. 147. Vol. II. p. 380. Schw. — *καὶ τοὺς ἀνδροφόνους, ἐκφυγόντας πρὸ πολλοῦ, περιθέοντες ἐζήτουν, οὕτω δὴ μανιωδῶς ὑπὸ ὀργῆς τε καὶ λύπης, ὥστε τὸν δημαρχοῦντα Κίνναν ἐξ ὁμωνυμίας τοῦ στρατηγοῦ Κίννα, τοῦ δημηγορήσαντος ἐπὶ τῷ Καίσαρι, οὐκ ἀνασχόμενοί τι περὶ τῆς ὁμωνυμίας οὐδ' ἀκοῦσαι, διέσπασαν θηριωδῶς, καὶ οὐδὲν αὐτοῦ μέρος ἐς ταφὴν εὑρέθη:* et Dio Cassius Lib. XLIV. c. 50. T. II. p. 274. St. — *ἀλλ' ἐπί τε τὰς οἰκίας τῶν σφαγέων ὥρμησαν, καὶ ἄλλους τε ἐν τούτῳ, καὶ Ἑλούϊον Κίνναν δημαρχοῦντα μάτην ἀπέκτειναν· οὐ γὰρ οὗτος ἐπεβούλευσε τῷ Καίσαρι, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς μάλιστα αὐτὸν ἠγάπα· ἐπλανήθησαν δὲ, ὅτι Κορνήλιος Κίννας ὁ στρατηγὸς συμμετέσχε τῆς ἐπιθεσίας*[4]). Cum igitur Valerius Maximus, Appianus et Dio Cassius hunc Helvium Cinnam tribunum plebis fuisse narrent, quis est, qui dubitet, quin idem ille sit, de quo Suetonius in Vit. Jul. Caes. c. 52. *Helvius Cinna, tribunus plebis, plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Caesar ferre jussisset, quum ipse abesset, uti uxores liberorum quaerendorum caussa, quas et quot vellet, ducere liceret.* Quo loco firmatur id, quod Dio Cassius disertis testatus est verbis, hunc Helvium Cinnam

4) Hic L. Cornelius Cinna, Praetor a. U. C. 710., qui, Caesaris licet affinis, primus in concione, abjecta veste praetoria, veluti quam a Caesare tyranno acceptam aspernaretur, Caesarem dixerat *tyrannum*, ejusque percussores laudaverat *tyrannicidas*, teste Appiano B. C. Libr. II. c. 121., non multum aberat, quin postridie in Telluris aedem, quo M. Antonius Senatum convocaverat, festinans a veteranis Caesaris lapidibus petitus interficeretur, auct. Appiano B. C. Libr. I. c. 126. Eundem sunt qui inveniant ap. Cicer. Philipp. III. c. 10. ibiq. Garaton. Vol. II. p. 49. W.

fuisse Caesaris amicum, quippe quem dignum censeret, cui tam secreta legibusque rei publicae contraria res, qualis illa lex fuit, concrederetur. Eandem ejus cum Caesare amicitiam contestatur etiam Plutarchus in Vit. Caesar. c. 68. T. IV. p. 291. R. *Κίννας δέ τις τῶν Καίσαρος ἑταίρων ἔτυχε μὲν, ὡς φασι, τῆς παρῳχημένης νυκτὸς ὄψιν ἑωρακὼς ἄτοπον. — ὡς δ' ἤκουσεν, ἐν ἀγορᾷ τὸ σῶμα καίεσθαι τοῦ Καίσαρος, ἀναστὰς ἐβάδιζεν ἐπὶ τιμῇ, καίπερ ὑφορώμενος τὴν ὄψιν ἅμα καὶ πυρέττων. καί τις, ὀφθέντος αὐτοῦ, τῶν πολλῶν ἔφρασεν ἑταίρῳ τοὔνομα πυνθανομένῳ, — ὡς οὗτός ἐστιν ὁ ἀνὴρ τῶν ἀνῃρηκότων Καίσαρα· καὶ γὰρ ἦν τις ὁμώνυμος ἐκείνῳ Κίννας ἐν τοῖς συνωμοσαμένοις, ὃν τοῦτον εἶναι προλαβόντες, ὥρμησαν εὐθὺς καὶ διέσπασαν ἐν μέσῳ τὸν ἄνθρωπον.* Certissimum est, a Plutarcho eundem significari Helvium, quem scriptores, paulo ante citati, memorant quemque Valerius Maximus jure miserabile officii sui piaculum appellat; utrum vero is sit poeta ille, Catulli amicus, id ex iis saltem, quae hactenus in medium protulimus, scriptorum testimoniis non ita colligi probarique potest, ut nullus dubitandi supersit locus. Nihilo tamen secius hanc opinionem, tamquam omni exemptam dubitatione amplexi sunt viri docti quam plurimi: in his, praeter P. Crinitum de Poet. Lat. c. 30. et L. Gyraldum de Poet. Hist. Dial. X. p. 371. Opp., Muretus et Isaac. Vossius in Not. ad Catull. Carm. XCVI., Victorius Var. Lect. L. XXII. c. 13. p. 265., Glandorpius in Onom. Rom. p. 393., Ruaeus ad Virgil. Ecl. IX. v. 35., Imman. Weberus in Dissert. de Casibus Poetar. Tragicis. Viteberg. 1714. p. 32., quibus adde Suetonii Interpretes, Burmannum et Oudendorpium ad Jul. C. c. 85. et Baumgarten-Crusium in Ind. Hist. Sueton. p. 21. itemque Perizonium et Torrenium ad Valer. Maxim. IX. 9. 1. p. 835., alii, qui quidem omnes innixi sunt, ut videtur, loco Plutarchi in Vit. Bruti c. 20. T. V. p. 382. R., in quo ille scriptor, postquam narraverat, plebis impetum, in domos percussorum Caesaris factum, ab iis fuisse repulsum, ita pergit: *ἦν δέ τις Κίννας, ποιητικὸς ἀνὴρ, οὐδὲν τῆς αἰτίας μετέχων, ἀλλὰ καὶ φί-*

λος Καίσαρος γεγονὼς κ. τ. λ. hisque totidem fere verbis de visione et nece Cinnae subjicit ea, quae in Vita Caesaris relata legimus.

Tametsi hic Plutarchi locus, utpote diserte poetica illius Cinnae studia contestans, isti Virorum Doctorum sententiae mirum in modum favere videtur; tamen non defuerunt, qui assensum suum cohiberent, adeoque Plutarchi locum de corruptione suspectum haberent. Ita Torrentius in Comment. ad Suetonii Caesares p. 86. (Antwerp. 1578.) ad Vit. Jul. Caes. c. 85. tribunum plebis distinguit a poeta cognomini et Victorio contradicit; Xylander a Plutarcho l. c. πολιτικὸς ἀνὴρ pro ποιητικὸς scriptum fuisse suspicatur, quo ὁ δημαρχῶν, *tribunus plebis*, significetur, neque Reiskius nisi alia accedant argumenta, de Cinna, laudato Smyrnae auctore, cogitari posse putat. Hos, quantum sciam, longo temporis intervallo secutus est Io. H. Vossius ad Virgil. Ecl. IX. p. 674., qui, nominis similitudinem nihil ponderis hac in caussa habere monens, hoc prae caeteris urget, quod scriptores, qui tribuni plebis mentionem faciunt, nihil ei laudis a poetica facultate desumptae attribuant neque Grammatici de tali morte poetae, qualem passus est tribunus plebis, quidquam tradant. Quod quum scriberet Vossius, non videtur ei succurrisse Plutarchi locus modo allatus, in quo ποιητικὸς ἀνὴρ appellatur Cinna, quem tribunum esse miserabili exstinctum casu, manifestum est. Neque enim erit, qui Xylandri probet hariolationem, invitis factam Codicibus neque ab ipsa lingua aliquid commendationis habentem. Hoc vero Plutarchi testimonium nihil plane curavit Vossius, quod satis mirari non possum. Deinde argumentum, a scriptorum silentio ductum, pluris facit Vir eruditissimus, quam par est: illud enim cum per se leve est atque incertum, tum etiam sic facili opera elevari potest, ut dicamus, nihil caeterorum interfuisse scriptorum, ut, crudeli ejus fato memorato, simul adderent, illum etiam poeticam calluisse artem et carminibus scribendis clarum fuisse. Neque magis a Grammaticis postulari poterat, ut, sicubi Cinnam citarent fragmentumve ejus carminum afferrent, etiam, quale mortis

genus occubuerit, notarent, quamvis illud, ut tristissimum, ita memoratu dignissimum fuerit. Enimvero isti homines verba potius, quam res curabant, nisi forte de industria clari viri vitam et facta scribebant.

§. 3.

Cum igitur certissimum sit, Cinnam, quem Plutarchus ποιητικὸν ἄνδρα nominet, esse tribunum plebis per nominis errorem a concitato populo dilaceratum, nihil obstaret, quo minus de poeta, Catulli amico, cogitares, nisi nobis Chronologiam reputantibus gravissimae suborirentur difficultates. Etenim scita admodum est Vossii suspicio, *Propempticon Pollionis*, quod inter Cinnae poemata memoratur (vid. Cap. III. N. II.), ab eo fuisse scriptum, cum Pollio, Antonii jussu, adversus Parthinos, Dalmaticam gentem ferocem et Bruti caussae eximie faventem, cum exercitu proficisceretur a. U. C. 714., quo anno etiam a Virgilio Eclogam VIII. exaratam fuisse, probabilis est VV. DD. opinio [5]). Ex hac expeditione, rebus feliciter gestis, Pollio redux factus an. 715. triumphavit et de manubiis primus publicam Romae instruxit bibliothecam in atrio Libertatis: cf. Masson in Vit. Horatii p. 90 sqq. cl. p. 106 sq., Intpp. ad Sueton. Octav. c. 29. et Ovid. Trist. III. El. 1. v. 71 sqq. Cum autem Catullus, quod ex Carm. XII, v. 6 – 9. colligi licet, magni faceret carumque haberet Pollionem, facile fieri poterat, ut etiam Cinna, Catulli consortio et amicitia usus, ingeniosi illius viri doctique poetae amore caperetur eique, adversus Parthinos ducenti legiones, fausta quaevis apprecatus, nominatim ingentem praedae opumque vim augurareturr: quod ex residuo illius poematis fragmento haud temere concluditur. Verum haec si a Vossio probabili modo disputata sunt, in promptu est videre, Cinnam, hujus Propemptici auctorem, non esse posse illum tribunum plebis in funere Caesaris, igitur qua-

5) Vid. *Heynius* in Virgilii Vita p. ann. digest. an. 714.; in Argum. ad Eclog. VIII, et ad ejusd. Eclog. v. 6.; imprimis autem *J. R. Thorbeckii* Comment. de C. Asinii Pollionis Vita et Studiis Doctrinae. Lugd. Bat. 1820. p. 81 sqq.

driennio ante Pollionis expeditionem, a populo necatum. Ejusdem quidem generis, sed, ni me omnia fallunt, longe certius evidentiusque argumentum, quo plerorumque sententia de Cinnae obitu evertitur, peti debet ex ipso illo Virgilii loco, qui Vossio scribendae illius Notae ansam dedit. Mantuanus enim poeta, Lycidae persona loquens, non modo suum poeseos amorem, sed etiam carminum componendorum studium a vers. 30. profitetur, de quibus tamen adeo modeste sentit, ut dicat v. 35.

Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Hic Virgilii locus, multis nominibus memorabilis, est sane dignus, cujus sententia ac vis accuratius expendatur.

Quamquam in Codd. Mss. constanter *Varo* legitur, tamen lectioni *Vario* fidem faciunt Servius ad h. l. et Schol. Cruq. ad Horat. I. od. 6. p. 20., qui poetam nobilem illum epicum et tragicum recte intelligunt. Hic, magna apud Augustum et Maecenatem gratia pollens, et ab Horatio, quem Maecenati commendaverat (v. Horat. Sat. I. 6. 55.), eximiis ornatus laudibus, h. l. a Virgilio memoratur tamquam princeps illius aetatis poeta, cujus judicio si sua probata fuerint carmina, tum demum nihil sibi ad perfecti poetae laudem deesse putat. Cum autem Varium Virgilio, qui a. U. C. 735. diem obiit supremum, superstitem fuisse ex notissima de Mantuani poetae testamento narratione constet [6]), in aprico est, hac in Ecloga de Vario, poeta vivente adhuc et florente, esse sermonem. Jam huic Vario, clarissimo poetae, adjungitur Cinna: quem Cajum Helvium Cinnam illum esse, de quo cum maxime disputamus, nemo, opinor, dubitabit, nec quisquam, spero, nos vanitatis ac temeritatis in conjiciendo insimulabit, si hoc freti

6) Huc pertinet testimonium Apuleji d. Orthogr. §. 13. dicentis, *Varium* et *Cinnam* fuisse contubernales: videsis ibi Osanni Adnot. p. 67 sq. Hic praeterire non possum *Ruaeum*, qui de Helvio Cinna in h. Virgilii loco cogitari posse negat, quia ille in funere Caesaris sit occisus, eosque falli censet, qui Virgilium h. l. de Vario et Cinna poetis loqui statuant; ipse intelligit P. Quintilium Varum et Cornelium Cinnam Magnum, Pompeji Magni ex filia nepotem, rationibus usus, in quibus confutandis pudet tempus et chartam perdere.

loco pro certo exploratoque ponimus, Cinnam non minus quam Varium eo, quo haec Ecloga scripta sit, anno in vivis adhuc fuisse; alioquin non exputo, quae tandem vis et acumen huic inesse queat loco [7]). Cum vero haec Ecloga nona a Virgilio a. U. C. 713. sive, ut Vossius, cui Wunderlichius adstipulatur, statuit, per aestatem anni 714. scripta sit, hac temporis ratione certissime evincitur, Cinnam poetam diversum esse debere a cognomini illo tribuno, qui mense Martio a. U. C. 710. dirissimo fato perierit.

Hac igitur disputatione eruimus et nacti sumus duos Helvios, aetate et nominibus aequales, tribunum plebis alterum et amicum Caesaris, qui officii sui miserabile piaculum factus est, quippe per nominis errorem a populo per Antonium concitato dilaceratus pro Cornelio Cinna, Praetore et affini Caesaris, de quo Appianus Civil. II, 121. et Plutarchus in Brut. c. 18. videndi sunt; alterum poetam, amicum Catulli et Pollionis et patronum Virgilii, quo aetate grandiorem fuisse ex loco cit. patet, sed fortasse natu minorem Catullo, qui quidem in flore aetatis, vix aliquot annos ultra quadraginta natus, obiit: vid. Doering. in Vit. Catulli p. XL. Quod vero ad Plutarchi locum attinet, in quo infelix ille Cinna ποιητικὸς ἀνὴρ appellatur, non equidem in textus verbis mendum inesse arbitror, sed reputanti mihi nominum, quae uterque gessit, similitudinem injicitur suspicio, Plutarcho humani quid accidisse eumque Cinnam poetam cum tribuno confudisse, nisi forte et hunc poetica facultate polluisse credere malimus: quod tamen, fateor, minus placet. Utramvis autem amplexus fueris opinationem, nostra sententia, quae chronologica subductione tamquam firma arce innititur, isto Plutarcheo loco nequaquam evertitur.

Quousque Cinna vitam extenderit suam, nos ignoramus, quandoquidem nullum, quod sciam, exstat de ejus vita testimonium Virgiliano serius [8]). Quemadmodum vero

---

7) Vid. *Donati* Vit. Virgil. XIV. §. 58. et *Heynius* in Virgil. Vit. p. ann. dig. an. 735. p. CXXIV.

8) *Ulpianus* in l. 6. D. de Rit. Nupt. et *Javolenus* in l. 4. §. 1. D. de Cond. et Dem. laudant Cinnam inter discipulos Servii Sulpicii Icti, et

ex eo probatur, Cinnam an. 714. adhuc vixisse, ita etiam ex eodem apparet et jure colligi potest, eum non minus quam Varium in magna tunc temporis Romae fuisse existimatione atque honore, dignumque visum esse Maroni, quem in carminibus scribendis, ut praestantissimum exemplum, aemularetur. Verum quoties ego hanc Eclogam attento perlegi animo, toties haec honorifica Varii et Cinnae commemoratio et blanda ac propemodum adulatoria voluntatis ac studii in utrumque significatio, inserta illa carmini, quod ad certum consilium a Virgilio compositum esse, omnes consentiunt Interpretes et res ipsa loquitur, mihi et mirationem fecit et suspicionem aliquam injecit, quam facere non possum quin hic in medium proferam, praesertim quum inde partim in universam vitae rerumque conditionem et necessitudinem, qua poetae illius aetatis juncti inter se essent Romae, partim in nostri Cinnae vitam publicam ac fortunas aliquantum lucis redundaturum esse sperem.

Jam a Quintiliano Inst. Or. VIII, 6, 47. T. III. p. 335. Sp. monitum est, Menalcan pastorem hoc in carmine esse ipsum Virgilium, neque ulli dubium esse potest, quin ab eo illud sit scriptum, ut, postquam insolens quidam veteranus, sive Arrius, sive Clodius fuit, de quo Heynius ad Donati Vit. Virgil. VIII. §. 31. dixit, denuo ipsius agros invaserat, Octaviani opem contra hanc effrenem libidinem imploraret, adumbrata sub Menalcae persona sua ipsius sorte ac fortuna. Et quamquam totum hoc Bucolicum subitaria compositum est opera, in eo tamen haud obscura callidae artis, qua moveret Octaviani animum sibique conciliaret, deprehendisse mihi videor vestigia. Huc refero blandientem Vari ejusque in Mantuanos meritorum mentionem v. 26 sqq. ὡς ἐν παρόδῳ injectam, quae, cum ille, quisquis fuit [9]), Caesaris parti faveret eamque in Gallia

Augustinus de Nom. propr. p. 220. ait, potuisse eundem esse, quem Virgilius Ecl. IX. memoraverit: quam tamen opinationem rejecit *Everh. Otto* in Thes. Jur. Rom. T. V. p. 1618. monens, in Virgil. loco de Helvio Cinna cogitandum esse, Catulli amico, deque eo *Nic. Antonium* L. I. Bibl. Hisp. c. 1. §. 16. laudat: quod opus inspicere mihi non licuit.

9) De hoc *Varo*, quem Virgilius etiam Ecl. VI. 6. memorat, post

Cisalpina tueretur, non potuit non ipsi Octaviano esse gratissima. Jam vero aut egregie fallor aut eadem caussa Virgilium induxit, ut Varium et Cinnam tam blando tamque honorifico modo hac ipsa in Ecloga memoraret. Uterque enim Caesaris caussae favebat, ideoque apud Octavianum gratiosus erat. Varium addictum fuisse Caesaris parti, vel inde apparet, quod mox post pugnam prope Philippos per eum Horatius Maecenati est commendatus, et quanta per omnem vitam gratia apud Augustum valuerit, cum aliunde constat, tum Horatius II. Epist. 1. v. 247. satis testatur. Quas Cinna partes in ista civili discordia sit secutus, etsi nusquam memoriae proditum legimus, tamen ipsa affinitas, qua tribunum illum miserum, Caesaris amicum, contingebat, admodum probabile reddit, eum eidem favisse caussae. Quapropter etiam Cinnam nostrum Octaviani gratia floruisse arbitror. Dum vero Virgilius utrumque hunc poetam laudibus efferebat eorumque aemulum ac studiosum se profitebatur, suum ipsius partium studium testatum fecit, quo fieri non potuit, quin se in Octaviani gratiam insinuaret ejusque tutelam ac praesidium expugnaret. Fuit enim haec partium, quam quisque sequebatur, professio illo tempore summa et efficacissima animorum gratiaeque conciliatrix, neque, ut tum tempora erant, viro bono turpis atque inhonesta.

§. 4.

Hujus, quam proposui, sententiae et adjumentum et firmamentum invenio in seq. versu, quo Virgilius se anserem vocat, qui inter argutos olores strepat. Quem versum si per se spectamus, in eo nihil aliud quam proverbialis locutio de indocto, qui doctis loquendo obstrepat, inesse videtur, ut Graecis in usu est *κολοιὸς ἐν ταῖς Μούσαις*: vid. Erasmus Chil. I. Cent. 7. c. 22. Igitur olores h. l. sunt poetae praestantes, ut *cycni* ej. Eclog. v. 29., quidquid Cerdae obloquatur Heynius, intelligendique sunt Varius et Cinna, uti nonnumquam mali poetae corvis, picis et ulu-

doctas *Heynii* Excurs. II. ad Bucolica et *Io. H. Vossii* ad Ecl. VI. p. 290. et Ecl. IX. p. 460. disputationes, hodieque sub judice lis est, quam cognoscere et, si fieri possit, componere non est hujus loci.

lis assimilantur: quam rem, praeter Cerdam ad h. Ecl. v. 29 et 36., illustratam dederunt Lutpp. Theocrit. Idyll. V, 136. VII, 47. et Passovius ad Persii Prolog. v. 13. p. 230. At, si quid video, omnis decedit huic loco vis et omne acumen, si in eo nil praeter proverbium, quo Virgilius suam ἀμουσίαν significet, agnoscere velimus. Io. Lud. de la Cerda, vir multae lectionis, plures excitavit scriptores, qui h. locum imitatione expressisse putantur; omisit tamen praecipuum Propertii locum, qui ut manifesta imitatricis operae vestigia prae se fert, ita huic nostro versui plurimum lucis afferre mihi videtur. Propertius enim in Elegia XXV. Libr. II. ad Lynceum poetam scripta, hunc, qui, omissis grandioris argumenti carminibus, Philetae et Callimachi carmina leviora aemulari coeperat, felicior quippe futurus in amore puellarum severa aversantium poemata, laudat et, ut in eo perseveret studio, tum suonet ipsius exemplo cohortatur, tum aliorum poetarum, in his Virgilii a v. 61 sq., qui, licet cum maxime in scribenda Aeneide sit occupatus, tamen prius levioris suaviorisque carmina argumenti fecerit, Eclogas et Georgica, quae quilibet, sive rudis in amore, sive peritus, lubenter legat; tum v. 83. pergit:

Nec minor his animus, aut, si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor [10]).

---

10) Dedimus h. locum Propertii, prout nobis scribendus videbatur. *Burmannus* Sec. edidit: *Nec minor his animis, nec se minor ore canorus Anseris indocto carmine cessit olor*, et Scaligerum secutus hunc ei sensum subjecit: „Virgilium, licet ab aemulo lacessitum et provocatum, qui in Bucolicis nonnulla carpserat, tamen se ipso indignum existimasse, si quid obtrectatori responderet.“ Sed ego, quod ingenue fateor, non exputo, qua tandem ratione ex h. l. probari possit, Virgilium Anseri obtrectatori nihil respondisse, et, si haec vere subsit sententia, quo pacto ea cum praecedentibus conciliari queat: in eam tamen interpretationem transiisse video *Kuinoelium* (in cuj. edit. est Eleg. XXXIV.) et, quod magis miror, *Io. H. Vossium* ad Virgil. Ecl. III. v. 90. p. 145. et IX. v. 36. p. 479. Hanc ἀσυναισίαν primus, quod sciam, pervidit *Lachmannus* (in cuj. edit. est Eleg. XXX. L. III.), sed solita sua audacia, qua Scaligerum aequat, hoc distichon, inepto loco positum esse pronuntians, adnexuit v. 66. ita scriptum et cum seq. copulatum: *Nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus Anseris indocto carmine cessit olor, Tu canis umbrosi* etc.; ita enim cum restituere voluisse h. locum, licet in textu *aut, si minor ore, canendo* legatur, patet ex Corrig. p. 412. Recte *Lachmannus* optt. et plur. Codicum, partim *aut si minor ore*, par-

Quorum verborum hic est sensus: Nec minor est his (n. Eclogis et Georgicis Virgilii) spiritus, aut, si minor est, non tamen hic olor ore canorus i. e. Virgilius cessit indocto carmine Anseris h. e. non tamen ab Ansere superatus est, indocti carminis auctore. Quis non videt, a Propertio hic illum Eclog. IX. locum respici, in quo eadem inest amphiboliae acerbitas adversus Anserem poetam et malevolum Eclogarum judicem, teste Servio ad v. 36. *Et alludit ad Anserem quendam, Antonii poetam, qui ejus laudes scribebat, quem ob hoc per transitum carpsit.* Miror Heynium, cui haec Servii traditio dubiae fidei esse videtur

---

tim *aut sim minor* offerentium testimonia secutus scripsit *aut, si minor, ore canorus* pro *nec se minor*, quod a Scaligero profectum nullius Cod. auctoritate fulcitur: duo tantum Codd, not. Burmanno p. 478., *nec sim* praebent: quod unde ortum sit, deinceps videbimus. Injuria autem retinuit *animis*, sensu totius loci ita constituto: „In bucolico carmine Virgilium illo spiritu, quo Aeneam scribebat, minorem fuisse negat, nisi quod forte ore et magniloquentia cesserit epico carmini, eapropter, quod indoctum carmen cecinerit, veluti cygnus, cum suo omisso rudem anserum cantum imitatur." Cujus notae extrema verba aut ego non capio, aut sententiam Propertii loco obtrudunt, ab eo plane alienam. Hoc sane ex iis disco, a *Lachmanno* Anseris poetae mentionem hic nullam agnosci: quo jure, ipse viderit; me nunquam habebit assentientem. Idem ego miror, non sensisse eum, quam dura nascatur verborum juxta ac sententiarum junctura, admissa hujus distichi trajectione, quam, favente nullo Cod., fecit. Illi versus neutiquam suo sunt movendi loco, in quibus, recepta Codd. lectione *animus*, aptissimus inest sensus, quem supra indicavi. Bene jam *Kuinoelius* in textu *animus* reposuit et de spiritu poetico, quo significatu aliquoties legitur (v. c. Horat. Ep. I. 19. 24.) interpretatus est. Illa lectio pejori locum fecit ignorantia librariorum, quos ultima syllaba, vi caesurae producta, offendit: quae quidem ignorantia saepe corruptionis exstitit caussa, uti ejusd. Eleg. v. 25., de quo vid. *Valckenarius* ad Callimachi Eleg. Fragm. p. 12 sq. Loco nostro similia ex multis duo ap. Virgil. Aen. IV. 64. *Pectoribus inhians spirantia consulit exta*; IX. 610. *Terga fatigamus hasta.* Ab iisdem scribis, versui timentibus, profectum est illud *nec* pro *aut*, unice vera lectione, cujus tamen vim negandi post praegressam negationem illi non semper perspexerunt: unde factum est, ut *aut* saepissime ab iis mutaretur in *haud* sive *nec*: vid. Intpp. ad Virgil. Aen. II. 779. 786. III. 43. 162. IV. 502. et *Bentlej.* ad Hor. Epod. XVI. 6. Satir. I. 6. 68. cl. *Burmann.* ad Ovid. Met. III. 492. Igitur *aut* h. l. idem est quod *nec*, uti ap. Sil. Ital. XVI. 32. *Non ars aut astus belli vel dextera deerat*, et ita cedities: vid. *Handius* ad Statii Sylv. I. 3. 26. p. 379. *Bach.* ad Tibull. I. 9. 60. p. 102. et *Lachmannus* ad Propert. I. 15. 24. p. 64. IV. 21. 25. p. 318 sqq. et saepe in enuntiationibus concessivis denotat *non vero, non tamen*: vid. *Cortius* ad Sallust. Catil. c. XXIV. p. 162. Graviorem medelam huic Propertii loco adhibuit Heyulus ad Donati Vit. Virgil. XVII. §. 67. *Nec minor his animi, nec segnior ore, canorus — olor.* Videant alii, utra medendi ratio sit lenior.

et cui anserem ex opposito olorum natum esse probabilius est: mihi autem haec, quae Grammaticus narrat, ita comparata esse videntur, ut ab eo nullo pacto fingi excogitarique possent. Imprimis hoc notatu dignum est, quod Servius illam acerbitatem, qua Virgilius, nominis ambiguitate usus, poetam aequalem vellicat, ex diversarum in civitate partium studio deducat. Huc etiam facit testimonium Donati in Vita Virgil. XVII. §. 67., qui, memoratis Virgilii amicis, addit: *Anser vero, quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur.* Ista igitur animorum in rebus publicis dissensio diversarumque partium studium vide quam perniciosam vim etiam in privatorum hominum fortunas habuerit. Anser, Antonii poeta ac familiaris, eo ipso poetis, qui Octaviani caussae favebant et, suorum commodorum gratia, favere debebant, contemptui ac derisui erat. Quod quum dico, tantum abest, ut hoc ita intellectum velim, ac si Virgilius nulla alia, nisi publica ductus caussa, acerbo huic in Anserem joco indulserit et Octaviani gratia hostilem in eum exercuerit animum, ut privatas inimicitias, ex mutua aemulatione atque obtrectatione ortas, inter utrumque intercessisse suspicer, quas etiam a Donato, qui Virgilium ab Ansere non observatum fuisse dicit, significari puto. Neque hujus abalienati animi caussam ac fontem difficile est investigare. Cum enim admodum sit probabile, Anseri illas innotuisse Eclogas, in quibus Virgilius de Julio Caesare tamquam Deo, Pollionis suasu (v. Io. H. Vossius in Argum. Ecl. V. p. 234.) cecinisset et, recuperata sua villa, Octavianum, ut Deum tutelarem, Ecloga I. praedicasset: non est, quod miremur, si Anser, Antonii Triumviri familiaris, Octavianum Triumvirum tantis ornatum laudibus aegre ferret et de Virgilii, poetae juvenis, carminibus cupide pariter atque inique judicaret, hic autem, comperto tali de se judicio, exacerbatus, animo suo non modo non temperaret, sed, quam ceperat indignatiunculam, in Ecloga, quae denuo querelarum ac votorum suorum apud Octavianum esse deberet interpres, eam effunderet, Anserique tecta ac faceta ratione illuderet. Neque verendum erat Virgilio, ne hicce

verborum lusus, nullo studio et arte quaesitus, sed ob Varium et Cinnam, oloribus comparatos, sponte oblatus, Octaviano non placeret adeoque eum, Antonii collegae caussa, offenderet, cum hos homines non voluntatum atque officiorum consensio et communitas, sed imperii rapinarumque cupido junctos teneret et hoc ipso, quo haec Ecloga nona scripta est, anno pro solita tyrannis diffidentia alter ab altero sibi timeret. Quemadmodum igitur Varii et Cinnae laus, quos Virgilius ipse colebat et admirabatur, Octaviano accepta esse debuit, ita etiam lepidam Anseris irrisionem haud ingratam neque offensionis plenam ei esse potuisse, in promptu est videre.

Num hic Anser, praeter Virgilium, etiam aliis poetis, apud Octavianum gratiosis, malevole obtrectarit, nos latet; Propertium autem non injuria aliqua provocatum, sed amicitia et admiratione Virgilii sui ductum pari irrisione eum esse insectatum, ex ipsa loci illius ratione et conformatione, si quid video, evincitur. Illud autem ambiguum est, utrum Propertius, dum *indoctum* aliquod Anseris *carmen* memorat idque Virgilii Bucolicis et Georgicis praestare negat, certum quoddam ejus poema in mente habuerit, an in universum ejus carmina, quae, ut malos ingenii foetus, reprehenderit? Mihi, ut quae sit mea sententia dicam, totius Elegiae consilium ac finem consideranti non dubium est, quin illud carmen, quod de Antonii rebus gestis Anserem scripsisse constat, intelligendum sit. Nam cum Propertius Lynceum, poetam epicum laudet, quod, omissis epicis argumentis, mollia et amatoria poemata scribere animum induxerit, eumque Virgilii exemplo confirmet, qui, licet cum maxime divinum Aeneidos opus tractet, tamen antea levioris argumenti poemata composuerit, quae indocto Anseris carmini, si spiritum spectes, neutiquam cedere dicit: mihi inde jure colligere posse videor, a Propertio hic significari epicum Anseris poema, et, cum illud de Antonii factis epici fuisse generis liqueat, de hoc etiam cogitandum esse, praesertim cum illud jam propter Antonium suos lectores et admiratores invenisse et aequalium attentionem in ipsum auctore convertissem videatur. Et

sane res ab Antonio gestae, si verum fateri volumus, vate haud indignae fuere, quippe quae illo jam tempore et multitudine et splendore Octaviani facta longe exsuperarent largamque laudandi materiam suppeditarent. Cum vero hocce carmen nostram aetatem non tulerit, plane nos fugit, quomodo Anser poetae partes in eo scribendo sustinuerit praeconisque rerum ab isto Triumviro peractarum provinciam administraverit. Hoc autem scimus, eum pro isto poemate agrum Falernum muneris loco ab Antonio accepisse. Haec splendida carminis remuneratio quid mirum si aliorum poetarum invidiam Anseri conflaret et, simulac publicum odium in Antonium exarsisset, eodem etiam ejus poeta premeretur et quasi conflagraret? Quid? nonne Cicero Philipp. XIII. c. 5. T. II. p. 482. Wernsd. illud, quod contra Triumvirum animo conceperat odium, in Anserem transfudit? Etenim in illo loco: *Albanum, Firmanum a Dolabella recuperabit, etiam ab Antonio Tusculanum, hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident, de Falerno Anseres depellentur;* de Ansere, poeta, Antonii familiari, cogitandum esse, jam Servius ad Virgil. Ecl. IX. v. 36. monuit, cui jure assentitur Garatonius. Haec ipsa vero Anseris mentio, a Cicerone facta, mihi dubium reddit, an ille tam misellus ac proletarius fuerit poeta, qualis Bavius et Maevius, quibuscum componitur et pari loco habetur a Servio ad Virgil. Ecl. VII. v. 21. *Thyrsis vero, qui vincitur, Virgilii obtrectator, scilicet aut Bavius, aut Anser, aut Maevius, pessimi poetae.* Antonius quidem, licet, teste Plutarcho c. 2. T. V. p. 104., haud leviter literarum tinctus esset scientia, utpote in ipsa Graecia dicendi facultatem edoctus, tamen cum ipse Octavianus, auctore Suetonio c. 86., eum eo nomine ut insanum increparet, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant, dubitari potest, an in eligendis nominis sui praeconibus severum adhibuerit delectum, praesertim cum, quam ἄμουσος fuerit, ea, quae de ejus necessitudine cum Boëtho, poeta Tarsensi, ap. Strabon. Lib. XIV. p. 674. (T. V. p. 704. Tzsch.) leguntur, satis declarent. Veruntamen, cum

alia de Ansere considero, videtur ejus nomini ac famae et apud aequales et apud posteros plus obfuisse Antonii clades, et quae posthac insecuta est Augustei aevi felicitas, quam ipsius ingenii tenuitas et carminum, quae scripserat, ratio. Ovidius enim, cujus hac in caussa utique aliqua est auctoritas, in illo loco, in quo se suaque carmina de lascivia atque inverecundia excusatum it proponendis aliorum poetarum exemplis, quibus nihil nocuerint lasciva carmina, etiam Anserem commemorat Trist. II. 435.

Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior
Anser;
Et leve Cornifici parque Catonis opus [11]).

---

11) Qui h. v. memoratur *Cato*, haud dubie est *Valerius Cato*, Poeta et Grammaticus, a Suetonio de ill. Gr. c. 2. 4. 11. laudatus et *Lydia* et *Diana* carminibus clarus, cuique vulgo *Dirae* etiam tribuuntur: de eo disseruit Wernsdorf P. L. M. Vol. III. p. XLVI sqq. Gravior exsistit dubitatio, quis sit ille *Cornificius?* Macrobius Sat. VI. c. 5. memorat hujus nominis poetam, ejusque exemplo excusat Virgilium, cui insolentium et barbarorum vocabulorum usus esset objectus. Ita Eclog. VI. 4. *deductum — carmen* tuetur Cornificii auctoritate, qui scripserit: *deducta miki voce garrienti:* itemque ad v. *bimembres* Aen. VIII. 293. addit: „Cornificius in Glauco: *Centauros foedare bimembres.*" In quo fragmento, ut hoc obiter addam, *foedare* dictum esse videtur ut χερνίσεσθαι in difficillimo loco Pindari Nem. I. v. 68. B. Igitur ex Macrobio discimus, fuisse poetam Cornificium eumque Virgilio antiquiorem. Jam vero a Donato in Vit. Virgil. XVII. §. 67. et XVIII. §. 67. memoratur Cornificius quidam inter Maronis obtrectatores et maledicos inimicos, ut taceam testimonia Servii ad Ecl. II. 39. et Ecl. V. 8. itemque Argum. Ecl. VIII. in Cod. Gud., de quibus Jo. H. Vossius ad Ecl. V. p. 238. nescio quo jure dubitat. Quae Donatus de eo tradit, ea non magis mihi sublestae fidei esse videntur, quam quae de Ansere apud eumdem legimus. Accedit aliud testimonium de Cornificio quodam, quod dat Hieronymus in Chron. Euseb. MDCCCCLXXVI. „*Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos saepe fugientes* galeatos lepores *vocaverat.*" Jo. Ger. Vossio de Poet. Lat. c. 2. p. 237. T. III. Opp. non dubium est, quin idem sit Cornificius, atque obtrectator Virgilii. At Heynius ad Donat. Vit. Virgil. XVII. §. 67. dissentit, quia Virgilius post illius Cornificii mortem, quae inciderit in a. U. C. 712., demum inclaruerit. Jam si ego haud vana conjectura ductus contendo, Cornificium poetam, cujus versus Macrobius attulit, eumdem esse, quem Ovidius memoret, multi, credo, facili animo mihi suffragabuntur; non item fortasse, si hunc ab obtrectatore Virgilii et eo, qui a militibus destitutus perierit, minime diversum esse judico. Quae enim ab Heynio movetur et urgetur difficultas chronologica, ea non tanti est, quanti primo adspectu videtur. Etenim Virgilius jam *Culice* suo, an. U. C. 709. edito (vid. Jo. H. Vossium ad Ecl. V. 52. p. 256.), qualis et quantus futurus esset poeta, satis declaraverat, eumque juvenem adhuc plura alia lusisse priusquam Eclogas scriberet, docet Plinius Ep. V. 3. Haec carmina, juvenilis sane, at tam eximii cultique ingenii foetus (v. quae Suetonius in Vit. Lucani refert.), cum in hominum notitiam essent perlata, quid mirum, si, ut omnium mentes

Igitur componit eum cum Cinna, illo poeta, cui Virgilius suas probatas esse vult Eclogas, eumque Cinna procaciorem fuisse ait. Quis vero est, qui hoc in ejus vituperium dictum esse putet? Et cui probabile est, Ovidium ab Anseris exemplo suae impuritatis et procacitatis excusationem petiisse, si in nulla ille apud Romanos fuisset laude atque honore? Ovidius nullos alios in illo carmine recenset poetas nec, si caussae suae consulere vellet, recensere potuit, nisi quorum carmina Romae ob aliquam praestantiam et virtutes magni aestimarentur et lectione frequentarentur. Quemadmodum igitur Cinna, ut mox videbimus, poemata scripsit amatoria eaque obsceniora, ita etiam Anserem iisdem aliquam nominis claritatem consecutum esse patet.

Quamquam, praeter hoc Ovidii testimonium, nullum aliud ad vindicandam Anseris dignitatem et laudem afferre possum neque omnino, quod sciam, alibi ejus exstat mentio, nisi forte huc traxeris truncatam illam Glossatoris Virgilii ad Georg. II. 402. notam, quam ex vet. Cod. Virgil. edidit Casp. Barthius Advers. Lib. XXXVII. c. 5. p. 1681.

---

oculosque in Mantuanum vatem converterent, ita etiam eo majorem aequalium poetarum invidiam et obtrectationem auctori concitarent, quo magis fortasse unus itemque alter eorum e re sua esse duceret, crescentem illum poetam viridi excludere Helicone. Fac igitur, Cornificium istum, perversae, ut Donatus ait, naturae hominem, a. U. C. 712. interiisse: tempus nihil obstat, quo minus eum malevolum Virgilii obtrectatorem et acerrimum inimicum fuisse credamus, minimeque a vero prorsus abhorret, illum a Virgilio Ecloga II. 39., quae a. U. C. 711. scripta est, sub stulti Amyntae persona vellicari, ut Servius ait. Neque casu factum arbitror, ut Ovidius Cornificium cum Cinna, Ansere et Catone componeret, quibus eum aetate parem, Virgilio autem annis provectiorem fuisse censeo. Haec si probabiliter a nobis disputata sunt, egregie firmatur Ach. Statii opinio, qua hic Cornificius ille est, ad quem Catullus Carm. XXXVIII. scripsit: cui sententiae etiam Burmannus ad Ovid. l. c. p. 536. adstipulatur, falso tamen ei versum aliquem tribuens: v. Progr. m. de Horatii Obtrectat. §. 6. Fuerunt sane plures illo tempore Cornificii: ex his unus, qui de *Etymis* scripsit, a Macrobio quinquies memoratus: quem illud opus post editos a Cicerone d. Nat. Deor. libros (h. e. post an. U. C. 709.) exarasse, patet ex Macrob. Sat. I. c. 9. p. 247. „*unde et Cornificius Etymorum libro tertio*, Cicero, *inquit*, non Ianum sed Eanum nominat ab eundo:" quibus in verbis Cicer. d. N. D. II, 27. manifesto respicitur. Hic quin idem sit, quem Pomp. Festus d. Verb. Sign. aliquoties allegavit, nullus dubito; cf. C. Barth. ad Stat. IV. Th. v. 482. T. II. p. 1115.; an vero ille sit Q. Cornificius, Ciceronis amicus et in augnratu collega, cui libros ad Herennium nuper Spaldingius ad Quintil. I. Or III. 1. 21. T. I. p. 435. vindicavit (cf. tamen Schützii Proleg. ad ill. Libr. p. XXXIII.), non ausim affirmare.

„*Anser, poeta erat Antonii de quo Mel in Philippica Ciceronis dixit quem sibi agrum donaverat Antonius* [12]); tamen haud vereor contendere, vel solo Ovidii loco fretus, eum non plane spernendum fuisse poetam, sed communi rerum publicarum conversione, quae, devicto posthac Antonio, facta est, tum ipsum, quoad viveret, afflictum; tum ejus memoriam eximiorum ingeniorum, quae, Augusto rerum potito, largo proventu emicuerunt, lumine ac splen-

---

12) Lacunosa est haec glossa: sub vocab. *Mel* latere suspicatur C. Barthius *Melissum* Grammaticum, laudatque Scaligeri Lectt. Auson. L. I. c. 14. (v. Ausonii Opp. ed. Tollius p. 183.): unde patet, eum intellexisse Cajum Melissum Spoletinum, Maecenatis familiarem, Grammaticum et *Togatarum*, quas *Trabeatas* inscripsit, et *Ineptiarum* s. *Jocorum* auctorem, qui etiam, Augusto delegante, bibliothecas in Octaviae portica ordinavit, ref. Sueton. d. illustr. Gr. c. 21. Ejus etiam meminit Ovidius ex Pont. IV. ep. 16. 30. *Et tua cum socco Musa, Melisse, levis:* ubi vid. N. Heinsius T. III. p. 899., cui dicenti, plenum ejus nomen fuisse: *Cajus Cilnius Melissus*, aeque minus assentiri possum, ac Meibomio, qui p. 4. et 110. illum se *Cajum Maecenatem Melissum* nominasse contendit, usus corrupto loco Plinii XXVIII. 17. T. VIII. p. 184. Fr., de quo alibi diserum. Cf. Delrius in Syntagm. Trag. Lat. Proleg. Vol. I. p. 28. Sane de ejus praenomine non convenit: Eusebio dicitur in Chron. MMXIII., quo mortuus esse fertur, *Marcus;* Acroni ad Horat. A. P. 288. p. 260. (ed. Bas. 1555a) *Cneus:* neutri tamen tanta fides est habenda, quanta Suetonio, quem sequitur G. Io. Vossius d. Poet. Lat. c. 2. p. 241. Liberti quoque aut praenomen aut nomen familiae patroni assumpserunt, numquam vero, quod sciam, utrumque. Gravius etiam errat Graevius ad Sueton. d. ill. Gr. c. 3., ubi pro *Lennaeus Melissus* audacter corrigit *Cilnius Melissus;* sed ille *Lennaeus* est Pompeji M. libertus, de quo Suetonius c. 15. copiose agit et, quia acerbissimam Satiram in Sallustium scripsit, etiam Casaubonus de Sat. Rom. Poes. p. 226. Ramb. Scripsit etiam de Medicina, teste Plinio N. H. XXV. 3., ubi *Lennaeus Pompejus* nominatur. In hunc Lennaeum Pompejum rusticis propemodum verbis invehitur Wielandus ad Horat. Sat. I. 3. v. 48. N. 9. p. 73., quem refutat Loebel in libro: *Zur Beurtheilung des Sallustius* p. 13 sqq. Uterque probe est distinguendus. Maecenatis libertum recte intelligit Heynius ad Donati Vit. Virgil. VI. §. 2., ubi Melissus quidam tradidisse dicitur, Virgilium sermone tardissimum ac paene indocto similem fuisse: hoc factum esse in libris *Ineptiarum*, scriptis a Melisso sexagenario, probabilis est ejusdem viri suspicio. Eximendus autem est ille numero Interpretum Virgilii, quo refertur ab Heynio p. CCXLIII.: nam Melissus, qui, Servio teste ad Aen. VII. v. 66., de Apibus scripsisse dicitur, est fortasse is, cujus librum de Animalibus laudat Albertus M. Lib. VI. d. Animal. Tract. c. 6. p. 196. Memoratur etiam *Melissus* quidam a Diogen. Laert. Lib. IX. p. 243. et *Melissus Euboicus* a Fulgent. L. II. Myth. p. 140.: uterque ab illis diversus, uti etiam ab *Helio Melisso*, Gellii aequali, quod patet ex N. Attic. XVIII. c. 6., de quo disputavit Petr. Paul. Iustus in Observat. Critic. Specim. Viennae 1765. 4. Hic Melissus, qui de *proprietate loquendi* scripsit, haud dubie intelligendus ap. Charis. p. 78. et Bedam d. Orthogr. p. 2779. P. Cf. Lindemannus ad Pompeji Commentum Art. Donati p. 426.

dore obscuratam exstinctamque videri. Quot enim poetae, si vel unum Ovidium testem sequimur, illa floruerunt aetate, non invita Minerva Musarum studiis operantes, quorum ne nomina quidem nobis constarent, nisi Sulmonensis ille poeta suis carminibus eorum memoriam posteritati tradidisset atque immortalitati commendasset. Atque de Cinna nostro, ad quem jam mea redit disputatio, quam pauca sunt quae comperta habemus, licet, uti vidimus, cum summis viris et familiaritate et amicitia junctus Romae viveret neque ingenii doctrinaeque laude careret, ut Cap. II. docebimus.

CAPUT II.

De C. Helvii Cinnae Ingenio et Carminibus.

§. 1.

Nobis de ingenio et carminibus C. Helvii Cinnae dicturis colligenda et exploranda sunt illa scriptorum veterum loca, in quibus mentio ejus injecta invenitur et carminum, quae scripsit, doctrinaeque, qua instructus fuit, ratio habetur. Hunc testimoniorum recensum jure auspicamur a Catullo, qui de Zmyrna, nobilissimo ejus opere, Carm. XCV. ita:

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem,
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem:
Millia quum interea quingenta Hortensius uno

— — —

Zmyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas;
Zmyrnam incana diu secula pervoluent.
At Volusi annales — — — —
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monumenta —
At populus tumido gaudeat Antimacho.

Hoc misere affectum Catulli carmen data hac occasione pro virili illustrabimus idque tamquam ducem secuti addemus ea, quae nobis de Cinnae ingenio et carminibus innotuerunt. Catullus magnis laudibus amici sui carmen, Zmyrna inscriptum, effert eique, quod diligentissima cura sit ela-

boratum, prae Hortensii poematis, leviter negligenterque fusis, palmam defert aeternamque auguratur famam, qua Volusii Annales tumidique Antimachi carmina sint caritura.

Cum inter Cinnae carmina *Zmyrnam* caeteris praestitisse auctorique nominis claritatem ac famam conciliasse, tum aliunde constet, tum ex hoc carmine, in quo amaram Hortensii Volusiique irrisionem cum summa Zmyrnae admiratione conjunctam videmus, satis manifestum reddatur, operae pretium est, illud accuratius cognoscere, et cujus fuerit argumenti, diligenter indagare. Quod priusquam aggredimur, praemittenda sunt nonnulla de scriptura vocab. *Smyrna:* de qua jam inter veteres fuisse dissensum, ex Sexto Empirico advers. Grammat. L. I. c. 9. §. 253. Fabr. patet, dum alii hanc vocem *Smyrna* alii *Zmyrna* exaratam voluerunt. Herodianus ap. Hermannum d. em. rat. Gr. Gr. p. 305. XIII. fieri posse negat, ut *Σμύρνα* scribatur *Ζμύρνα*, quoniam *ζ* sit litera consonans, quae literae *μ* praeponi nequeat. Sed fuisse Grammaticos, qui illam literam simplicem consonantem esse putarent, docuerunt Buttmannus in Gr. Gr. T. I. p. 15 sq. et Conr. Leop. Schneiderus in Gram. Lat. L. S. I. P. I. p. 381. Prout igitur illi de vi hujus literae statuebant, alterutram scribendi rationem praetulerunt: qui posteriorem amplectebantur sententiam, habebant Homerum, quo eam tuerentur, qui vocalem brevem, ante *ζ* producendam, corripuit, ut Iliad. II. 824. *οἱ δὲ Ζέλειαν ἔναιον* et Iliad. IV. 103. ad q. l. vid. Heynius T. IV. p. 572. et Thierschius Gr. Gr. §. 146. 8. p. 175., qua licentia seriores poetas ad vitium usque usos esse, monuit Hermannus ad Orph. Argon. p. 761. Eadem ratio nec minor inter Viros Doctos discrepantia invenitur de voc. *Smaragdus*, pro qua forma alteram *zmaragdus* tuentur Broukhusius ad Tibull. I. 1. 51. p. 21. El. II. 4. 27. et ad Propert. II. 13. 43. p. 141. item Burmannus Sec. ad Propert. l. c. p. 333. et ad Anthol. Lat. Lib. II. Car. 224. T. I. p. 415. secutus patrui ad Ovid. Met. II. 24. Amor. II. 6. 21. et ad Petron. c. 55. T. I. p. 360. auctoritatem: adde Intpp. nominatim Schwabium in Not. Crit. ad Phaedri Fab. L. III. 18. v. 7. T. II. p. 136. Hanc autem

scribendi rationem recentiori aetate impugnarunt Wakefield. ad Lucret. II. 804. T. I. p. 331. (Glasguae 1813.) et Huschkius ad Tibull. I. 1. 52. Vol. I. p. 29 sq. uterque innixus Prisciani praecepto, quod Conr. Schneiderus l. c. expendit. Memini etiam me legere in famosis istis libellis Breslaviae editis Fasc. I. p. 75. opinationem a V. D. propositam, qua in poetis metri caussa *smaragdus*, in prosaicis *zmaragdus* scribere jubemur: cujus rationis idoneam fateor me desiderare caussam. Vocabulo *zmaragdus* adjici potest v. *Zmintheus*, notissimum illud Apollinis cognomen, de cujus scriptura comparandi sunt Munckerus et Staveren ad Hygin. f. 106. p. 196. Jam, ut, quid mihi videatur, addam, licet Verheykius in Excurs. ad Antonin. Liber. p. 299 sqq. scripturam *Smyrna* unice veram esse pronuntiet, tamen alteram minime rejiciendam, nedum cum Wakefieldo hebetiori mediorum saeculorum pronuntiationi imputandam esse arbitror. Vetustatem ejus satis testantur Inscriptiones et Numi, de quibus Spanhemius d. Vs. et Pr. N. T. I. p. 116 sq. et Rasche in Lex. Num. T. IV. P. 2. p. 1266 sqq. consulendi sunt. Caeterum bonorum Codicum testimonio ea in re aliquid auctoritatis esse tribuendum puto, nec possum probare lubidinem Wakefieldi, qui praevalentem Codd. Mss. orthographiam in Lucretio nihil prorsus curavit. Quemadmodum igitur in Suetonii locis, in quibus hujus carminis mentio occurrit, quia nullam lectionis varietatem enotatam video, mihi vera lectio *Smyrna* esse videtur, ita totus assentior Spaldingio, qui in Quintiliano I. Or. X. 4. 4. plurib. Mss. obsecutus *Zmyrnam* scripsit, ad Intpp. Taciti Annal. IV, 56. ablegans, et in Catulli quoque Carmine lect. *Zmyrna mei Cinnae* etc., quam Isaac. Vossius p. 321. et Vulpius in vett. libr. invenerunt, praetulit. Maxime huc facit alius Quintiliani locus I. Or. IX. 2. 4. *Aliud apud Ovidium genus, apud quem Zmyrna nutrici amorem patris sic confitetur:* ubi not. Spaldingio Codd. corrupt. lectiones *Zinirina*, *Zmirna*, *Myrrha*, *Myrra* et *mirra* docent, non *Smyrnam* sed *Zmyrnam* a manu auctoris esse profectam. Non minori

jure in Hygin. f. 251. *Adonis Cinyrae et Zmyrnae filius* mihi edidisse videtur Munckerus [13]).

§. 2.

Sed jam inscii fere eo deducti sumus, ut, quae res sive fabula argumentum illius poematis constituerit, inquiramus et doceamus. Cujus cum in Catulli carmine nullum plane inveniatur indicium, non mirum est, ab Interpretibus diversas de eo prolatas esse suspiciones et sententias. Antonius Parthenius, Veronensis, ad Catullum autumat, expositas fuisse epico stylo a Cinna res et fata Smyrnae, Amazonis, a qua cognominem urbem vel conditam, ut Ste-

---

13) Haec, quae ante hos septem annos publici juris feceram, non approbata sunt a Silligio, Catulli doctissimo editore, qui, potiorem Huschkii ad Tibull. l. c. auctoritatem secutus, scripturam *Smyrna* retinuit. Sed tamen, id quod magnopere laetor, sententiam meam et dissensu suo comprobarunt et, quae est eorum doctrina accurata et copiosa, multis exemplis stabiliverunt amici aestumatissimi, Jahnius et Passovius. Ille in Ind. Verbor. ad Ovidii Metamorphos. edit. Gierig. s. v. „*Zmaragdus*" haec fere disputavit: „*Si Graeca spectes, utique scribendum esse videri potest* Smaragdus. — *Sed videntur tamen a Ciceronis aetate multa in scribenda littera* s̄ *novata esse.* — *Hinc fortassis ab illo fere tempore etiam literam* s̄ *ante* m̄ *in pluribus vocibus in* n̄ *mutari coepisse non injuria suspiceris.*" Et Passovius, cui unice cara est veritas, in Indice Lection. in Univers. Litt. Vratislav. p. aestatem a. MDCCCXXVII., cui *Quaestionem d. vestigiis Coronarum Meleagri et Philippi in Anthol. Const. Cephalae* praemisit, p. 9. haec scripsit: „*Philippi vero temporibus scripturam* ZM *pro* ΣM *in his* (n. Ζμῆνος et Ζμίνθος) *similibusque vocabulis invaluisse, gravissimum exstat Luciani testimonium, qui in Judicio vocalium* c: *IX. coram judicibus ita querentem inducit litteram Sigma: ὅτι δὲ ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα, μάρτυρεῖτέ μοι καὶ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα σμάραγδον ἀποσπάσαντι καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν Σμύρναν, ad quae verba dignus est qui conferatur Tib. Hemsterhusius. Cum Luciano faciunt Sext. Empir. adv. mathem.* I, 169. et *Eustath. ad Iliad. B.* p. 217, 24. Rom. *Ibid.* p. 228, 26. *Conf. Herodian. post Moerid. Piers.* p. 457. et ap. Herm. p. 305. *Theodos. Gramm.* p. 63, 26. ibiq. Göttling. p. 225. et *Philem. Lex.* p. 233. Osann." His utriusque amici copiis pauca habeo quae adjiciam. Garatonius ad Cicer. Philipp. XI. c. 2. Vol. II. p. 369. W. „*De illa scriptura, quam optimi quique Msti offerant,* Zmyrna, *diximus ad c.* 11. *pro Balbo:*" ubi cum optimo Erfurt. scripturam *Zmyrnae* probat jam pridem adsertam a Viris Doctis, quos allegat Vol. IX. p. 162. ed. Neapolit., Interprr. ad Taciti Ann. IV. 59., Vossio ad Catull. p. 321. et Broukhus. ad Tibull. II. 13, 43. Eamdem scripturam docte defendit Ang. Majus ad Cicer. d. Republ. I. c. 8. p. 24. ed. Rom. ibique Creuzerus p. 40. ed. Moser. — Io. H. Vossii ad Tibulli I. 1. v. 51. p. 148. causam Passovius l. c. bene tuetur contra Huschkium, quocum tamen consensit D. I. van Lennepius in Addend. ad Santenii Terentianum Maur. v. 1195. p. 421. In Catulli carmine veram n. *Zmyrna* scripturam nuperrime reposuit Car. Lachmannus. Berolini 1829.

phanus Byz. s. h. v. p. 677. ait, vel nominatam esse Strabo L. XIV. 1. §. 4. T. V. p. 505. Tz. aliique referunt. Alii, propius ad veritatem accedentes, existimarunt, egisse illud carmen de notissimo Adonidis mytho, in quo jam inter Graecos Hesiodus et Panyasis, auct. Apollodoro III. 14. 4., studium suum operamque collocassent. Tametsi haud diffiteor, illi de Adonide mytho locum in hoc carmine utique fuisse datum, tamen, si Cinna ipse, quod Catullus probabile reddit, suum opus Zmyrnae nomine inscripsit, non timeo, ne fallar, si abominandam Zmyrnae s. Myrrhae libidinem, qua patrem Cinyram, ab irata Venere instigata (v. Theocr. Id. I. 109. ibiq. Schol.), deperiit, et miserrima, quae inde insecuta sunt, ejus fata praecipuam illius carminis partem constituisse suspicor: alioquin, opinor, alio suum opus insignivisset titulo. Haec jam fuit sententia Adr. Turnebi Advers. Lib. XVII. c. 17. p. 569., eaque firmatur etiam paucis, quae supersunt, fragmentis, quae et carmen illud epici generis fuisse probant: quo mirus error Gedoyni refutatur, ad Quintil. I. Or. X. 4. 4. existimantis, Cinnae Zmyrnam fuisse fabulam scenicam: qui error jam a Capperonnerio notatus est. Quo plures autem et inter se discrepantes de isto Myrrhae incestu, quem Ovidius Metam. X. 298 — 502. suo more tractavit, in antiquitate exstabant narrationes, eo amplior patebat Cinnae nostro campus, in quo ingenium exercere et doctrinae vastae atque ex veteris Mythologiae fonte haustae opes et copiam expromere posset.

Catullus Cinnam amicum primum eo nomine laudat, quod Zmyrnam suam post novem demum annos in lucem ediderit: ob quam diligentissimam, quam scribendo carmini impendebat, curam omnino ille in magna celebratione apud antiquos fuit. Neque Catullum numero rotundo hic esse usum, fidem facit Quintilianus I. Or. X. 4. 4. *Nam quod Cinnae Zmyrnam novem annis accepimus scriptam et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet.* Attamen aliter Servius ad Virg. Ecl. IX. v. 35. *Etiam Cinna optimus poeta fuit, qui scripsit Smyrnam: quem libel-*

lum decem annis elimavit [14]). Levissima discrepantia, quae nescio an imputari debeat non tam Servio, quam librariis, qui, scripto fortasse illo numero non literis, sed signis IX., exemplaria describerent, in quibus prius detritum esset signum: quae res quot peperierit in Scrippt. vett. numerorum errores, notum est. Cum Catullo et Quintiliano facit Philargyrius ad Virgilii l. c. „*Cinna Smyrnam scripsit, quam nonum post annum, ut Catullus Carm.* XCIII. (s. 95.) *ait, edidit. Id quod et Quintilianus ait. Unde etiam Horatium in A. P.* 388. *dicunt ad eum allusisse, cum ait: Nonumque prematur in annum.*“ Quod de Horatio addit Philargyrius, quem in Epistola ad Pisones ad indefessum Cinnae studium limamque respexisse dicit, id nequaquam etiam Scholiastarum fide ac testimonio extra omnem dubitationem ponitur. Etenim Acron p. 267. Bas. haec: *Cinna librum scripsit, qui inscribitur Smyrna, quem non edidit nisi nono anno, dum saepius corrigit. Prematur autem, coerceatur, teneatur. Carmina usque ad nonum annum et corrigantur studiosius.* Porphyrion ibidem: *Exemplo Cinnae poterit uti, ut carmen suum, si malum est, novem annis dissimulet;* et Schol. Cruq. p. 635. ad v. *prematur: abscondatur, coerceatur, emendetur, poliatur: ut Cinna suam Smyrnam apud Catullum, quam novem annis suppressit.* Hi igitur non nisi loci illustrandi caussa Cinnae exemplum attulisse videntur. Quod tamen exemplum Turnebus Advers. XVII. c. 17. Horatio illud praeceptum suppeditasse et dictasse censet. Etsi neutiquam a vero abhorret, Horatii animo, cum Pisonis filio limam carminum eorumque edendorum cunctationem commendabat, exemplum diligentissimi Cinnae obversatum fuisse: tamen fateor, me in contrariam potius inclinare sententiam. Si enim Cinnam in mente habuit, ejusque diligentiam probavit, cur eum non diserte nominat, uti eodem loco Sp. Maecium Tarpam, ut optimum Criti-

14) Franc. Luisinus in Comment. in Horatii A. P. v. 388. ait, se in vet. Cod. invenisse *decimumque prematur*: cujus lectionis fides sit penes auctorem.

cum? Porro Quintilianus in Epist. Dedicat. ad Thryphonem §. 2. consilium, ne praecipitetur editio operis nonumque prematur in annum, Horatio tamquam proprium adscripsit. Quidni Horatius novem annos, veterum more, indefinite posuerit, ut multi alii, quos recensuit Schroeter. in Diss. de Eruditorum Cunctatione in componendis libris ad loc. Fabii L. X. c. 4. Viteberg. 1717. p. 9.? Sed nolo haec urgere: id tamen non possum quin dicam, me valde dubitare, an Cinnae carmen Venusino poetae fuerit probatum, quippe in quo circa vilem patulumque orbem ille esset moratus et nimia cura in obscuritatis vitium incidisset [15]).

Nam Cinna justam illam M. Varronis in limando libro curam, quam Cicero Academ. L. I. c. 1. §. 2. laudat, excessisse et Callimacho statuario similior evasisse videtur, qui, narrante Plinio H. N. XXXIV. 8. *semper calumniator sui, nec finem habens diligentiae; ob id cacizotechnos appellatus, memorabilis exemplo adhibendi curae modum.* Et quod Plinius de eodem subjicit: *hujus sunt saltantes Lacaenae, emendatum opus, sed in quo gratiam omnem diligentia abstulerit:* id vereor, ne de Cinnae quoque Zmyrna dici potuerit. Cf. *d. C. Licinio Calvo Poeta* §. 7. Debet sane esse aliquis modus in retractandis scriptis, quia nimia lima deterit magis, quam emendat, et, ut prudenter de ea re praecipit Quintilianus I. Or. X. 4. 3., orationem haud raro cicatricosam atque exsanguem reddit. Verumtamen illa cunctatio et scribendi tarditas sicuti fortasse multis nostratium, qui minime sunt haesitato-

15) Fallitur, puto, H. de Boschius, qui in Observatt. et Nott. in Anthol. Graec. p. 152 sq. opinatur, Horatium hoc versu ludere voluisse Cinnam poetam, qui totos novem, non menses, sed annos, in obscurissimo poemate, Zmyrna dicto, pariendo desudaverit. Sed aut fallor ego aut Horatius non nominavit Cinnam, quia tantum ejus curam in limando opere et verecundiam aliis exemplo esse voluit, non ipsum poema. Cuivis Romano haec legenti procul dubio Cinna succurrebat; quo nominatim commemorato debuerat Horatius praeceptum suum restringere sic, ut adderet: cujus curam et diligentiam dum laudo, ipsum opus non admiror ut exemplar perfectissimum, utpote quod cura nimis anxia fecerit obscurum. Catullus etiam a limae labore laudat Cinnae amici poema. Caeterum Pentametri penthemimeris h. l. a Catullo violatam multis exemplis illustrat Santenius ad Terentian. Maur. v. 1786. p. 298.

res in edendo, magnopere commendanda esse videatur, ita non sine caussa ab Horatio in A. P. Pisoni juveni et aequalibus injuncta est poetis; si quidem plurimos eorum verosimile est ei respondisse, quod, auctore Valerio Max. Lib. III. c. 7. Extern. 1., tragicus quidam poeta Euripidi querenti, quod triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, gloriabundus respondisse ferturi se perfacile centum intra totidem dies scripsisse. Sed scite Euripides, *hoc*, inquit, *interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient* [16]). Eamdem sententiam expressit Catullus in seqq. versibus, in quibus Cinnae ejusque diligentiae in poliendo carmine Hortensium, in scribendis versibus negligentem atque incuriosum, opponit. Hoc enim vitium in Hortensio notari, clarissime Hexameter, integer nobis servatus, docet, licet Pentameter deficiat: quem Parthenius, Horatium Sat. I. 4. 9. imitatus, ita supplevit: *In pede stans fixo carmina ructat hians.* Muretus id invita Minerva a Parthenio tentatum fuisse recte judicat, additque alium nescio quem hanc lacunam sic explevisse: *uno Accipit auctumno versuum ab Antimacho:* cui Apollo iratus fuisse videtur, ut fortasse mihi, cum hariolarer: *Saepe die properans carmina protulerit.* Nam Catullus, quo gravius Cinnam laudaret et Hortensium deprimeret, rem salse auxisse et in Pentametro dixisse videtur, tot saepe uno die sive anno ab Hortensio versus componi solere, quot Cinna per novennium fecerit. Et quid, quaeso, sibi vult iste numerus: *millia quingenta* sc. carmina i. e. versus? Novi equidem, *mille* versus esse saepe permultos, itemque *quingentos*, ut Lucilius in hora dictabat versus saepe *ducentos* i. e. permultos; sed qui *mille quingentos* versus pro innumeris dixerit, novi neminem, dicique posse nego. Quid igitur? Mihi, quum Catullus supra „*post nonam messem nonamque hiemem*“ definito numero usus sit, neque ab ejus con-

16) Hunc *Alcestidem* Tragicum seu, ut Brodaeus Miscell. IX. 23. conjecit, *Alexidem* Comicum superavit eo nomine *Q. Tullius Cicero*, quem quatuor tragoedias XVI. diebus absolvisse novimus ex Marci Fratris ad eum Libri III. epist. 6.

silio neque a tenui pedestrique carminis oratione alienum videtur, si et hic certum agnoscimus numerum, quo Zmyrnae ambitus definitus sit [17]). Sed, missis his conjecturis, ad certiora pergo.

Nam quin hic, qui a Catullo perstringitur, Hortensius orator sit ille clarissimus, Ciceronis aequalis et aemulus, non dubium est, neque ulli mirum videbitur, qui meminerit, eum, teste Cicerone in Orat. c. 38., *melius dixisse, quam scripsisse.* Praeter Annales, a Vellejo Paterc. II. 16. 3. memoratos, scriptitavit etiam poemata parum severa et pudica, a Plinio Ep. V. 3. 5. et Ovidio Trist. II. 441. memorata, ut uterque tanti exemplo viri lasciviorum, quos ipsi fecerant, versuum et excusationem et veniam haberet. Quod Catullus de eo fert judicium, valde durum et acerbitatis plenum, id nonnullis fortasse firmari posse videatur loco Gellii N. A. Lib. XIX. c. 9. *nam Laevius implicata, et Hortensius invenusta et Cinna illepida et Memmius dura, ac deinceps omnes rudia fecerunt atque absona.* Sed haec verba sunt Graeculorum, quos Gellius Antonium Iulianum rhetorem interrogantes introducit et negantes, praeter pauca Catulli et Calvi poematia, quidquam aliorum Latinorum poetarum cum Anacreonticis comparari posse. Quare ista neutiquam per se in Hortensii caeterorumque vituperium accipi possunt, uti jam contra Vossium de Poet. Lat. monuit G. L. Walchius in Meletem. Crit. Ienae 1809. p. 35. Quid autem in Hortensio Catullus reprehenderit, oppositorum docet ratio. Sicut Cinnam de diligentia et novenni in scribendo poemate lima laudat, ita Hortensium, qui versus properanti calamo fudisse extremumque perpoliendi laborem fugisse videtur, indiligentiae nomine ita castigat, ut cupiditatis in tanti oratoris censura

17) Hanc conjecturam, probatam quidem Silligio ad h. l., ipse nunc improbo. Poterat enim Catullus *millia quingenta* pro permultis, innumeris dicere, ut Horatius Sat. II. 3. v. 61.

Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
„Mater, te adpello", *clamantibus.*

ubi manifesto *Catieni mille ducenti* numero, qui dicitur, rotundo dicti sunt.

privataeque simultatis suspicionem aegre effugiat. Quod autem ad Graeculorum illorum de Cinnae carminibus judicium attinet, id non ad Zmyrnam spectare, sed ad alia ejus argumenti mollioris et amatorii poemata, in aprico est. Haec etiam ab Ovidio Trist. II. 435. respici, jam supra a me dictum est, eaque et breviora fuisse et diversis scripta metris, residua aliquot fragmenta docent. Quae cum *illepida* apud Gellium audiant; *lepor* autem partim de rebus, partim de verbis dicatur ideoque nunc de salibus facetiisque, urbanitate atque hilaritate plenis, nunc de ornatu elocutionis et concinnitate nativaque elegantia sermonis adhibeatur: quaeritur, utro potissimum significatu illa habita fuerint illepida? At enim vero cum isti homines neminem fere Romanorum tam fluentes fecisse versus contenderent, quales suo vindicabant Anacreonti: quis non videt, desideratam fuisse ab illis in Cinnae poematis verborum suavitatem et elocutionis delicias, quas in Anacreonticis odariis hodieque suspicimus et cui orationis virtuti jure magnam vim in humanos animos attribuit Lucretius I. 644. *Veraque constituunt, quae belle tangere possunt Aureis, et lepido quae sunt fucata sonore.*

Quam Catullus praesaga mente posteritatis laudem v. 5. 6. praedicit Cinnae, eam neutiquam est adeptus. Sed hic locus etiam lacunosus est et emendatricem manum postulat. Is. Vossius in vett. libr. scriptum invenit: * * *cavos harrathri penitus mittetur in undas*, unde fecit *barathri*, et voc. *Smyrna* lacunam in principio versus a librariis esse expletam putavit, locique sensum ita constituit: *licet Cinnae poema suis posthabeat laboribus* (?), *nihilominus laudat, et in multa iturum promittit secula, cum H. et Vol. carmina mox peritura esse existimet, utpote vestiendis nata scombris et barathro digna:* quae autem luce indigna sint, ea barathro digna censeri ait et confert gr. ταρταρίζειν. Vulpius Vossium secutus est, nisi quod *ad undas* scripsit, et hunc versum non ad Cinnae carmen, sed ad aliquod alius poetae opus spectare contendit, cujus nomen, vetustate corrosum, exciderit. Neutri possum assentiri, et lacunosum versus principium mihi ne-

quaquam inepte inconsultoque suppletum esse videtur, si modo oppositorum rationem, per totum observatam poema, recte attenderis. Catullus primum v. 1 — 4. diuturnum Cinnae studium magnamque limae curam, qua levitas carmini conciliata est, comparat cum incuria Hortensii, multos brevi tempore atque invenustos facientis versus. Deinde v. 5 — 8. amplam auguratur Zmyrnae laudem, quae patrios fines sit egressura et ad seram posteritatem perventura, eique brevem opponit famam et breve aevum Annalium Volusii. Denique gratam sibi esse fatetur brevitatem carminis Cinnani, dum populus gaudeat longo tumidoque Antimachi opere v. 9. 10. En acutum concinnumque sententiarum ordinem, quo nihil est manifestius: cujus observatio nobis certissima erit dux, cujus ope reliqua constituamus atque illustremus. Quapropter v. 5. voc. *Zmyrna* tueor, sed *barathri* rejicio. Muretus e Codd. notavit *cavas Athesis*, maluit tamen *Atracis*, quod Parthenius dederat, recte monens, hic fluvium longinquum exposci. Achilles Statius: „*aut Atracis aut Atacis*:“ posterius probat firmatque Heinsius, cujus vet. Cod. *altas Atacis* offert. Est autem *Atax* fluvius Galliae Narbonensis, de quo vid. Tzschucke ad Pomp. Mel. II. 5. 6. p. 488. Bene se habent verba: *cavas ad undas*, quae ad Carm. XVII. 4. illustravit Doering, cui in hujus versus scriptura assentior, sed invitus ejus interpretationem desidero. Quid enim sibi vult: *Zmyrna mittitur ad Atacis undas s. ad Atacem*? Si quid video, *Atax*, ut saepe nomina fluviorum terram universam significant, h. l. positus est pro Gallia, et haec pro terris exteris, Romae oppositis. Libri vero a bibliopolis in peregrinas missi terras ipsis auctoribus honori laudique erant, quatenus non tantum Romae, sed in provinciis etiam empturientes invenirent. Locupletissimus hujus rei testis est Horatius A. P. 343. *Hic meret aera liber Sosiis: hic et mare transit, Et longum noto scriptori prorogat aevum.* De eadem librorum mercatura accipiendum est Epigramma Martialis 2. Lib. XII. *Quae modo litoreos ibatis carmina Pyrgos; Ite sacra, jam non pulverulenta via est.* Cum Pyrgi, Etruriae urbs,

Caeretanorum emporium essent, de quo Heynius ad Virgil. Aen. X. 184. et Excurs. I. p. 522. et Tzschucke ad P. Mel. II. 4. 9. p. 437. egerunt: Martialis nihil aliud voluit dicere, quam se carmina, quae olim Roma Pyrgos, urbem maritimam, mittere soleret, ut inde in alias terrae partes transvecta venirent, nunc ex Hispania, ubi hunc XII. librum scripsit, Romam mittere. Hanc interpretationem firmat initium Epigr. 3. ejusd. Libri: *Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas, Ibis, io! Romam nunc peregrine liber.* Contra Horatius, cum Romae sua spernentur carmina, parvi facit, ea in exteris legi regionibus, et in lepidissima Epistola 20. Libri I. v. 10. librum alloquitur: *Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi Coeperis: aut tineas pasces taciturnus inertes, Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.* Igitur Catullus v. 5. Zmyrnam in exteras terras missum et in Gallia cupide lectum iri auguratur, uti Martialis L. VII. ep. 87. laetatur, sua carmina legi in Gallia; et v. 6. ait, eam per omnem saeculorum memoriam esse duraturam: in quo versu recte Doeringius tuetur *incana:* quod vocabulum nescio an non etiam restituendum sit Carm. LXIV. v. 351. [18]).

Ingentem lacunam, quae v. 7. comparet, spero me, si non verbis, saltem sensu esse expleturum. Etenim manifestum est, hoc in versu requiri, quod v. 5. sit oppositum, scilicet Volusii Annales in exteris terris non vulgatum iri. Iam de lectionibus Codd. videamus. Ach. Statius in Mss. *Paduam;* Parthenius *Paduam morientur* [19]); Palladius Fuscus, qui v. 5. lect. *Atracis* de Aetoliae fluvio explicuerat, conjecit *Patavi morientur ad urbem:* quod Muretus se probaturum esse ait, si vett. libr. testimonio niteretur. Scaliger in libro suo invenit: *Paduam portentur;* unde fecit: *apuam porgentur* (i. e. porrigentur) *ad*

18) Silligius edidit *Atacis* et *incana;* Lachmannus *oana* et v. 5. *cavas satrachi* secutus Cod. Dresd. *satraci* et Cod. Laudens. *satrahi.* Tzetzes ad Lycophron. v. 448. *Σάτραχος, πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου. Τινὲς δὲ διὰ τοῦ ἰ γράφουσι Σίτραχον.* Hujus lectionis vis ac sententia non diversa est ab ea, quam supra exposui.

19) Lachmannus edidit: *At Volusi annales paduam morientur ad ipsam;* Silligius lacunae signa posuit.

ipsam, ut *apua*, gr. ἀφύη, sit pisciculus, quem muria conditum chartis ineptis vestire et cooperire solebant salsamentarii. Hanc ineptam emendationem, cujus sensus Pentametro exprimitur, non exputo quomodo potuerit probare Io. G. Vossius d. Hist. Lat. L. I. c. 12. p. 60. et eam ingeniosam adeo dicere Is. Vossius, qui longe melius correxit: *Aduam morientur ad ipsum:* quod probarunt Heinsius et Vulpius. Cogitavit Vossius de Addua s. Adua, extremo Italiae superioris fluvio: vid. Plin. H. N. II. 103. s. 106. III. 16. s. 20. Hic igitur Galliae Cisalpinae fluvius opponeretur Ataci, Galliae Narbonensis flumini, sensusque, quem contextus flagitat, commode exprimeretur. Quemadmodum enim *vivere* de perennitate carminum aliquoties legitur, ut ap. Horat. Ep. I. 19, 2. Mart. VII. 68, 5. 83, 8. et *victurae chartae* ap. eumd. III. 20, 2., ita poemata *moriuntur*, quorum vel nulla vel exigua est gloria quaeque mox exstincta evanescit, ut Martial. X. 2, 12. et alia dedit Burmannus Sec. ad Anth. Lat. Lib. II. ep. 261. T. I. p. 448. Igitur Volusii annales ad *ipsum* (nisi forte pro eo praestet *ad amnem* scribere) *Aduam morientur*, nec, uti Zmyrna, natale solum egredientur. Quodsi haec Vossii lectio satis certa esset, possemus etiam inde concludere, Volusium fuisse Transpadanum et Catulli popularem: qua suspicione acumen hujus versus insignem haberet accessionem. Sed scriptura pariter ac prosodia illius nominis valde dubito an satis stabiliri queat. Vossius quidem ad Polybii, cui Ἀδόας dicatur, auctoritatem provocat; sed Lib. XXXIV. c. 10. f. Ἄδουαν legimus, ita ut etiam Lib. II. 32, 2. mihi ex Cod. Aug. τοῦ τε Ἄδουα pro Ἀδόα reponendum esse videatur: vid. Schweighäus. Adnot. T. V. p. 415. In Strab. L. IV. p. 192. (T. II. p. 46. Tz.) et Lib. V. p. 213. (p. 104. Tz.) ὁ Ἀδούας, et Lib. IV. p. 204. (p. 79.) et p. 208. (p. 93.) ὁ Ἀδδούας et Ἄδδουαν hodieque parum accurate legitur. Mihi hoc nomen gr. ὁ Ἄδουάς scribendum esse videtur, neque tamen exinde quidquam praesidii ad tuendam formam *Adua* deduci potest, cum omnibus Lat. scriptoribus ille fluvius *Addua* dicatur. Quamquam igitur *Aduam* fluvium hic missum faciamus necesse est, tamen

certum esse videatur, non urbis, sed fluvii nomen requiri: quam ob caussam Passeratii tentamen *Capuam* admitti nequit. In Pentametro Catullus illorum Annalium, quos Carm. XXXVI. 1. *chartam cacatam* acerbe appellat, futuram sortem praedicit, qualis ineptis evenire solet libris, qui piscibus, aromatis aliisque id genus mercibus involucra adhibebantur. Apte laudavit Doeringius Martialem Lib. IV. 87, 8.; praecipue autem huc pertinet Horat. Ep. II. 1, 269. 70. et Martialis ep. 2. Libri III. Quare Persio I. 43. *carmina nec scombros metuentia*, *nec thus* sunt ea, quae per omne tempus durant et leguntur. Caeterum verissime Martialis L. VI. 60. v. 7. canit:

Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!
Et redimunt soli carmina docta coqui.
Nescio quid plus est, quod donet secula chartis:
Victurus Genium debet habere liber.

In complendo versu 9. animi pendeo quid sequar. Scaliger constantem esse ait Codd. lectionem *laboris*, idemque in duob. Mstis. se invenisse testatur P. Victorius Var. Lect. L. XXII. c. 13. p. 264. et expressit Parthenius: qui omnes Catullum hic de suis carminibus locutum esse existimant. Quae ratio non video quo se tueri possit. Igitur alii ad mult. Codd. lacunam explendam reposuerunt conjectura vel *tribuni*, ut Is. Vossius, vel *poetae*: illud falsum est, hoc friget. Quare verissime Muretus *sodalis* commendat: quam lectionem tum Carm. X. 29. firmat, tum contextus exposcit. Fatetur enim Catullus, *sibi* sui sodalis et amici, Cinnae, *parva monumenta*, h. e. brevioris ambitus carmina, Zmyrnam, cordi esse et placere, dum *populus*, qui omnia magnitudine metiri solet, vasto carmine Antimachi delectetur. Ut igitur se populo, ita breve Cinnae poema longo Antimachi operi opponit. Qui sensus horum versuum cum ita in oculos incurrat, ut de ejus veritate nequeat dubitari: ego plane non assequor, quomodo Scaliger et P. Gualt. Chabotius ad Horat. L. I. od. 6. (Colon. Munat. 1615. fol.) p. 54. contendere potuerint, Cinnae Zmyrnam Catullo neutiquam fuisse probatam, imo displicuisse ob molem atque obscuritatem, quod inde pa-

teat, quia illam cum Antimachi Thebaide comparaverit. Quod de mole et ambitu Zmyrnae referunt, id videant alii, quo tandem praesidio quave arte defendi queat. Equidem meae opinioni de hujus carminis brevitate, supra ad v. 3. propositae, et adjumentum et firmamentum validissimum video paratum partim in verbis: *parva monumenta*, partim in oppos. *tumido Antimacho.* Mihi enim persuasum est, vocabulum *tumidus*, metaphora ab exundante petita fluvio [20]), non aliter hic, quam de magnitudine et insigni longitudine carminis Antimachi accipiendum esse, uti recte jam Muretus et Turnebus Advers. XXVIII. c. 38. aliique sumpserunt. Is. Vossius contra, quem sequitur Schellenberg. in Reliq. Antim. p. 43 sq., cogitavit de orationis affectatae tumore, quem veterum nonnulli in hoc poeta notarunt [21]). Neque magis recte Vulpius Antimachum ideo *tumidum* dictum esse putat, quod ejus versus cum Homericis comparati inopes essent rerum nugaeque canorae. Verum longe honorificentius, quam Vulpius, senserunt veteres de Antimacho, quem Homero comparare haud verebantur: vid. Burmann. Sec. ad Propert. II. 25, 45. p. 471. Notum est Platonis in Antimachum studium ex Plutarcho in Vit. Lysandri c. 18. T. III. p. 38. R.; notior etiam narratio de eodem philosopho, recitanti illi poetae *magnum* suum *volumen* assidente, ex Ciceron. Bruto c. 51. Neque Catullus, si non formam et ambitum, sed dictionem carminum utriusque respexisset, stultae temeritatis dicam an inscitiae notam apud aequos rerum arbitros effugere potuisset, quandoquidem Zmyrnam non verosimile est isto vacuam fuisse orationis tumore, quem Thebaidi tribuunt. Vastum sane et reconditum fuit opus Antimachi, Thebais,

---

20) Illustravi h. metaphoram in libro: *Ueber das Leben und Ged. des Apollonius von Rhodus* pag. 83. Not. 107.

21) Ita etiam Iacobs in Animadvers. in Anthol. Gr. Vol. II. P. 1. p. 305. Caeterum Osannus ad Apulei d. Orthogr. §. 4. p. 22 sq. suspicatur, *tumidi Antimachi* nomine carpi *C. Proculum* poetam, qui *Callimachi molle teneret iter*, ut ait Ovidius ex Pont. IV. 16, 32. Hic, teste Apulejo d. Orthogr. §. 44., scripsit de *Lyde* CXL. elegorum libros, ut a Melisso *latus Callimachus* appellaretur. Haec conjectura firmat meam de v. *tumidus* interpretationem.

teste Cicerone l. c., quam ab Horatio A. P. 146. tecte tangi, haud inanis mihi esse videtur Scholiastarum suspicio; Cinnae nostri Zmyrna longe brevioris quidem ambitus carmen, sed valde obscurum: de quo ejus vitio Philargyrius ad Virgil. Ecl. IX. v. 35. *Fuit autem liber obscurus adeo, ut et nonnulli ejus aetatis Grammatici in eum scripserint magnamque ex ejus enarratione gloriam sint consecuti. Quod obscurus fuerit, etiam Martialis ostendit in illo versu* X. 21. *Judice te, melior Cinna Marone fuit.*

§. 3.

Accommodate Philargyrius Martialis Epigramma ad Sextum quendam excitavit, quod ut integrum transscribatur, e re nostra esse videtur:

Scribere te, quae vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus: quid, rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris:
Judice te, major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, et sine Grammaticis.

Inest in hoc epigrammate locupletissimum testimonium de obscuritate Zmyrnae Cinnanae. Nam, licet eam non nomine significet Martialis, tamen primus et extremus versus nos dubitare non sinunt, de illo cogitandum esse poemate, in quibus Grammaticorum operam, ad intelligenda Sexti carmina necessariam, non sine acumine memorat. Huic autem Sexto, obscuritatis studioso, Cinna non potuit non major videri Virgilio, qui tum in rebus tum in verbis illustrem brevitatem affectasset. Cinna uti sine dubio in exponendo argumento, reconditae doctrinae laudem ambitiose consectatus, omnia, quidquid ad fabulam de Myrrha spectaret, carmine complexus erat suo, ita etiam poliendo sermoni tantam impenderat curam ac studium, ut primum magnam apud Grammaticos consequeretur auctoritatem. Hoc luculenter docet Gellii locus N. A. XIX. c. 13. *Audeo tibi, Feste, quaerenti respondere, esse hoc verbum Latinum scriptumque inveniri in poematis Helvii Cinnae, non ignobilis neque indocti poetae.* Deinde, quod per-

doctis et obscuris Callimachi *Αἴτιοις* obtigisse ex Clemente Alex. Strom. V. p. 271. constat, quodque Martialis Sexti libris opus esse innuit, ut Grammatici in iis interpretandis suam collocarent operam eaque gloriam sibi pararent haud exiguam, id etiam de Cinnae Zmyrna traditum legimus.

Nam hanc interpretis operam Zmyrnae impertiit, teste Suetonio de illustr. Gr. c. 18., L. Crassitius, Grammaticus, genere Tarentinus et ordinis libertini, cognomine Basicles: quem cum Suetonius tradat *Pansam* quoque se transnominasse, recte Oudendorpius ap. Consentium p. 2066. P. Pansam de hoc Crassitio intelligit. Quo tempore vixerit, certo inde definiri potest, quod a Suetonio praeceptor Julii Antonii dicitur, qui M. Antonii Triumviri ex Fulvia filius erat. Hinc patet, Crassitium ipsius Cinnae fuisse aequalem, licet juniorem, et non multo post illius mortem Zmyrnam, obscurum poema, commentando illustrasse [22]). Quo quidem Commentario ita inclaruit, ut, auctore Suetonio, in eum haec scriberentur:

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit;
Desinite, indocti, conjugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle:
Intima cui soli nota sua exstiterint.

Hunc ingenii lusum de Zmyrna virgine et carmine ejusque conjugio, quo post infaustum cum patre connubium docto Grammatico juncta est, haud dubie scriptum a quopiam, simul atque ille Crassitii Commentarius in lucem editus esset, neque inelegantem neque Augusteo indignum aevo censebis. Frustra autem Guyetus hoc epigramma Catullo vindicare voluit, jam a Burmanno Sec. refutatus, qui id post Pithoeum et Scaligerum in Anthol. Lat. L. II. p. 440. T. I. edidit atque illustravit. Caeterum et hoc luculenter testatur, quam obscurum et difficile intellectu fuerit hoc poema: quod obscuritatis vitium non vereor ne longius a veritate aberrem, si non tam ex brevitatis studio verborum-

22) Haud raro enim Grammatici aequalium poetarum carmina commentario illustrarunt: cf. Meinekius de Euphorionis Chalcid. Vita et Scriptis. (Gedani 1823.) p. 17. Not. 7.

que insolentium antiquatorumque usu et difficultate ortum esse censeo, quam ex rerum fabularumque in illo expositarum implicata obscuraque ratione ac natura: in qua aperiunda lectoribusque illustranda Crassitius suae doctrinae expromendae et invitamentum validissimum et occasionem habuit exoptatissimam.

Allatis jam veterum scriptorum de Cinna testimoniis, quae quidem nobis innotuerunt, omnibus, reliquum est, ut, quid nobis de ejus ingenio et carminibus statuendum esse videatur, paucis ac summatim addamus. Illos igitur si audimus testes, ei praecipuam laudem concedendam esse liquet ob diligentiam et curam, qua, quos editurus esset versus, scriberet et levigaret et longissime abesset a temeritate eorum, qui, quidquid chartis leviter negligenterque illusissent, praecipiti cupiditate nulloque adhibito limae labore in vulgus emittere solebant. Hoc laudabili studio id consecutus esse videtur, ut, cum habitus ejus dictionis castus esset, politus ac nitidus, apud Grammaticos, si quando de verbo quodam ejusque usu ac vi ambigeretur, magna polleret auctoritate et culti doctique poetae laude floreret haud exigua. Variarum eum rerum antiquitatisque scientia fuisse instructissimum, quis dubitet post ea, quae in hujus Commentationis cursu recensuimus, testimonia? At eadem nos docent, eum allisum esse ad istos scopulos, quos poetis difficulter praeternavigandos esse ait Horatius A. P. v. 24 sqq. Cum enim brevis esse laboraret paucisque multa et exquisita proloqui, eyasit obscurus, cumque levia sectaretur ac nitida, et carmen suum tenera quadam elocutionis cute operire studeret, nervi eum animique defecerunt, totique suo operi robur ac vim, qua percellere debent legentium animos carmina, subtraxisse videtur. Quodsi enim ejus poemata his virtutibus fuissent ornata, mihi non dubium est, quin plura eaque honorificentiora de iis exstarent judicia neve omnia in unam diligentiae ac doctrinae ejus laudem veluti conspirarent. Quare illud judicium, quod Plinius Epist. III. 7, 5. de Silio Italico non minus candide quam vere tulit, accommodate fortassis ad Cinnam nostrum transtuleris eumque *carmina majore cura*

quam ingenio scripsisse dixeris. Haec autem nimia et vere anxia cura, versibus castigandis impertita, nescio an non caussa quoque exstiterit, ut admodum pauca scripsisse videatur carmina: nam ab auctoribus fide dignis non nisi *Zmyrnam*, *Propempticon Pollionis* et *Poemata*, communi sic dicta nomine, memorata inveni, etsi me non fugit, ab aliis alia qnoque ei adscribi carmina: id quo jure quave auctoritate factum sit, Capite III. videbimus.

Caput III.

De C. Helvii Cinnae Carminum Reliquiis.

Quamquam in C. Helvii Cinnae carminum reliquiis colligendis aliquam operam jam posuerunt Robertus et Henricus Stephani in Fragm. Poetarum Vett. Latin. Paris. 1564. p. 413., unde in Mich. Maittairii Opp. et Fragm. Vett. Poet. Lat. Londini 1713. aliorumque, qui junctim Romanorum poetarum monumenta edidere, Opera transierunt: tamen, sive horum ἀποσπασματίων numerum sive eorum emendationem atque interpretationem spectas, nihil vereor, ne actum egisse videar aut mea cura et diligentia, cum illorum studio comparata, jaceat atque inutilis plane et supervacanea fuisse censeatur. Fragmenta carminum Cinnanorum, quae hic collecta damus, sunt sane numero perpauca nec nisi fractae quaedam tabulae ex ingenti servatae naufragio, neque tamen ad pernoscendam poeseos Romanae, quae tum fuit, indolem inutilia, confirmabuntque, quod supra de hujus poetae ingenio tulimus, judicium. Jam vero sub finem Cap. II. significavi, nihil mihi innotuisse, quod, praeter *Zmyrnam*, *Propempticon* Pollionis et *Poemata*, certa cum fide Cinnae tribui posset. Inter haec ingenii ejus monumenta Zmyrna principem tenet locum: cui Pollionis Propempticon, quod et ipsum heroicis scriptum erat versibus, et ambitu et indole proximum fuisse putamus; Poematum vero, quorum haud infrequens est apud Grammaticos mentio, communi nomine comprehensa fuisse censemus breviora Cinnae carmina, quae, ut diverso scripta

metro, ita etiam diversi argumenti, maximam tamen partem ludicra atque amatoria fuisse, partim Ovidii Trist. II. 435. testimonium, partim superstites adhuc ex iis versus evincunt. Nam ejusmodi breviora carmina et ingenii lusus, quales scripsere Catullus, Calvus et alii *Poematum* titulo a veteribus Romanis fuisse inscriptos, testatur Plinius Epist. IV. 14. §. 9. et 27. §. 1. Hunc igitur ordinem secuti ipsa carminum fragmenta recenseamus.

I. Z m y r n a.

I. Priscianus de voc. *alvus* exponens Lib. VI. c. 16. §. 84. (p. 718. ed. Putsch.): „Cinna in Smirna:

At scelus incesto Cinyrae crescebat in alvo.“

Pro *Ac scelus*, quod Putschius habet, edidit Krehlius T. I. p. 277. ex Codd. auctoritate: *At scelus*, et ita jam Stephanus p. 415. et C. Barthius Advers. Lib. IV. c. 20. p. 197. Uterque etiam rectius: *in Smyrna* pro *Smirna*, quae scriptura ferri nequit. Eumdem versum legimus etiam admodum mendose ap. Sosipatrum Lib. I. *incertum turpi crescebat in alvo*: quem Putschius p. 61. ita correctum edidit: *At scelus incesto turpe crescebat in alvo:* ubi nemo dubitet, quin scribendum sit: *At scelus incestum turpi crescebat in alvo.* Haec vero lectionis varietas dubium reddit ap. Priscianum nomen *Cinyrae*, quod omnes etiam Krehlii Codices damnant, vel *Cinnae* vel *Cirenae* praebentes, ideoque doctissimus ille vir *Smirnae* (scr. Smyrnae) pro *Cinyrae* conjecit: quae emendatio jam tentata est a Burmanno ad Ovidii Met. Lib. X. v. 298. T. II. p. 712. et probata fuit Io. H. Vossio ad Virgil. Ecl. IX. v. 35. p. 674. qui hunc versum vernacule ita convertit:

Aber der Gräuel erwuchs in der Smyrna geschändetem Schoosse;

quam emendationem speciosam admodum esse fateor, sed an vera sit, non ausim affirmare. Etenim inepta illa lectio *Cinnae*, manifesto orta ex *Cirenae*, si literarum ductus et frequentem eorum metathesin respicias, nos potius ad nomen *Cinyrae*, quam *Smyrnae* deducit, et quae inde nascitur verborum Synchysis, haud raro apud poetas ob-

via, tantum abest, ut me offendat, ut poetae nostri ingenio atque elocutioni apprime convenire videatur, modo si cum Vossio reddas:

Aber des Cinyras Gräuel erwuchs im geschändeten Schoosse.

Caeterum in Servio Basil. ed. ad Virgil. Georg. I. v. 288. nomen *Cinna* itidem corrupte legitur *Cirina*, atque in ejusdem Prooem. ad Aeneid. T. II. p. 1. ed. Burm. invenimus: *Scripsit* (Virgilius) — *libros hos: Cirinam*, *Aetnam* etc. pro quo Codd. et editt. Servii *Cerena*, *Cerina*, *Cariniam*, sub quibus lectionum monstris N. Heinsius *Cirin* latere suspicatus est, quam emendationem non injuria recepit Masvicius T. I. p. 304.

II. Servius ad Virgil. Georg. L. I. 288. „Eous id est Lucifer, de quo etiam Cinna in Smyrna sic ait:

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem."

Petr. Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. Lib. III. carm. 292. T. I. p. 706. existimat, hos versus imitatione expressos esse ab Auctore Carm. d. Rosis v. 45. *Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous*, *Hanc rediens sero vespere vidit anum;* et utrumque ante oculos habuisse Basilium Zanchium Lib. VI. Poemat. p. 158. *Me matutino flentem conspexit Eous*, *Et flentem sero vespere vidit Amor.* Burmannus in universum mira sagacitate locorum similitudines venari et ubique imitationis vestigia odorari solet, ita ut nonnumquam jure in vanitatis suspicionem incurrat. Ipse, nos ad Lotichii Lib. III. el. 7. 11. ablegans, similis coloris locum laudat ex Senec. Thyeste v. 613. et Wernsdorfius, qui illud carmen d. Rosis in Poet. L. Min. T. VI. P. 1. p. 175. edidit, confert Ovid. Met. V. 440. Lambinus ad Horat. Lib. II. od. 9. 10. p. 113. (Lutet. 1688.) comparat cum his Cinnae versibus Virgil. Georg. IV. 465., ad quem locum Io. H. Vossius p. 888. hos versus iuterpretatur:

Dich den Weinenden sah am Morgenhimmel Eous,
Dich den Weinenden drauf als Hesperus schaute derselbe.

atque idem ad Virgil. Ecl. VIII. 17. p. 399., illustrandae

sententiae gratia citat Statii Theb. VI. 388., Senec. Hippol. v. 748. ejusd. Oedip., v. 741., Meleagri Epigr. LXXIV. Eosdem Cinnae versus c. fragm. LII. Callimachi in Edit. Ernestii p. 435. contulit Ruhnkenius. Praeterea Burmannus ad Anthol. Lat. L. V. ep. 1. T. II. p. 299., citato priore Cinnae versu, addit: „sic lege, non *matutinum*:“ sed ego nondum vidi, qui ita legi maluerit, neque scio, quem Vir Doctus refutarit. Lion, nuperrimus Servii editor, h. v. scripsit: *Te matrimonium flentem conspexit Eous*, quo, etiamsi Synizesin syllabae penultimae statuas, metrum violatur. Ut variantem lectionem adnotavit: *al.* matutinus. Videtur autem uterque versus ex ea carminis parte desumptus esse, in qua Myrrham per agros die nocteque fugientem suumque lamentantem facinus repraesentaverat Cinna: cf. Ovidii Metam. X. v. 476 sqq.

III. Scholiastes Juvenalis ad Satir. VI. v. 155. „*Grandia tolluntur crystallina*: Sic et Cinna dixit:

Atque imitata nives ludens legitur chrystallus.“

ita edidit Schol. Juvenalis N. Lud. Achaintre Paris. 1810. T. II. p. 268. Latuit hoc fragmentum Stephanos, sed C. Barthius in Advers. l. c. attulit illud, opinans, hunc versum ita lectum nihil facere ad illustrandum vocabulum *crystallina* ap. Juvenalem, et, cum trajectio verborum locum corrupisse videretur, emendavit: *Atque imitata nives legitur crystallina ludens*: ut *crystallina* sit generis feminini et calicem crystallinum designet, quod notare voluerit Scholiastes. Verum haec emendatio aeque audax est atque indocta, si quidem dubito, an usquam Adjectivum gen. fem. *crystallina* poculum ex crystallo significare queat, uti neutro genere Num. Pl. illa vox legitur ap. Martial. I. 54, 6. IX. 60, 13. Neque in Juvenalis loco *grandia crystallina* sunt vasa s. pocula ex crystallo, sed globuli crystallini, quibus molliores feminae manus refrigerare solebant: vid. quos laudat Ruperti T. II. p. 279. ed. 2.; atque fac, cogitandum esse de vasis, ne opus quidem erat correctione tam temeraria, cum, sicuti *aurum*, *argentum* et id genus alia pro vasis ex hoc fabricatis metallo ponuntur, ita etiam *crystallus* dicatur ap. Martial. IX. 23, 7. X. 66, 5. Cf.

Passeratius ad Propert. IV. 3, 52. Denique, quomodo Barthius voc. *ludens* intellexerit, cum nihil addiderit, non exputo: quam vocem mendosam esse, nemo est quin videat. Praeclare Rutgersius Var. Lect. Lib. V. c. 10. p. 487. emendavit *lucens:* quam correctionem jure probat cum Henninio Burmannus ad Ovid. Met. X. v. 298. T. II. p. 712., in eaque oportuit acquiescere N. Heinsium, quem *undis legitur* tentasse, notat Burmannus Sec. ad Anth. Lat. L. II. ep. 124. T. I. p. 415., quod Heinsii tentamen merito rejicit Handius ad Gronovii Diatr. Stat. p. 347. Rutgersii emendationem improbarunt C. Barthius ad Claudiani Epigr. XV. v. 2. p. 1032. vulgatam interpretatus: „*ludo scilicet naturae insigni*" et Schrevelius itemque nuper Cramerus, Juv. Schol. Editor, p. 205. haec adnotans: „*Quodsi de chrystallinis frigore infectis egit Cinna, nihil opus est mutare, imo magis poeticum est* ludens." Caeterum si hic versus ex Cinnae Zmyrna desumptus est, quod, licet non certo constet, tamen mihi valde probabile est, haud scio an non ex eo illius carminis loco, in quo Cinna Myrrham finxerat in desolato obambulantem litore amorisque scelesti curas contristatumque animum consolantem et legendis lapillis distrahentem. Sed quidquid est hujus suspicionis, id velim observes, quam docte poeta crystallum, etymo respecto, dixerit *imitatam nives:* nam Plinius H. N. XXXVII. 2. s. 10. ait: *non alibi crystallus reperitur, quam ubi maxime hibernae nives rigent et glacies, unde et nomen Graeci dedere.* Ex hoc cognoscas licet Cinnae ingenium!

IV. Charisius L. I. p. 73. et 118. ed. Putsch. ex Zmyrna annotat, Cinnam dixisse *hujus tabis*, cum *tabes* vocabulum sit τρίπτωτον nec nisi Nominativo, Accusativo et Ablativo legatur; sed latuit Charisium Celsus Lib. III. c. 22. *Cum haec genera tabis sint.* Hoc fragmentum omisit Stephanus.

II. *Propempticon Pollionis.*

V. Sosipater Inst. Gr. Lib. I. p. 99. P. docet *Be-*

lidis patronymice dictum esse in hoc Cinnae loco, quem affert ex Propemptico Pollionis:

Nec tam donorum ingentes mirabere acervos,
Innumerabilibus congestos undique seclis,
Jam inde a Belidis, natalique urbis ab anno
Cecropis, atque alta Tyrii ab origine Cadmi.

Stephan. v. 2. *congestis*, at in margine *congestos*, et ita edidit C. Barthius Advers. l. c., qui Cinnam de fano Delphico loqui suspicatur. Neque improbabilis est ista suspicio, cum Cinna utique de certo quodam Graeciae loco, tamquam ingentium thesauro opum, loquatur, atque Delphicum templum eo nomine inclaruerit, utpote in quod ex omni Graecia divitiae sint congestae coacervataeque a primis inde cultioris Graeciae temporibus, quae *Belidarum* i. e. Aegypti et Danai, qui etiam Statio Theb. VI. 291. *Belidae fratres* dicuntur, Cecropis et Cadmi adventu et urbibus per illos conditis designat. Fortasse huic fragmento suam sedem assignabimus in ea Propemptici parte, in qua Cinna Pollionem ex Parthinis victorem rediturum ingentesque reportaturum esse opes auguratus erat easque cum Delphicis thesauris comparaverat. Neque tamen haec amplius indagare vacat. In extremo versu notandus est hiatus. De hujus Propemptici argumento et consilio dixi Cap. I. §. 3., atque, cum in eo navigationis mentio commodum habere potuerit locum, non dubitavi, quin ad id duo versus referrem, quos Isidorus servavit.

VI. Isidorus Lib. XIX. c. 4. p. 1288. „Anquina, qua ad malum antenna constringitur: de qua Cinna

Atque anquina regit stabilem fortissima cursum.“

Ita h. versum legit Stephanus itemque Turnebus Advers. L. XII. c. 16., sed Io. G. Vossius in Etymol. L. L. p. 29. *anguina* s. *angina* commendat, inductus Philoxeni Glossis: *Anguina*, ἄγκυρα, συνάγχη, κύναγχος, et interpretatur ancoram, et si placeat cum Isidoro de fune nautico, quo antenna malo alligetur, explicare, *anginam* dictam esse ait, quoniam angat et constringat. Vulg. *anquina* defendit etiam Delrius ad Senecae Oedip. v. 456. in Syntagm. Tr. Lat. Vol. III. p. 112. Mihi certum esse vi-

detur, in Cinnae versu nos de fune oportere cogitare neque de ancora, quippe quae non regat, sed retineat navis cursum. Nusquam alibi haec vox legitur nisi ap. Lucilium, per conjecturam invecta, cujus locum operae pretium est accuratius considerare. Nonius 536. 6. ed. Merc. „Anchorae, vincla quibus antennae tenentur. Lucilius:

Armamenta tamen, malum, vela omnia servo,
Funis enim praecisu' cito atque anchora soluta."

vid. Lucilii Fragm. ex incert. Satir. Libro N. 10. p. 5. ed. Dousae, qui p. 100. annotat, a Junio et Turnebo ob Isidori locum pro *anchora* correctum esse *anguina* s. *angina soluta*, atque haec conjectura vulgatam loco expulit suo, quod vereor ne injuria factum sit. Nam, licet difficillimum sit de contextu hujus fragmenti certi quid statuere, tamen aut egregie fallor aut sermo est de nautis, quibus ob imminens quoddam periculum sive quamcunque aliam caussam propere solvenda erat navis et in altum subducenda a litore, cui alligata esset fune et ancoris firmata. Ejusmodi funes Graecis dicebantur τὰ πρυμνήσια i. e. τὰ ἀπόγεια σχοινία, ut interpretatur Schol. ad Homer. Iliad. I. 476. vid. Intpp. ad h. l., et Seidler ad Euripid. Iphig. Taur. v. 1352. p. 192 sqq., quia a puppi (πρύμνη) projecti in litore vel grandi lapidi (vid. Apoll. Rh. I. 913. cf. 1109.) vel arbori alligabantur (vid. Apoll. Rhod. II. 160.), et haud raro haec *retinacula* navis, uti a Romanis appellabantur (vid. Burmann ad Propert. III. 5. 23.), si quando periculum subito ingrueret aut hostes repente invaderent nautas appulsos, ferro praecidebantur: vid. Apollon. Rhod. IV. 208. ὁ δὲ ξίφος ἐκ κολεοῖο σπασσάμενος, πρυμναῖα νεὼς ἀπὸ πείσματ' ἔκοψεν, et Orpheus v. 1040. ed. Herm. ἤδ' ἑκάτερθεν ὀχθῆς πείσματ' ἔκοψαν: ubi illud ἑκάτερθεν non *ab utroque litore* significat, sed ab *utroque puppis latere*, quandoquidem navis, quo firmius staret, duobus funibus terrae alligabatur: de quibus Apollonii Rhod. II. 536. verba: γαίης δ' ἀπὸ διπλόα πείσματ' ἔλυσαν interpretanda esse arbitror. Insuper navem jactis ancoris firmarunt: quare, quoties naves solvuntur, toties ferme retinacula illa et ancoras memoratas legimus inprimis apud

poetas, ut ap. Apollon. R. I. 1276. *ὕψι δὲ νηὸς εὐναίας ἐρύσαντες ἀνεκρούσαντο κάλωας*; et prae caeteris huc facit ejusdem poetae locus, qui legitur Lib. IV. v. 887. *βαῖνον ἐπὶ κληῖδας ἀπὸ χθονός· ἐκ δὲ βυθοῖο Εὐναίας εἵλκον περιγηθέες, ἄλλα τεπάντα Ἄρμενα μηρύοντο κατὰ χρέος· ὕψι δὲ λαῖφος Εἴρυσσαν τανύσαντες ἐν ἱμάντεσσι κεραίης.* Jam ubi haec, quae disputavimus, ad Lucilii versus transtuleris, nemo est quin videat, quam incommode, post praecisum cito funem, *soluta anquina* memoretur et quam apta et quasi necessaria sit *ancorae* mentio. Enimvero Prosodia impedit, quo minus huic vocabulo locus in Lucilii versu concedatur: quam difficultatem nescio an non sic elevare ac diluere queamus, ut aut licuisse Lucilio mediam illius vocis syllabam ob accentus vim producere, aut ab eo Graecum vocabulum *ἄγκυρα* scriptum fuisse statuamus, quod eum fecisse tum ex Horat. Sat. I, 10, 20. constat, tum ejus Satirarum fragmenta hodieque testantur. Turnebi in Lucilio emendationem jam improbavit Ulitius ad Gratii Falisci Cyneg. v. 477. Gesnerus in Thes. L. L. T. I. p. 338., probe perspecta ancorae necessitate in Lucilii ano versu, scriptum fuisse suspicatur *ancuira* s. *anquira* pro *ἄγκυρα:* quod vocabulum, si graviore quam analogiae auctoritate niteretur, non dubitarem recipere. Quod ad Nonii locum attinet, in aprico est, eum misere esse luxatum et mancum, quemadmodum totus ille Grammaticus a vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem ulcus est; integer autem Isidori est locus, et quod ad orthographiam illius, de quo loquimur, verbi pertinet, perinde esse puto, utrum *anguina* an *anquina* exaretur, modo ne *angina* scribatur: hoc enim vocabulum genus morbi, quo fauces anguntur, notat et ab *ango* descendit: vid. Nonius 35, 9. *Angina, genus morbi; eo quod angat et Graece συνάγχη appellatur:* Lucilius Lib. XXX. *Insperato abiit, quem una angina abstulit hora* (in ed. Dous. N. 93. p. 88.); illud malim ab angue s. serpente derivari, quia funes tortiles sunt (v. Catull. C. LXIV. 235. *Candidaque intorti sustollant vela rudentes*), aliorumque armamentorum nauticorum nomina ab animalibus desumpta sunt.

De *anguina* egit Scheffer de Milit. Nav. Lib. II. c. 5. p. 145.

VII. Isidorus Lib. XIX. c. 2. p. 1287. „Carchesia sunt in cacumine arboris; — Cinna:

Lucida confulgent alti carchesia mali.“

Stephan. edidit *carceria.* Nonius 546, 26. s. *Carchesia:* „Catullus Veronensis: *Lucida qua splendent summi carchesia mali.*“ Ita hic versus a Faerno et Mureto Opp. Vol. II. p. 826. R. illatus est Catulli Epithalamio Pel. et Thet. post v. 235.; id quod ex Grammaticorum citatis alii in aliis tentarunt scriptoribus ac poetis, ut adnotavit V. D. in Ephem. Litter. Jenens. a. 1823. N. 76. p. 124. Sed cum hic in omn. Codd. et vett. Editt. Catulli desideretur, prudenter Doeringius p. 309. eum spurium censet: cui nuper accessit C. J. Sillig. in Epist. Crit. ad Spohnium de Catulli Carminibus. Lips. 1822., qui p. 66. sobrie de hoc additamento disputat idque ad Cinnae Reliquias referendum judicat. Fons hujus erroris iterum quaerendus in Nonio, praesertim cum Marcilius testetur, se in antiquis Nonii libris neque Catulli nomen neque versum reperisse. Nonii errorem notavit jam Delrius ad Senecae Oedip. v. 456. in Syntagm. Tr. Lat. p. 112.

III. *Poemata.*

VIII. Isidorus L. VI. c. 12. de libris conficiendis p. 960.: „Cujus generis Cinna sic meminit:

Haec tibi Arataeis multum vigilata lucernis
Carmina, quis ignes movimus aërios,
Levis in aridulo malvae descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

Hoc poematium, quod in Isidori libris valde corruptum legitur, post Steph. p. 412., Pithoeum L. IV. p. 150., Scaligerum p. 213., C. Barthium in Advers. l. c. aliosque ita, uti adscripsimus, edidit Burmannus in Antholog. Lat. Lib. II. ep. 251. T. I. p. 440 sq., cujus adnotationes nihil dubitavimus subjicere.

v. 1. *Invigilata* ap. Isidorum tam in vulg. editt quam antiquiss. Cod. Ms., cum quo contulit Heinsius; e

sic adferunt Gyraldus, Grotius, Barthius aliique. Sed alterum probatur e Statio Lib. IV. Sylv. 6. 25. *Hic tibi quae docto multum vigilata Myroni;* quod ex hoc Cinnae loco imitatum esse Papinium recte notat Marklandus. Idem Statius prope finem Thebaidos: *O mihi bissenos multum vigilata per annos Thebai:* Virgilius in Ciri v. 46. *Accipe dona meo multum vigilata labore.* Haec *Burmannus.* — Blomfieldus in Not. ad Callimachi Epigr. XXVIII. v. 4. p. 152. existimat, Helvium Cinnam expressisse Callimachi verba: *χαίρετε λεπταὶ ῥῆσιες, Ἀρήτου σύγγονοι ἀγρυπνίης.* Recte Burmannus *vigilata* scripsit pro *invigilata*, quod etiam Stephanus habet; ita Ovid. Fast. IV. 109. *vigilatum carmen*, ubi N. Heinsius hunc Cinnae locum aliaque attulit: adde Juvenal. VII. v. 27. *vigilata carmina.* ibiq. Ruperti T. II. p. 400. ed. 2. C. Barthius opinatur, Cinnam in hoc Epigrammate loqui de sua Arati interpretatione Latina, quam peregre veniens suo amico pro munusculo attulerit. Haec opinatio neque aliunde habet aliquid firmamenti neque verborum sensu stabilitur; imo vero si illa verba: *Arataeis vigilata lucernis carmina* eandem vim haberent, quam Juvenalis I. v. 51. *Haec ego non credam Venusina digna lucerna* i. e. Satira, qualem Horatius scripsit, sequeretur necesse esset, ut Cinna idem, quod Aratus, argumentum versibus esset persecutus idque carmen amico muneri misisset: praesertim si vera esset lectio *movimus*, de qua nunc Burmannum audiamus.

v. 2. In vetusto Isidori Cod. Ms. *quae ignes novimus aëreos:* al. *quae signis novimus aëriis.* Gyraldus et Grotius adferunt: *quis novimus aethereos.* In duobus Mss. Leidens. et ed. Scal. etiam est *novimus aerios.* Sed recte *movimus* edidit Pithoeus, idque praefert Barthius, quia versionem Arati a se factam indicat et *movere* poeticum sit pro *decantare*, ut in illo Virgilii VII. Aen. 45. *Majus opus moveo:* ita ap. Ovid. Epist. VII. 4. *Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri, Adloquor, adverso movimus ista deo:* ubi in Mss. etiam *novimus*, sed recte contra Heinsium, *novimus* emendantem, vulgatam vindi-

cavit Patruus, licet pro *moveri* priori versu mallem *teneri*, id est ab itinere retineri, quia *moveri* et *movimus* nimis vicina offendunt. Ita *movere cantus* ap. Virgil. VII. Aen. 644. et X. 163. et *carmen ore sacro movere* Ovid. XIV. Met. 21. et alibi. Haec *Burmannus*. In Ovidii loco Epist. VII. 4., ut hoc obiter moneam, nihil est mutandum: in ejusdem vocis repetitione Ovidius, ut assolet, acumen et lusum verbi quaerit; neque *movimus* ibi est *canimus*, sed institnimus, conamur. Nec magis mihi placet in Cinnae versu *movere ignes* pro decantare, carmine describere sidera eorumque cursum: quod ipsius verbi ratio et usus docet. Nam *movere*, uti Gr. κινεῖν, eminentiori sensu adhibetur de vasis rebusque sacris, quae ex templi adyto exportantur a sacerdotibus et solemni pompa circumferuntur: vide de utroque vocabulo Duker. ad Thucyd. VI. 70., Schweighaeuser. ad Appian. d. B. C. II. c. 45., Servius ad Virgil. Aen. IV. 301. et quos laudat Burmannus ad Valer. Flacc. III. 232. Ita Herodot. VI. 134. de Miltiade Cereris templum introituro ait: εἴτε κινήσοντά τι τῶν ἀκινήτων, sensu quidem diverso, sed tamen ut illa significatio subsit. Deinde efferendi notione usurpatur impropria, ita ut sit aliquid arcanum promere, manifestare, eloqui, declarare: cf. Bentlej. ad Horat. III. od. 7. 20., quare de vatibus et poetis dicitur, qui rem aliquam exponunt, depromptam illam ex animo, tamquam sede dei ipsos afflantis et adspirantis: quem significatum docte illustratum dedit Bach. ad Tibull. IV, 1, 26. p. 228., neque alia virtute Sophocles illud ἐκκινεῖν usurpavit in Oedipo Tyr. v. 354., ubi Oedipus ad Tiresiam vatem: Οὕτως ἀναιδῶς ἐξεκίνησας τόδε τὸ ῥῆμα; κ. τ. λ. sed sicubi ita dicitur, numquam non additur *cantus*, *carmen*, *versus*, vel simile quid, ut jam loci a Burmanno allati docent. Quae cum ita sint, dubito an *carmine ignes* s. *stellas movere* aliter quam propria eaque inepta ratione dici queat, nisi de carminibus et incantationibus magarum cogitare velis, neque possum assentire Handio meo, qui ad Gronovii Diatr. Stat. p. 196. illa verba explicat: *motum stellarum canere*. Qua interpretatione illud, quod paulo ante tetigi, offensionis aliquatenus tolli-

tur, sed dicendi ratio non ita probatur, ut ne quis idonea desideret exempla. Hanc amplexi rationem non poterimus non cogitare de peculiari opere, quod Cinna de Astronomia confecerit, quia de Latina Arati interpretatione, quam Barthius statuit, nimis arroganter fuisset locutus. Verum enim vero cum, quae sequuntur, attentius considero, eo deducor, ut credam, Cinnam exemplar carminum Arateorum, in malva descriptum, ex Asia advehendum curasse et muneri misisse amico, hoc, quod cum maxime tractamus, epigrammate addito: *vexi* enim idem esse, quod *vehendum curavi*, tironibus notum. Et, hanc conjecturam si respueris, quid, quaeso, sibi volunt illa: *Prusiaca vexi navicula*, sive de Arati interpretatione sive de proprio Cinnae carmine cogites, nisi forte a Cinna utrumvis opus in Asia scriptum et Bithyno navigio Romam allatum fuisse probabilius sit. Habet praeterea illud munusculum pretii accessionem materia, in qua hoc exemplar scriptum erat. Jam his disputatis, patet, postliminii jure revocandam esse Codd. lectionem *novimus*, quam etiam Stephanus expressit, et cujus sensus est: quibus (Arati carminibus) cognita nobis sunt sidera. Idque in laudem illius poetae dicitur, cujus admiratio quanta fuerit apud antiquos, inter omnes constat. Caeterum pro *aerios* scribendum est *aetherios:* quae voces centies sunt confusae a librariis (vid. Bach. ad Tibull. I, 7, 15. p. 78.), sed probe distinguendae. Nostram emendationem firmant Lucret. IV. 392. *Sidera cessare aetheriis affixa cavernis;* Tibull. III, 4, 17. *Jam Nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum:* ibiq. Broukhus. p. 315. Virgil. Aen. V. 838. *aetheriis delapsus ab astris:* ejusdemque Libri v. 518. *vitamque reliquit in astris aetheriis*, ibique Heynii Not. Crit. — Differunt *aerii montes*, *aeriae quercus* et id genus alia, quae collegit Burmann. ad Anthol. Lat. Lib. I. ep. 138. p. 100. T. I. cf. Huschkius ad Tibull. I, 7, 15. Vol. I. p. 192.

v. 3. Apud Isidorum vitiose *inæridulo*. *Conscripta* adfert Grotius. In malvarum sylvestrium foliis scripsisse veteres ex hoc Cinnae epigrammate probant Casaubonus ad Aeneam Tact. p. 85., Vossius I. d. Arte Grammat. c. 36.,

Hugo de prima scrib. orig. p. 77. et alii; et hinc Guilliandinus de Papyro p. 48. et 49. ap. Plinium Lib. XIII. c. 11. legit: *in malvarum foliis primo scriptitatum:* ubi in aliis *palmarum.* Vide illic Harduini notas; et praecipue haec illustrabunt, quae Cuperus huc facientia scripsit in Epistola ad Montfauconium inter ejus Epistolas Gallicas XVIII. p. 55. *Burmannus.*— Cf. Montefalconii Palaeogr. Lib. I. c. 2. p. 13.

v. 4. *Prusciaca vexi* edidit Scaliger et Pithoeus. *Persica vexi* in nonnullis Mstis et edd. Isidori. *Persica convexit* adfert Grotius. Sed *Prusiaca* in duobus Codicibus Leidensibus, quos inter unus vetustissimus est, legi monet Oudendorpius, et pro Bithyna recte exponebat, ut ap. Horat. L. I. od. 35. *Bithyna carina*, et *ναῦς Βιθυνὶς* Aeliano Lib. XIV. d. Anim. c. 23. Tali enim navi utebantur Romani ob frequentissimam illuc navigationem, quia Bithynia mercium opulentia erat celeberrima, et hinc multae illic fiebant naves onerariae; vid. Intpp. ad Horat. Lib. III. od. 7. 3. Lib. I. ep. 6. 33. et Bentlej. ad Manil. Lib. IV. 761. *Burmannus.* Pro *munera* Handius ad Gronovii Diatr. Stat. p. 196. putat Cinnam scripsisse *munere*, quia Latini scriptores, etiamque poetae in hac dicendi formula semper utantur aut ablativo aut dativo, numquam vero accusativo. Equidem malim vulgat. *munera* tueri ob Codd. consensum et interpretari per appositionem, hoc magis ferendam, quod *vexi carmina* tamquam *munera* dixit, non *misi*, quod utique cum tertio vel sexto casu loquendi usus jungit: sed etiam Ovidius ait Amor. L. III. 1. v. 57. *Quid? cum me munus natali mittis?*

IX. Suetonius d. Illustr. Grammat. c. 11. de Valerio Catone loquens ait: „Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur *Lydia* et *Diana. Lydiae* Ticida meminit: — *Dianae* Cinna:

Saecula permaneat nostri Diana Catonis."

Ad h. l. Burmannus T. II. p. 372. adnotat: „aut subintellexit aut forte scripsit *Cinna in Smyrna*, cujus poematis meminerunt vett. Grammatici ad Virgil. Ecl. IX. 35., ubi Pompon. Sabinus dicit, Suetonium meminisse de Cinna, quod scripserit Smyrnam: quare ille ita legisse videtur."

Mira adnotatio! Suetonius Zmyrnam memorat eod. Libro c. 18., quem locum respexit Pomp. Sabinus. Ego me non intelligere fateor, quo pacto hic versus in Cinnae Zmyrna locum. aliquem habere potuerit mirorque Oudendorpium hac de re dubitantem; eum igitur fidenter ad *Cinnae Poemata* retuli. Cod. Petav. *Dictynna;* Voss. *Dictina* pro *Diana;* sed illud a librario, quem Prosodia v. *Diana* latuit, profectum esse neque Suetonium titulum operis et versum Cinnae variare potuisse, prudenter monuerunt Burmannus et Oudendorpius. Haud dubie Cinna brevi elogio amici sui opus ornaverat, unde hic versus desumptus est.

X. Gellius N. Att. Lib. XIX. c. 13, T. II. p. 486. ed. Conr. disserens de voc. *nanus* pro *pumilione*, illud, de animalibus usurpatum, Latinum esse probat Helvii Cinnae versibus ex Poematis:

At nunc me geniana per salicta
Bimis rheda rapit citata nanis.

Gronovius ait Stephanum edidisse *Geniana:* sed fallitur: nam ille expressit *genii nana*, ut in vulgatis est, monuitque esse, qui malint *geninanna*, et ita legitur ap. Gyraldum de Poet. Dial. X. p. 371. Opp. C. Barthius Advers. L. IV. c. 10. edidit *geniana.* Gronov. in Cod. Reg. *genumana*, uti in Lugd. maj. et Mem. et Petau., at Lugd. min. *genum ana* et Lincoln. *genummana:* cf. A. Majus ad Fronton. p. 348. ed. 2. Hinc varia tentarunt Viri Docti: in his Dausquejus in Orthogr. nov. et antiq. Vol. II. *genuina per salicta;* C. Barthius *geniata*, id est a Genio quopiam habitata; Vossius in Etymol. L. L. p. 338. s. *nanus* maluit *Genusina* vel *Bebiana per salicta:* Genusini ac Bebiani sunt populi Apuliae. Scaliger *geniana* tueri studuit loco Varronis d. R. R. L. III. c. 9., sed frustra: vid. Schneider. in Comment. ad Varron. T. I. P. 2. p. 546. Acute et vere jam C. Barthius suspicatus est, in monstris lectionum latere Nomen proprium, quare Schellerus in Lexic. s. *geniamus* temere *geniaria* tentavit, quod etiam versus ratio respuit. Gronovius feliciter conjecit *Cenumana*, addens, in regione Gallica Gallicum etiam currum in usu esse. Haec emendatio, licet non omni exempta sit dubitatione, caeteris ta-

men praeferenda mihi esse videtur. De Cenomanis in Gallia prope Lugdunum egit Cellarius in Geogr. Antiq. L. II. c. 2. T. I. p. 164., qui postea ad Padum inveniuntur: vid. ejusd. libr. c. 9. p. 148. — Vers. 2. pro *Binis* alii, ut A. Majus ad Fronton. l. c., *bigis*, sicut P. Scriverius in Anecd. Philol. c. 24. p. 16. *mannis* pro *nanis:* utrumque refragante sensu: vid. Vossius in Etymol. L. L. l. c. *Nani* h. l. sunt equi vel muli pusilli et brevioris staturae, qui etiam *musimones* dicuntur Lucilio Lib. VI. ap. Nonium 137, 22. Num. 17. ed. Douzae p. 39. et hoc Cinnae versu Gellius probare vult, vocab. *nanus* etiam de mulis et equuleis humilioribus usurpari.

XI. Gellius N. Att. Lib. IX. c. 12. T. I. p. 560. „Item C. Calvus in poematis *laboriosus* dicit, non, ut vulgo dicitur, qui laborat, sed in quo laboratur: *Durum*, inquit, *rus fugis et laboriosum.* Eadem ratione Laberius quoque in Sororibus. *Aecastor*, inquit, *multum somniculosum:* et Cinna in poematis:

Somniculosam ut Poenus aspidem Psyllus.“

Adscripsi integrum Gellii locum, quo comprobentur ea, quae de Cinnae poematis supra monui: cui, ut Calvo, poemata h. e. breviora carmina sive epigrammata (vid. Fragm. XII.) attribuuntur. Ex eodem Gellii loco emendandus est Nonius 133, 22. „Laboriosum in quo laboretur. Gallus in Poematis: *Durum rus fugite laboriosum.*“ Corrige *fugis et* et pro *Gallus* repone *Calvus:* injuria igitur Stephanus p. 414. hunc versum *Cornelio Gallo* tribuit, praesertim cum Gellii locus ipsum non lateret: cf. Fontanini Histor. Liter. Aquilejensis Lib. I. c. 3. p. 61. et Burmannus ad Propert. II. 25. v. 91. p. 480. Caeterum *somniculosus* ap. Laberium, in cujus versu cum Mercero ad Nonium p. 137. *mustum* pro *multum* scribas necesse est, et ap. Cinnam est ὑπνοφόρος, ναρκωτικὸς, *somnifer:* nam sec. Plinium H. N. XXIX. c. 4. ab aspide percussi somno et torpore moriuntur: hinc Lucanus IX. v. 701. *Aspida somniferam tumida cervice levavit.* De Psyllis idem Poeta Lib. IX. a vers. 891 sqq. egit et Intpp. ad Sueton. Octav. c. 17.

XII. Nonius Marcellus 87, 27. s. *clypeat.* „Ita et galeare. Cinna Epigrammatis:

. . . Miseras audet galeare puellas.

quod fragmentum etiam attulit C. Barthius Advers. L. c. p. 198.

XIII. Nonius Marcellus 202, 31. s. *cummi.* „Cummi generis neutri, ut est usu monoptoton. Tamen feminini Cinna:

Alpinaque cummi.“

Cum non indicarit Nonius, ex quo Cinnae carmine hoc desumptum sit fragmentum, hic ei suum assignavi locum, licet ad Propempticon Pollionis pertinuisse non improbabile sit. De scriptura, genere et formatione vocis *gummi* s. *commis* vide Harduinum ad Plinii N. H. Lib. XIII. c. 20. s. 11. *commis utilissima pictoribus — ideo candida, quam rufa, melior:* ubi vulgg. *gummi utilissimum — candidum — rufum.* cf. C. L. Schneideri Grammat. Lat. L. II. 1. p. 144. et I. 1. p. 239. Ita ap. antiquos Graecos hoc vocabulum generis neutrius est atque indeclinabile, ut apud Herodot. L. II. c. 86. ad q. l. videsis Wesselingium T. V. p. 309 sq. ed. Schw.; apud seriores inclinatur τοῦ κόμμεως, τῷ κόμμει: de quo Lobeckius ad Phrynich. p. 289. egit.

Jam his subjungere placet ea, quae a Viris Doctis Cinnae perperam tributa sunt, ne quid hic silentio praetermittatur, quod ad poetam nostrum spectare videatur.

Isidorus Lib. XIX. Origg. c. 33. Cinnae nomine affert hunc versiculum:

Strophio lactantes cincta papillas.

et in errorem induxit J. Douzam in Not. ad Catull. c. VI.; est vero hic versus Catulli Carm. LXIV. 65., uti post Grotium ad Germanici Imag. p. 39. monuit Burmannus ad Anthol. Lat. L. II. epigr. 250. T. I. p. 440. Ita etiam incerti et, ut mihi videtur, recentissimi auctoris carmen *de Telepho*, quod in Catalect. Petronian. p. 167. Fr. et ap. Pithoeum Lib. II. p. 59. exstat, adscripserunt Helvio Cinnae Smetius, Pincierus Libr. III. Parerg. c. 19. et Savaro ad Sidonium p. 74., cujus erroris fontem detexit Bur-

mann. ad Anth. Lat. Lib. I. epigr. 100. T. I. p. 82. Hic non possum, quin tribus verbis tangam ἀκρισίαν W. D. Fuhrmanni in libr.: Anl. zur Gesch. d. Class. Liter. T. II. p. 117. (ed. 1816.), qui de Cinna nostro: „*Dieser verfertigte mehrere (wahrscheinlich epische) Gedichte über den Achilles, Telephus, Xerxes.*“ De *Achille* et *Xerxe*, epicis Cinnae carminibus, unde sua hauserit Fuhrmannus, me fugit; de epico carmine, *Telephus* inscripto, sufficiat monere, scriptum esse misellum illud carmen versibus elegiacis! — Denique C. Licinii Calvi versus de Pompejo Magno ap. Senecam Controvers. Lib. III. 19. p. 233. Bip. *Fasciola qui crura ligat, digito caput uno Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum?* miro errore Cinnae adscripserunt Scaliger Lection. Auson. L. I. c. 27. (vid. Ausonii Epigr. LXIX. p. 44. ed. Toll.) et Pontanus ad Macrob. Sat. L. II. c. 9. p. 380. ed. Z. cf. Burmann. ad Anthol. Lat. L. II. ep. 47. T. I. p. 215. 16. et *d. C. Licinio Calvo* §. 11. Fr. II.

DE

C. VALGIO RUFO POETA.

§. 1.

Inter Q. Horatii Flacci familiares, quos ob ingenii doctrinaeque elegantiam magni aestimarit, fuisse etiam Valgium quemdam, ex Satira decima Libri I. compertum habemus. Cum enim, Satira quarta a. U. C. 715. in lucem edita, exstitissent, qui ipsum de Lucilio ejusque Satiris iniquius atque invidiosius judicasse criminarentur ejusque laudi poeticae malevole obtrectarent, a. U. C. 723. hanc scripsit Satiram, qua et suum de Lucilio judicium copiosius explicaret confirmaretque, et facta sibi a Lucilii admiratoribus crimina dissolveret. Jam, commemoratis v. 78 sq. quatuor obtrectatoribus, quos ut homines insulsos malevolosque et ut ineptos Satirarum suarum judices acerba irrisione nominatim perstringit, producit v. 81 sq. viros et animi candore et studiorum elegantiorum laude conspicuos, quibus sua si placeant scripta, impense gavisurum se esse ait, et istorum homuncionum fastidia et vellicationes contempturum. Hos inter viros nobiles et idoneos carminum judices non ultimo loco ponitur Valgius, qui, qualis fuerit, vel ex talium virorum consortio potest intelligi. Eidem Valgio non dubium est quin etiam inscripta sit Libri II. Oda nona, quae animum spirat amoris plenissimum et amicitiam testatur studiorum similitudine conjunctissimam. Horatius enim Valgium amicum ab immoderato ac pertinaci luctu de Mystae cujusdam morte avocare studet, eumque, propositis solatiis, quae partim e rerum natura, partim ex historia repetit, rogat, ut, missis querelis, publicae particeps lae-

titiae recentes Augusti victorias carmine celebrandas sumat et in eo tristitiae ac moeroris levamen quaerat.

Haec, quam diximus, Oda, quae ob v. 19 sq. dubitari nequit quin per hiemem a. U. C. $73\frac{4}{5}$ composita sit, certa quidem est testis poeticae, qua Valgius pollebat, facultatis, neque tamen diserta satis, quo in carminum genere studium cum laude collocaverit suum. Sed quantacunque ejus fuit gloria, quam sibi doctrinae artisque poeticae studiis peperierat, ea Virgilii, Horatii aliorumque aequalium nominis splendore obscurata non nisi paucis admodum iisque incertis ad nostram memoriam perlata est testimoniis, quae hic cum ipsis operum Valgianorum reliquiis diligentius collecta et accuratius examinata dabimus.

§. 2.

Jam quod Asconius Pedianus alicubi dicit, moris fuisse Romae, ut, si quis vir primarius ostendendus esset populo, is a praenomine, nomine gentis, a patre, a tribu, in qua censeri solitus, et a cognomine significaretur; id nobis, de Valgio poeta exposituris, eo magis faciundum esse arbitramur, quo majori obscuritati pluribusque dubitationibus subjecta est illius vita. Nam mirabili casu accidit, ut ei praenomen tribueretur eoque a gentilibus distingueretur, quod, etsi nullius testimonio et auctoritate innitebatur scriptoris, communem tamen omnium, qui nostra memoria Valgii poetae mentionem fecere, Virorum Doctorum assensum ferebat. Hoc ut intelligatur quam vanum sit, operae pretium erit videre, qui praeter poetam, quo de loquimur, ex gente Valgia aliquam consecuti famam a scriptoribus Romanis commemorentur.

Gens Valgia, sicuti non constat fueritne plebeja, an patricia, ita neque antiqua videtur fuisse neque illustris, si quidem per omnem rerum Romanarum memoriam nemo Valgiorum reperitur, qui Horatii familiarem et aetate et nominis fama ac celebritate multum antecesserit. Cicero Epistol. ad Divers. Lib. XIII. 76. Fregellarum quatuorviris et decurionibus commendat C. Valgium Hippianum quemdam, quem Manutius Q. Hippii filium a C. Valgio quodam

adoptatum esse censet. Ab eodem Cicerone alius memoratur Valgius, qui, dominante Sulla, multos agros occuparat, cui consulere volebat gener P. Servilius Rullus, Tribunus plebis a. U. C. 690., lege ista agraria, quam tribus orationibus a Cicerone Consule impugnatam esse notum est: cfr. Orat. III. c. 1. Porro in castris Julii Caesaris a. U. C. 709. in Hispania contra Cn. et Sext. Pompejos bellum gerentis fuit A. Valgius, qui, ut Auct. d. Bell. Hisp. c. 18. refert, senatoris filius, omnibus suis rebus relictis, equum conscendit et fugit. Denique huc etiam referri potest Inscriptio ap. Gruter. p. MCLVIII. 2.

C. VALGIUS C. L. LIPARUS
V. AN. XXII.
C. VALGIUS C. L. LAMUS.

quae nos docet, Liparum et Lamum servos fuisse C. Valgii cujusdam libertate donatos. Nullus horum, quos memoravimus, Valgiorum ulla re domi forisque inclaruit; sed cum M. Valerius Messala Barbatus et P. Sulpicius Quirinus Coss. a. U. C. 742. magistratu sive sponte sive jussi abiissent, in eorum locum suffecti perhibentur *C. Valgius Rufus* et *C. Caninius Rebilus*, haud dubie filius C. Caninii Rebili, qui Julii Caesaris in Gallia legatus (vid. d. Bell. Civ. I. c. 26. II. c. 34.) et a Cicerone ad Attic. XII. ep. 37. ob naufragium, quod fecerat, memoratus item prid. Calend. Jan. a. U. C. 709. Consul suffectus erat, teste Dione Cass. Lib. XLIII. c. 46. ibiq. Intpp. [1]). Utriusque Consulis

1) Hic est ille Rebilus, quo Consule neminem prandisse, neque ipsum utpote mirifica hominem vigilantia somnum vidisse, facete ad Curium scripsit Cicero (Epist. ad Divers. VII. 30.), cui Macrobius Saturn. Lib. II. c. 3. attribuit epigramma:

Vigilantem habemus consulem Caninium,
In consulatu somnum non vidit suo.

quod edidit et illustravit Burmannus in Antholog. Lat. Lib. II. 128. Tom. I. p. 307. Huc spectat etiam Plutarchus in Vit. C. Jul. Caesaris c. 58. ὡς καὶ Μαξίμου τοῦ ὑπάτου τελευτήσαντος εἰς τὴν περιοῦσαν τῆς ἀρχῆς μίαν ἡμέραν ὕπατον ἀποδεῖξαι Κανίνιον Ῥεβίλιον· πρὸς ὃν, ὡς ἔοικε, πολλῶν δεξιώσασθαι καὶ προπέμψαι βαδιζόντων ὁ Κικέρων „Σπεύδωμεν" ἔφη „πρὶν φθάσῃ τῆς ὑπατείας ἐξελθὼν ὁ ἄνθρωπος:" quo loco Ῥέβιλον pro Ῥεβίλιον scribendum puto, si quidem haec nominis gentilicii nec cognominis esset forma. Idem librariorum mendum in Plinii H. N. Libr. VII. c. 54. notavit Harduinus Vol. III. p. 249. monuitque in gente Caninia exstitisse quatuor familias, *Rebilos*, *Regulos*, *Labeones* et

suffecti nomen legitur in Fragm. Fastorum ap. Gruter. p. CCXCVIII. 1.

SU F. C. VALGIUS C. F.
C. CANINIUS.

Hub. Goltzius in Fastis ex Num. antiq. (Antwerp. 1617.) numum profert p. 214., in cujus adversa parte conspicitur caput Junonis Lanuvinae, pelle caprina amictum, cui adscriptum: *Saturnin. Rufus;* in aversa parte figura togata escam porrigens ingenti serpenti, in gyros circumvoluto, ara intermedia, super quam crater amplus, ubi legitur: *C. Valgius C. F. Q. N.* Hic numus visitur etiam in Thesauro Morelliano Amstelod. 1734. inter Num. Consul. Tab. XXXIV. 15., ubi Havercampus T. II. p. 633. suspicatur, Valgiam gentem aliquod sacerdotium habuisse Lanuvii, et propterea pro puella virum Romanum togatum velato capite depingi quasi escam draconi porrigentem. Hinc Valgius, C. Caninii Rebili collega, a Glandorpio in Onomast. p. 878. nominatur: *C. Valgius C. F. Saturninus*, et Pighius Annal. a. U. C. 741. p. 522. huic Valgio duplex cognomen fuisse dicit. Uterque Vir Doctus eumdem Valgium esse existimat, qui a Plinio H. N. Lib. XXV. 2. T. VII. p. 631. Fr. dicatur C. Valgius eruditione spectatus, qui, ut Plinius ait, unus illustrium tentavit post M. Catonem de herbarum usu scribere imperfecto volumine ad Di-

---

Gallos. Sine lectionis varietate nomen *C. Caninii Rebili* cujusdam legitur ap. Livium Libr. XLII. c. 28 et 31. Pari modo inter Viros Doctos disputatur, fueritne ille, cujus supra mentionem feci, Consul a. U. C. 742. dictus P. Sulpicius *Quirinus* an *Quirinius*. Is putatur esse Syriae praefectus, sub quo circa Christi natales per imperium Romanum et Judaeam census habitus est, auctore Evang. Luca c. 2. cf. *Ideler im Handbuch d. mathem. u. techn. Chronologie.* Vol. II. p. 394 sq. Cum ab Evangelista scriptum sit: ἡγεμονεύοντος Συρίας Κυρηνίου, fuerunt qui probatum irent, illum Syriae praefectum non *Quirinum*, sed *Quirinium* esse nominatum: id quod egit *Marini Atti de fratelli Arvali* II. p. 787. Ejus sententiam secutus *Fr. Münterus* in libr. *Der Stern der Weisen.* (Hafn. 1827.) p. 91. N. * * ita scripsit: „*So heisst er auch in einer Inschrift, die Nachricht gibt von der zwischen Cn. Domitius Ahenobarbus und dem Senat und Volk der Städte des Pagus Garzensis in Africa geschlossenen Gastfreundschaft: ebend.* p. 782. *Sein College in dem Consulate wird in der Inschrift C. Valgius genannt. Dieser war nemlich nach dem Tode des mit ihm zuerst ernannten Consuls M. Valerius Messala Barbatus Aemilianus im Jahr 742. Consul suffectus; S. Almeloveen Fasti Consulares* p. 106.“ Mihi aliorum analogia nominum suadet ut assensum cohibeam! —

vum Augustum, inchoata etiam praefatione religiosa, ut omnibus malis humani illius potissimum Principis semper mederetur majestas. Non addit Plinius, praematura morte aliove casu impeditus fuerit C. Valgius, quo minus illud opus ad umbilicum perduceret. Cum inchoata tantum dicatur praefatio, visa tamen a Plinio et lecta fuisse videatur, haud scio an fallar, si illud opus mortis interventu fuisse abruptum dicimus et scriptum post an. U. C. 742., quo anno Valgius Consul fuit suffectus. Neque huic conjecturae adversatur, quod a Plinio non nominatus est Consularis.

§. 3.

Duumviri illi, Glandorpius et Pighius, qui memoratum a Plinio C. Valgium Consulem suffectum esse credunt, longius etiam progressi contendunt, eumdem C. Valgium esse Horatii familiarem poeticis nobilitatum studiis. In eorum sententiam transierunt Meibomius in Maecenate c. 15. p. 111. et Havercampus in Thesaur. Morellian. T. II. p. 633. Qui ita statuunt Viri Docti, suae sententiae auctores habent veteres Scholiastas ad Horatii Lib. II. Odam 9. haec adnotantes: „*Valgium consularem hac Oda alloquitur amicum suum, quem consolatur Mystae, pueri sui delicati, mortem graviter ferentem.*“ Ita Acron, Porphyrion et Schol. Cruq., itemque Glossa Cod. A. Vanderbourg. T. I. p. 420. „*Valgium consularem amicum suum consolatur.*“ At Broukhusius ad Tibull. Lib. IV. 1. v. 180. p. 376., qui primus Valgii poetae memoriam paene exstinctam docte et copiose instauravit, Glandorpium et Pighium erroris insimulavit, et Augusti aetate duo Valgios, poetam alterum, alterum Consularem et eum orationis solutae scriptis clarum, distinguendos censuit. Utrique Valgio tribuit *Rufi* cognomen, sed praenomine eos ita distinxit, ut Valgio Consulari praenomen *Caji*, poetae autem *Titi* praefigeret. Haec tam confidenter a Broukhusio pronuntiata miratus coepi quaerere quo antiquitatis auctore inniterentur. Sed mihi quamvis diligenter pervestiganti antiquitatis monumenta ne unus quidem occurrit

Titus Valgius, et qui Valgii poetae mentionem faciunt Grammátici et Scholiastae, eis ad unum omnibus vel simpliciter *Valgius* dicitur vel *Valgius Rufus*, neque quisquam editorum Horatii, ut Lambinus, Bentlejus, Fea et Vanderbourgius, quos plurimis eisque optimis Codicibus usos esse constat, praenomen illud in aliquo Codice lectum enotarunt. Quid? quod ipse Torrentius, licet item duo Valgios Augusti aetate florentes agnoscat et poetae *Titi* praenomen apponendum dicat, tamen in antiquis, quos adhibuit, Codicibus nihil invenit, nisi titulum Horatii Odae praefixum: „*Ad Valgium Rufum, ne diu doleat.*“ Equidem Broukhusianae sententiae neminem inveni testem antiquiorem P. Crinito, qui d. Poet. Lat. c. 39. p. 453. primus, quod sciam, duo Valgios Augusti aetate claros produxit, et Valgio poetae *Titi* praenomen praeposuit: id quod etiam fecit L. Gyraldus d. Poet. Dial. IV. p. 158. Opp., quorum tamen neuter suae sententiae auctorem allegavit. Horum sententiam quum tacite amplexus esset vir magnae auctoritatis, G. Jo. Vossius d. Poet. Lat. p. 241. T. III. Opp., videtur esse factum, ut illud Valgii poetae praenomen veluti tradux ab uno in alium propagaretur librum de Latii poetis agentem. Nam G. Jo. Vossii et Broukhusii auctoritatem, praeter Funccium d. viril. aet. L. L. c. 4. p. 300., Ernestium in Fabricii B. L. T. III. p. 232., Harlesium in Introd. Litt. Rom. T. II. p. 351. aliosque, secuti sunt Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. p. 804. cl. 588. et omnes, quos novi, editores Tibulli et Horatii, e quibus adeo nuperrime Pottier (Paris 1823.) et Duviquet (Paris 1825.) Horatii Odae l. secure titulum fecerunt: „*Ad Titum Valgium.*“ Contra Massonus in Vit. Horatii p. 306. de Valgii poetae praenomine prorsus tacet, sed de cognomine ejus ambigit. Verum tamen sicut Valgiis cognomen *Rufus* [2]) fuisse nos dubitare non sinunt tum Inscriptio numi supra memorati, tum locus Gellii N. A. Libr. XII. c. 3.,

2) Hoc cognomen adhaesit triginta et amplius familiis, observante Glandorpio in Onomastic. p. 749. Caeterum cognomina mox omiserunt Romani, mox multiplicarunt, ut docet Liebe in Gotha Numar. p. 300.

ita certum etiam est et ab idoneis confirmatum testibus, Valgio Consulari fuisse *Caji* praenomen.

Cum igitur, quod a Viris Doctis tribuitur Valgio poetae praenomen, commenticium sit et nullius ex antiquitate scriptoris testimonio nitatur, porro erit videndum, quibus ducti rationibus et caussis Broukhusius et qui eum secuti sunt Viri Docti veterum Scholiastarum, qui C. Valgium Consulem suffectum a. U. C. 742. et Valgium Horatii familiarem pro una eademque persona habent, testimonium in dubium vocarint et duo Valgios doctrinae operibus claros Augusti aetate floruisse contenderint.

Jam primum in aprico est, vitae tempus minime obstare, quo minus is, quem Horatius a. U. C. 723. prudentem Sermonum suorum judicem cum laude commemorabat, undeviginti annis post Consulatu fungeretur, aetate licet multum provectus ac paene senex. Et si ille C. Valgius, qui, teste Plinio, ad Divum Augustum de herbarum usu scripsit, nec tamen opus illud morte oppressus absolvit, Consul suffectus est, ut non sine magna veritatis specie Glandorpius et Pighius censent, facile est intellectu, quantum firmamenti inde nostra habeat sententia, qua illum grandiori demum aetate summo magistratui admotum fuisse dicimus. Itaque per aetatem licebit cum Horatii Scholiastis de uno cogitemus Valgio. Hos vero si Broukhusius et Torrentius eo convincere student erroris, quod Horatii Oda nona multis annis ante composita sit, quam C. Valgius Consulatu fungeretur, eumque inde ab illis Consularem temere dictum esse appareat, ingenue fateor, me non assequi, hoc argumentum quid sibi velit. Horatius quidem eo, quo hanc Odam scribebat, tempore Valgium amicum nondum viderat Consulem; sed qui in eam commentati sunt Scholiastae, ex Fastis rescierant, illum a. U. C. 742. fuisse Consulem suffectum, ita ut eum in Commentariis jure nominarent Consularem. Porro si Broukhusius negat, a C. Valgio quidquam versibus esse scriptum, vereor, ne ejus opinionis vim aliquantulum infringant ea, quae infra ad Fragm. XII. disputabimus. Denique si forte Viris Doctis res, quas C. Valgius in aliis rheto-

rici maximam partem et grammatici argumenti libris, qui a scriptoribus ei tribuuntur, tractasse perhibetur, abhorrere visae sunt ab ingenio ac studiis poetae, non opus profecto est, ut, id quam vanum sit, multis doceam. Nam, ut silentio hic praeteream Asinium Pollionem, qui laurea donandus Apollinari item multis solutae orationis operibus inclaruit et utroque nomine ab aequalibus juxta ac posteris celebratus est, vel eorum multi, quibuscum Valgius Satira decima Libri I. componitur, ejus sententiae testes sunt ac vindices. Accedit, quod in utroque Horatii carmine non nisi leve et ambiguum de poetica Valgii facultate et studiis exstat testimonium. Nam qui modo excitatus est Satirae locus, nihil declarat nisi Valgium fuisse virum elegantis ingenii politique judicii, alioquin etiam Plotius Tucca, Maecenas, Octavius, Fuscus Aristius et uterque Vibius Viscus veri nominis poetae essent habendi et ingenio scriptisque pares existimandi Vario Virgilioque, quos inter commemorantur [3]). Sed quemadmodum hi, quos dixi, viri in universum ingenii doctrinaeque laude apud aequales florebant et eo nomine grati erant Horatio jucundique familiares, ita eidem commendatus erat etiam Valgius. Hunc vero si contendimus rhetorici, grammatici aliusque argumenti scriptis plus operae ac studii impendisse, quam carminibus, non putamus fore, qui multum nobis repugnet. Nam de poeticis ejus studiis neminem habemus ex antiquitate testem certum et fide dignum nisi Horatium, qui cum a Valgio urgeri dicit Mysten ademptum flebilibus modis (Lib. II. od. 9. v. 10.) [4]), nihil aliud inde sequitur,

3) Virgilius et Varius, uterque clari nominis poeta, commendaverant Horatium (v. Sat. I. 6. v. 45.) Maecenati, cujus familiaritate et convictu haud dubie etiam caeteri, quibus Satiras suas probari cupit Horatius, utebantur: de quorum vita ac studiis quae nobis innotuerunt, fusius exponam infra §. 6.

4) Nam *flebiles modi* sunt *miserabiles elegi*, quales decantasse dicitur Tibullus Lib. I. od. 33. 3. Hinc Ovidius Amor. III. 9. 3. *Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos*, et Herold. XV. 7. *Flendus amor meus est: elegeia, flebile carmen:* quandoquidem elegis maxime querimonia inclusa est, ut ipse ait Horatius A. P. v. 75. Et de elegis, utpote leviore carminum genere, item *molles querelae* v. 17. intelligendas esse, docet oppositorum ratio, ubi v. *tropaea* gravioris argumenti carmina significantur. Ita etiam Lib. II. od. 12. 3. *molles modi citharae* dicuntur

quam Valgium per illam occasionem elegiaca scripsisse carmina, quibus obitum illius pertinaci luctu deploraret. Atque ut propter carminum, quae Valgii nomine per Grammaticorum libros passim dispersa supersunt, Fragmenta concedamus, alia quoque carmina ab eo fuisse composita; tantum tamen abest, ut, quam modo de ejus scriptis proposuimus, sententia labefactetur, ut rara carminum ejus mentione mirifice stabiliatur. Sicuti enim doctum Maecenatem per otium et animi caussa diversi generis poemata lusisse constat, ita etiam Valgium, prouti animus ferret ac tempora, elegias aliaque levioris argumenti carmina scripsisse minime infitiamur. Neque huic opinioni adversatur Horatius, qui dum Valgium hortatur, ut, missis querelis, nova potius Augusti tropaea cantet, nequaquam opus est ut eum de lyrico aut epico cogitasse suspicemur carmine. Equidem, Venusini poetae ingenium et artem si bene novi, neutrum hic intelligendum esse arbitror. Ecce enim, „*cantemus*," inquit v. 19., o Valgi, „*nova Augusti tropaea*," quasi ipse cum amico ea in re certaturus. Atqui Horatius quoties a Maecenate jubebatur, res ab Augusto gestas lyrico scribere carmine, toties eam callide detrectabat provinciam, eique se imparem esse simulabat. Num igitur credibile est, Horatium hic ultro se obtulisse ad canendas cum Valgio Augusti victorias lyra sua, quam ubique imbellem nec nisi jocosis et amatoriis poematis aptam esse dicit? Neque magis de epico hic cogitare licet carmine, cui scribendo Horatius, si quando argumentum oblatum esset epici poetae ingenio dignum, eadem se subtraxit arte et calliditate idque aliis grandioris spiritus poetis delegatum reliquit. Nihil dicam de Agrippa, cui, procul dubio miranti, quod nullo dum carmine rerum ab ipso gestarum mentionem fecisset, scripsit Lib. I. Oda sexta,

---

ratione carminis seu versus epici, qui vocatur *durus* a Propert. II. 1. 41. ibiq. Burm., et ipse *poeta* epicus *durus* ab eodem Lib. II. 34. 44.; cui oppositus est *poeta tener* ap. Catull. c. 35. l. cl. Ovid. Remed. Amor. v. 757. Scripsit vero Horatius *desine mollium querelarum* forma Graeca, ut Lib. III. od. 27. v. 70. *abstineto irarum calidaeque rixae* et Silius Ital. X. 84. *non desinit irae*: cf. Vechneri Hellenolex. l. 2. 24. p. 337. H.

solum Varium esse eum, qui id digne praestare possit; sed ipsi adeo Augusto, impense et cum quadam indignatiuncula roganti, ut ipsius facta caneret, defuit, multis quidem beneficii ac gratiae vinculis obstrictus, eique Virgilium et Varium commendat tamquam idoneos virtutum ejus praecones, licet fateatur, se quoque malle res gestas componere, quam sermones per humum repentes, *si*, ut ait Epist. II. 1. v. 257., *quantum cuperem*, *possem quoque*. Quis igitur sibi persuadeat, Valgium hic ab Horatio ex vera animi sententia provocatum esse, ut Augusti victorias aut lyrico aut epico celebraret carmine? Et quis inde concludat, Valgium in utroque carminum genere studium cum laude posuisse? Idcirco in hac pereleganti, qua usus est Horatius, conversione nihil ego video nisi blandimentum, quo poeticis amici studiis velificatus sit. Quem enim noverat elegiis scribendis vacantem, eum, quo fortius a tristitia et luctu avocaret, incitabat, ut materiam heroico dignam versu tractandam sibi sumeret, et, dum ei nova Augusti tropaea nominatim proponebat, blandiebatur simul principibus illis viris, quibus placere haud ultima laus erat.

§. 4.

Jam haec si a nobis recte sunt disputata, in confesso est, in utroque Horatii carmine non nisi tenue inesse poeticae, qua Valgius praeditus fuerit, facultatis testimonium: si quidem ex ea, de qua diximus, Oda nihil potest colligi, nisi Valgium de Mystae obitu elegias composuisse. Nihilo tamen minus fuerunt qui eum poetam dicerent epicum, et nescio quae epici generis carmina ab eo scripta comminiscerentur, cum Horatii, tum maxime alius poetae testimonio inducti. Nam apud Tibullum in Panegyrico in Messalam Lib. IV. 1. v. 180. legimus:

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius, aeterno propior non alter Homero.

quo potissimum loco factum est, ut Valgius inter epicos aureae aetatis poetas et nomen et locum consequeretur. Hoc enim tamquam locupletissimo teste usi sunt quotquot Viri Docti Valgium epicis Latii poetis accensent. Quid?

quod cum Fabricio ad Ovidii ex Pont. Lib. II. 10. 13. Ol. Borrichius in Dissert. d. Poetis Lat. l. §. 25. p. 54. illo inductus loco opinatur, res Trojanas a Valgio esse scriptas, adeoque Mitscherlichius ad Horatii Od. l. v. 13. suspicatur, Horatium consulto usum esse exemplo Nestoris et Priami, virili ferentium animo obitum filiorum, quia fortasse Valgius res Trojanas suis in carminibus tractaverit. Sed recte jam Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. P. II. p. 586. observavit, hoc elogio Valgium ornari ut magnum quidem poetam, Homero parem ingenio, non item argumento similem. Quod etsi verissimum est, tamen id inde necessario sequitur, Valgium non potuisse ita laudari, nisi aliquo epico inclaruisset carmine, quo Homeri laudem ac virtutes aequaret. Etenim ob epica carmina et Ennius ab Horatio Epist. II. 1. 50. *alter Homerus*, et L. Varius ab eodem Lib. I. Od. 6. v. 2. *Maeonii carminis ales* vocatur, itemque Propertius Lib. II. 25. v. 26. Aeneidos Virgilianae praestantiam auguratus canit:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji;
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Itaque Valgius, si non epico carmine, sed alius generis poematis clarum poetae nomen consecutus fuisset, non poterat Homero aequiparari: quo elogio si dignus erat, nihil honorificentius, si indignus, nihil ignominiosius scribi poterat a Tibullo, ejus si non amico, certe familiari et apud Maecenatem convictore.

Permirum vero, quod neque quisquam scriptorum aequalium, nec Quintilianus epicum hunc poetam, quo non alter aeterno Homero propior dicitur, usquam memoravit, et quod ne unus quidem Grammaticorum alicujus carminis, quod ille scripserat, epici aut nomen aut versum protulit. Hoc scriptorum silentium tametsi per se nihil valet ad evertendam rei historicae fidem, tamen hac in caussa ejusmodi est, ut, si non maximi, certe non minimi momenti sit censendum. Cum enim, ut vidimus, in Horatii carminibus nihil sit praesidii, quo adjuti Valgium epica quoque carmina scripsisse dicamus, restat unum hoc Tibulli testimonium, fide profecto dignissimum, si modo sit

Tibulli. Nam illud Panegyricum in Messalam carmen, rhetoricum magis quam poeticum, malo ac veluti furtivo pede Tibulli elegiis adrepsisse, una fere est hodie ac consentiens Virorum Doctorum vox ac judicium, de quo videsis Bachii Epistol. Crit. in Tibull. Gothae 1812. p. 26 sqq. Atque hic ipse locus, ad Ovidianum illum ex Pont. Lib. II. 10. 13. effictus, documento esse potest, jejunum istud ac putidum carmen esse ingenii scholastici fetum, cujus originem ac quasi natales verisimili modo explanavit Heynius in Observatt. ad Tibull. P. II. p. 319 sq. ed. Wunderl. Neque enim persuadent Vulpius, Huschkius aliique, qui hoc poema a Tibullo, vix pueritiam egresso, compositum suspicantur, cum, alia ut hic omittam, Tibullum vel adolescentulum non probabile sit adeo desipuisse, ut, quem nullis inter aequales epicis carminibus inclaruisse constaret, eum tam magnifica atque fere insulsa mactaret laude et Homero proximum diceret. Et Bachio in Comment. Crit. d. Tibull. Carm. Authentia p. XLV. putanti, auctorem hujus poematis esse unum ex iis adolescentibus, qui eadem, qua Tibullus aliique, publica calamitate afflicti et patriis bonis exuti essent, quominus assentiri possim, eo impedior, quod nullam in ipso opere video idoneam et satis gravem ejus opinationis rationem. Neque etiam orationis color per totum diffusus carmen aureae aetatis indolem refert; id quod Bachius ipse et sensit et bene declaravit. Si idem V. D. scribit p. XLVI., sibi videri hoc carmen, Valgio duce, inter versificatorum subsellia compositum: ingenue fateor, me haec neque intelligere satis, nedum probare posse [5]). Nam, etiamsi constaret, Valgium fuisse Grammaticum, qui aperto Romae ludo juvenilia ingenia ad suae de arte poetica praeceptionis normam exercuerit, tamen illum in Messalam Panegyricum in exercitationum seu μελετῶν, Augusti aevo scriptarum, referre censum dubitarem. Certum mihi est, illud poema deteriori de-

5) Bachii sententiae subscripsit nuperrimus Tibulli editor *Ph. Am. de Golbéry* (Paris. 1826.) p. 490., cujus verbosa de Tibulli Vita et Carminibus disputatio, simulac b. Spohnii acumen et doctrina eum destituit, mira exarescit siccitate.

mum aetate exaratum esse ab aliquo, qui ingenii exercendi caussa eam versibus exponendam sibi sumeret materiem, ex Augusti aetate depromptam, quae ad genus ἐπιδεικτικὸν, πανηγυρικὸν aut ἐγκωμιαστικὸν pertinebat, in quo imprimis scholasticorum hominum ingenia se jactasse inter alios copiose docuit I. C. Th. Ernestius in Comment. d. elocutionis poett. Lat. luxurie §. 4. in Beckii Act. Semin. Reg. Vol. II. P. 1. p. 35 sqq. Quamquam vero hujus poematis auctor, quisquis fuit, callide se fingit rei, quam describit, aetate supparem, tamen cum multis aliis indiciis seriorem prodit aetatem, tum etiam Valgii mentione, quam, si quid intelligo, inseruit et loco perincommodo et inepta laude inquinavit. Enim vero noverat iste versificator, Valgium fuisse Messalae ac Tibulli aequalem [6]); noverat, eum carminibus scribendis vacasse: hinc iste rebus a Messala gestis digne scribendis imparem se sentiens temere substituit Valgium eumque inscienter facit epicum poetam, Homero parem.

§. 5.

Jam, cui de hujus poematis νοθείᾳ mecum persuasum est, is facile adducetur, ut Valgium epicorum poetarum ordine ac numero eximendum censeat. Nam hoc Pseudo-Tibulli testimonium, quo uno innititur Virorum Doctorum de Valgio, tamquam poeta epico, sententia, etiamsi illud Augusti saeculo scriptum putemus, tamen in tanto omnium scriptorum silentio sublestae admodum atque incertae est fidei. Atque, ut dicam, quod sentio, in nullo artis poeticae genere Valgius ita mihi videtur excelluisse, ut aequales inter poetas insigniorem laudem adeptus emineret, et carminibus sui nominis memoriam posteritati commendaret. Sed quemadmodum multi Romani, postquam, pace terris reddita, litterarum artiumque studia,

---

6) Heynius *Valgii* nomen etiam repositum voluit ap. Tibull. Lib. I. 10. v. 11.

Tunc mihi vita foret, Valgi! nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.

pro vulg. *vulgi nec.* — Sed *Valgius* hic minime exspectatus venit, ut verissime ait Huschkius.

Augusti, litteratissimi principis, velut auspiciis florere coeperant, arti poeticae operam ac studium impendebant, non quo ipsi audirent poetae aut Virgilii Horatiique praestantiam et gloriam affectarent, sed ut elegantiae et doctrinae laudem inde consectarentur; ita etiam Valgius, utpote docti elegantisque ingenii vir, otiosus et animi caussa poemata scripsisse, sed aetate provectus et muneribus publicis admotus his studiis si non valedixisse, ea certe ita neglexisse videtur, ut, si quam laudem carminibus sibi pepererat, eam aliis obscuraret scriptis, quorum paene frequentior apud scriptores veteres et Grammaticos fit mentio, quam ejus carminum. Nam cum, quae Viri Docti de duobus Valgiis, diversisque eorum praenominibus disputarunt, tam ambigua sint neque ullo satis certo antiquitatis monumento confirmentur; nihil equidem, ponderatis utrimque argumentis, dubito contendere, non nisi unum fuisse Valgium, qui Augusto imperante Romae floruerit, et vinctae et solutae orationis operibus aliquam famam apud aequales et posteros consecutus sit, atque eum ex scriptorum fide ac testimonio dictum fuisse *C. Valgium Rufum*. Neque etiam quidquam per vitae tempus obstat, quo minus eumdem a. U. C. 742. Consulem suffectum fuisse credamus, si quidem profecto Horatii Scholiastarum testimonium hac in re pluris faciendum videtur, quam ista Virorum Doctorum opinatio, quam idonea auctoritate destitutam esse vidimus.

§. 6.

Cum eis, quae de C. Valgio Rufo ejusque studiis hactenus disseruimus, plurimum lucis allatura sit paullo accuratior eorum notitia hominum, quos Horatius cum Valgio componit tamquam aequos ac peritos Satirarum suarum judices; haud alienum erit aut ingratum disputando ita digredi, ut, quae apud veteres scriptores de illis passim memoriae tradita invenimus, hic diligentius collecta adjiciamus. Ecce igitur egregiorum seriem virorum ac prudentissimorum veluti consessum judicum, quos obtrectatoribus suorum carminum opponit Horatius et cum quodam

animi affectu a vers. 81. producit optans, ut, quae isti malevoli vellicent homines,

Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque!

In enumerandis his viris ac familiaribus manifestum est, ab Horatio neque aetatis nec dignitatis rationem fuisse habitam, alioqui Maecenas veluti choragus primo loco erat ponendus. Hujus autem viri docti ac nobilissimi magnorum ingeniorum fautoris et patroni quae fuerit necessitudo cum Virgilio et Horatio, utriusque poetae carmina satis testantur: in quibus illud notatu dignum est, quod, licet ille diversi carmina generis scripserit, a neutro tamen aut Virgilio aut Horatio poetica ejus facultas usquam laudatur. Quid? quod Horatius, cum a Maecenate jussus esset, ut res ab Augusto gestas versibus scriberet, primum de more negat, Musam suam tam sublimi argumento sufficere et tum patronum vicissim hortatus pergit Lib. II. od. 12. v. 9.

Tuque pedestribus
Dices historiis praelia Caesaris,
Maecenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minacium.

Quo in loco si aut Horatius aut ipse Maecenas suis poeticae artis studiis et poematis multum tribuisset, eorum commemoratio et accommodatior erat et blandior, quam historiae de Augusto ejusque rebus gestis. At de L. Vario, poeta et epicis carminibus illustri et tragoediis, diserta exstant Horatii aliorumque testimonia, de quibus alibi cum cura dicam. Huic ab eodem hic conjungitur *Plotius*. Utrique amico, ut constat, sua scripta legavit moribundus Virgilius, auctore Donato in Vit. Virgilii §. 53. ibiq. Heynius. Plotio fuit cognomen *Tucca*, de quo vet. Scholiast. ad Persii Sat. II. v. 42. *Sed pingues patinae tucetaque crassa* haec adnotavit: „*Hinc* (n. a voc. *tucetum*) *Plotius Virgilii amicus in eadem regione* (i. e. Gallia Cisalpina) *est nominatus Tuceta*“: quod nomen depravatum Io. G. Vossius in Etymol. p. 535. et Casaubonus ad Persium

p. 33. recte emendarunt *Tucca*. Adde, quae Jos. Scaliger ad Euseb. Chron. p. 171. (ed. 2. 1658.) e Glossis Persii enotavit: „*M. Plotius Tucca Cisalpinus dictus, quod bubula condimentis quibusdam crassis oblita et macerata, quae a Cisalpinis et popularibus ipsius Tuccae vocabatur (unde) tucetum.*“ quae Scaliger Grammaticorum somnia esse dicit. Cf. Beroaldi Comment. ad Apuléji Metam. Libr. II. Vol. III. p. 66. a. ed. Bosschae. Quidquid vero ejus rei est, inde tamen nescio an jure colligi queat, hunc Plotium ex Gallia Cisalpina fuisse oriundum: id quod verisimile etiam reddit ejus sine dubio gentilis, *L. Plotius* cognomine *Gallus*, qui, sec. Euseb. Chron. Ol. 173. 1. a. U. C. 671. seu, ut Quintilianus I. Or. III. 4. §. 42. ait, extremis L. Crassi temporibus, primus Romae Latinam rhetoricam docuit 7). Ille autem Plotius Tucca Virgilio

---

7) Cf. Manso in *Comment. Miscell.* p. 68. Hunc Plotium Cicero puer audire doctissimorum hominum auctoritate vetabatur quamvis cupiens, ut ipse ait in Fragm. Epist. ad Titinium ap. Sueton. d. clar. Rhet. c. 2., illumque, ut inflatum ac levem et sordidum, M. Caelius deridens appellavit *hordearium rhetorem*, quocum peraccommodate componit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 88. Dinarchum oratorem, qui Graecis cum irrisione dictus est *Δημοσθένης ὁ χριθινος* seu *ἄγροικος*: adde Huschkii Comment. d. *C. Annio Cimbro* p. 29. Gallia vero, unde utrumque Plotium ortum esse suspicamur, fuit, ut copiose docet Morhofius d. Patavinit. Livii c. X. Vol. VII. p. 62 sqq. Drakenb., fecunda genitrix virorum omnis sapientiae laude florentium, quos inter etiam Julius Florus, cui inscripsit Horatius Lib. I. epistolam 3. Ille L. Plotius rhetor, ab aliis etiam memoratus scriptoribus (vid. Spalding. ad Quintil. I. Or. l. c. Vol. I. p. 288.), Ellendtio in Prolegom. ad Cicer. Brut. p. XV. idem videtur esse, qui a Cicerone pr. Arch. c. 9. dicitur familiaris Marii, eximie ab eo dilectus, quum ea, quae gessisset, illius ingenio celebrari posse existimaret. Neque is ideo faciendus erat poeta a Glandorpio aliisque et a rhetore distinguendus, ut bene monuit Weiskius ad h. l., licet poeticam quoque fortasse attigerit. Dubito igitur ad eum referre locum M. Varronis ap. Gellium N. A. III. c. 3. attestantis, Plautium fuisse quempiam poetam comoediarum, cujus quoniam fabulae *Plauti* inscriptae forent, acceptas esse quasi *Plautinas*, cum essent non a Plauto *Plautinae*, sed a Plautio *Plautianae*. Nam ille rhetor, quod sciam, *L. Plotius* semper nominatur, mirorque Schützium, qui in Cicer. Fragm. Epistol. Vol. XVI. P. 2. p. 55. invitis Codicibus *L. Plautium* edidit. Quamquam frequens fuit ista vocalium permutatio, de qua vide Schneiderí Gr. Lat. I. 1. p. 61. et illa gens plebeja promiscue *Plautia*, *Plotia* adeoque *Plutia* in monumentis scribitur, ut docet Ursinus in Famil. Roman. p. 213., tamen videtur usu venisse, ut alii sè *Plotios*, alii *Plautios* constanter nominarent, seque, ut *Clodii* a *Claudiis*, hac nominis forma secernerent. Sed passim illius nominis scriptura librariorum errore ambigua est. Sic, ut omittam *legem Plotiam* ap. Cicer. ad Attic. I. 18.,

et Vario conjunctissimus et Horatio carus, non magis ideo habendus est poeta, atque *Octavius optimus*, ut ab Horatio nominatur. Hic quis fuerit, plane ignoratur, neque, cum tot viri nobiles ex gente Octavia inclaruerint, certi quid conjectando definiri potest. P. Victorius Var. Lectt. Lib. XIV. c. 7. intelligit eum, in cujus mortem Epigramma exstat in Catalect. Virgil. aliorumq. Poetar. c. Comment. Jos. Scaligeri (Lugd. B. 1617.) p. 93. cl. 252., in Burmanni Anth. Lat. Lib. II. ep. 65. Vol. I. p. 222. et ap. Heynium N. XIV. Vol. IV. p. 197., quod ego ex N. Heinsii emendatione sic legendum puto:

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae
Dicunt, ah, nimio pocula ducta mero?
Vobis si culpa est bilis: sua quemque sequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
Raptum, et Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, Manes,
Hunc superesse patri, quae fuit invidia?

ex quo patet, historiam ab eo scriptam esse Romanam. Hinc eum Latinis historicis accenset Io. G. Vossius de Hist. Lat. Vol. IV. p. 222. Opp., sed immerito eumdem inter Latii poetas refert Vol. III. p. 241. ob Horatii testimonium, quod nihil probat, nisi eum fuisse virum doctum ac peritum operum poeticorum judicem. Haec Victorii sententia, quamvis sit dubia, tamen omnium est verisimillima, eique adstipulati sunt Lambinus, Torrentius, Sanadonus, Dacerius aliique. Sed Cruquius ad Horat. p. 505., rejecta illa, intelligendum censuit *Octavianum* ob adj. v. *optimus*, quippe qui fuerit mansuetudine et morum facilitate insignis et poeta non inceleber. Burmannus ad Anth. Lat.

---

quae *Plautia* dicitur Sallustio Catil. c. 34, 4. ibiq. Cortius, *A. Plotium*, qui cum Cn. Plancio aedilitatem petebat, teste Cicerone Or. p. Planc. c. 7., et ab eodem ad Attic. V. 15. Praetor urbanus memoratur, eumdem esse *A. Plautium*, qui Praetor Bithyniae dicatur a Cicerone ad Divers. XIII. 29., post Ursinum et Glandorpium suspicatur Ernestius in Ind. Hist., qui si ei recte *Silvani* cognomen apposuit, ejus nomen *Plautius* exarandum erit, cum illud cognomen non *Plotiorum*, sed *Plautiorum* esset, ut, praeter Glandorp. in Onomast. p. 687., etiam Inscriptt. ap. Gruter. p. CVI. 7. et CCCLII. 6. confirmant.

l. c. favet Cruquianae sententiae, qua tamen nihil esse potest inanius. Neuter eorum advertit, Horatium h. l. dicere de viris doctis privatis iisque familiariter sibi junctis, a quibus ad viros doctos eosque publica conspicuos dignitate, vanitatis et ambitionis suspicionem de se deprecatus, ita transit v. 84.

Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre, simulque
Vos, Bibuli et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo: quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, dolituras, si placeant spe
Deterius nostra [8]).

in quibus Octavianus, si eum voluisset memorare, poni debuit. Deinde eo, quo Horatius hanc scripsit Satiram, tempore nondum ita Octaviano innotuerat eique reconciliatus erat, ut eum inter caros sibi et aequos suorum carminum judices nominaret. Denique Horatius nusquam Octavianum appellat *Octavium*, sed, antequam is *Augusti* nomen ferret, semper *Caesarem* [9]). Qui post Octavium memoratur *Fuscus*, est ille Sat. I. 9. 61. *Fuscus Aristius*, cui Horatius Lib I. odam 22. et Libr. I. epistolam 10. inscripsit: quibus ex carminibus liquet, fuisse eum poetae Venusino familiarissimum, de quo perabsurda congessit

---

8) Erat, quo ego suspicarer, Horatii haec scribentis animo obversatum esse Octavianum Caesarem, cum alios prudentem se praeteriisse dicat. Fortasse illum, qui, si haec Satira mense Octobri a. U. C. 723., ut Spohnius statuebat (v. Jahn. ad h. l. p. 230.), scripta est, mense praecedente unus imperii Romani dominus factus fuerat, consulto hic praeteriit, ne nimiae ambitionis et jactantiae ab adversariis argueretur. Sed ipse, re accuratius exputata, missam feci istam suspicionem, cui multa obstant. Caeterum, quam ego Bentlejum secutus v. 88. excudendam curavi lectionem, *sunt qualiacunque* pro *sint*, eam erudite tuetur Huschkius ad Tibull. I. 6. 66. p. 176 sq.

9) Bentlejus, dum ad Sat. I. 5. 27. locum Satirae 10. distinguendum censet;

Valgius et probet haec Octavius, optimus atque
Fuscus etc.

magnopere dubito an cogitarit de Octaviano, ut Heindorfius suspicatur. Non ita labi poterat summus ille vir, qui, simulac Satirae quintae loco offensus fuit, suae sententiae gratia hunc quoque versum non intactum reliquit. In utroque sane loco suum praecipitavit judicium; vid. Fea ad Sat. I. 5. 27.

Glandorpius in Onom. p. 116. Horatii Scholiastae de eo haec: Schol. Cruq. ad Sat. IX. p. 392. „*hic fuit Grammaticus illius temporis doctissimus, amicus et familiaris Horatii.*“ et Acron ad Epistol. c. eum *scriptorem tragoediarum* et Porphyrion ibidem *scriptorem comoediarum* appellant. Quorum testimonio etsi jure parum tribuit Langius in Vindic. Tr. R. p. 10., tamen non veremur, ne, si eum et Grammaticum fuisse dicimus et Poetam, qualis fuerit ille Valerius Cato, auctore Suetonio d. illustr. Gr. c. 11., multum fallamur. Vir doctus fuit, a poeticis studiis non alienus, ideoque Horatii consuetudine et amicitia dignus. Eodem in loco ac numero haud dubie habendus est uterque *Viscorum*, de quibus Acron ad h. l. „*Visci duo fratres fuerunt, optimi poetae. Alii dicunt Criticos fuisse. Pater eorum, Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus esset, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos Senatores fecisset.*“ Ad verbum cum Acrone consentit Schol. Cruq. p. 400., sed Porphyrion nihil adnotavit, licet id promiserit ad locum Sat. I. 9. v. 22.

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus?

ubi haec: „*De Visco infra dicetur*“; quo credibile est significari Satirae X. versum 83. Non mirum hoc, cum hos Scholiastarum Commentarios non integros ad nostram aetatem perlatos esse constet. Praeterea silentio hic omitti nequit, hoc Scholion in edit. Basil. 1555., qua utor, sic legi: „*Non Fuscum. Et Fuscum et Varum* (sic!) *Horatius amicos habuit. De Fusco infra dicetur.*“ Id correxi, cum partim in textu, quem illa editio expressit, partim in Commentario Acronis adnotantis ad h. l. „*Viscus disertus illius temporis homo. Nonnulli poetam dicunt, amicum Horatii:*“ nulla deprehendatur lectionis varietas. Si vero a Porphyrione ita lectum esse certo constaret, aut huic lectioni aliquot Codicum hodie accederet auctoritas, nihil ego dubitarem *Fusco* hic concedere locum, cum *Fuscus Aristius*, quem, ut supra vidimus, Scholiastae tragoediarum et comoediarum scriptorem di-

cunt, peraccommodate memoratus esset juxta L. Varium, nobilem illum poetam tragicum. Neque inepte importunus iste homo, in via sacra Horatio obvius, et Fuscum Aristium et Varium nominasse et suos crepans versus cum illis poetis se comparasse censendus esset. Atque reposito *Fusci* nomine, simul remota esset difficultas, quae legenti hanc Satiram ultro se offert. Cum enim h. l. unus tantum memoretur *Viscus*, quaeri potest, utrum pater, Vibius Viscus, eques, intelligendus sit, an unus ex filiis? et uter filiorum? Veteres Scholiastae nihil ea in re auxilii ferunt, et universe tantum ait Schol. Cruq. ad h. l. „*Viscus et Varius, amici Virgilii et Horatii, diserti fuere illo tempore poetae.*“ Quare et nos in medio relinquamus necesse est rem, de qua in utramque partem multum disputari potest, praesertim cum ejus ambiguitatem adaugeat Libri II. Satira nona, in qua Poeta Nasidieni coenam describens et ordinem, quo mensae accubuerint convivae, ita pergit v. 20.

Summus ego et prope me Viscus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius: cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.

Quo in loco sicut vix cuiquam dubium erit quin L. Varius poeta intelligendus sit, Horatii amicus et Maecenatis convictor, ita facile quis induci poterit, ut eumdem hic inveniat Viscum, quem Satira nona Lib. I. cum Vario conjunctum vidimus. Sed Viscus h. l. dicitur agnomine *Thurinus*, de quo dubitanter Schol. Cruq. p. 502. „*Thurinus: aut nomen proprium, aut gentile, nimirum de Thurio oppido Calabriae.*“ Et quum Codd. Msti aliquot *Thurrinus*, *Turrinus* haberent, conjecit Pulmannus *Turranus* de tragico poeta cogitans, cujus meminit Ovidius ex Pont. IV. 16. 29. *Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis.* Inepte: nam ille tragicus poeta non *Turranus*, sed *Turranius* appellatus est, ut erudite nuper probavit Osannus ad Apuleji d. Orthogr. Fragm. §. 5. p. 27 sq. [10]).

10) Car. Fea in Horat. Codd. invenit etiam *Luscus Tarinus* pro *Viscus Thurinus*. Permirum hercle scripturae mendum: quo viso cuique

Certum etiam est, illud nomen esse gentile, ut jam Acron monuit: „*de Thurio, oppido Calabriae sive de Thuriis.*“ Cf. Cellarius d. Geogr. O. A. Lib. II. c. 4. p. 728 sq. et impr. A. Majus ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 22. ed. Beier. Horatius igitur Viscum ab urbe natali designavit, nisi forte illi alia quapiam de caussa inditum fuerat hoc cognomen, quod etiam Augusto infanti fuisse, memoriae tradidit Suetonius c. 7. Sed tamen mirari subit, cur illud nomen adjecerit Horatius, nisi statuimus, eum distinguere voluisse hunc Viscum Thurinum ab aliis: id quod primus, quod sciam, suspicatur Heindorfius, cui tamen non videtur succurrisse locus Sat. IX. Lib. I., ubi item unus tantum Viscus memoratur. Etsi facile adducor, ut Viscum Thurinum diversum esse credam a Viscis fratribus, Horatii amicis; tamen nescio quo fit, ut, qui a garrulo isto homine Satira nona Libri I. junctim cum Vario memoratur Viscus, eumdem etiam hic agnoscam. Hic autem Viscus Thurinus fueritne fortasse eques ille, pater Viscorum fratrum, amicorum Horatii, equidem, in tanta testium penuria, non ausim decernere, praesertim cum nihil constet, Horatium illo familiariter usum esse.

Quamvis pauca sint et incerta, quae nobis per temporis iniquitatem et invidiam de egregiis illis doctisque viris innotuerunt, quibus Horatius carmina sua probata esse volebat; tamen vel ex iis, quae protulimus, veteris aevi testimoniis manifestum, opinor, erit, quantopere fallantur, qui illos ad unum omnes poeticis studiis carminibusque excelluisse contendunt. Inde, quae supra §. 3. de Valgio poeta ejusque carminibus disputavi, quantum confirmentur, apparet, nec quisquam, credo, erit, qui brevioribus, ut Horatii verbis utar, foliis a me ornatam esse criminetur Valgium, cujus ingenii doctrinaeque laudi tantum abest ut

necesse est in mentem veniat *Fuscus Aristius*, quem, ut supra adnotavimus, etiam Sat. I. 9. 22. agnoscit Porphyrion. Jam cum in utroque Horatii loco unus tantum, quem aliunde non novimus, commemoretur Viscus isque cum Vario junctus, est, quod suspicemur, pro *Visco* in utraque Satira reponendum esse *Fuscum*: quo facto omnes etiam, quas tetigimus, difficultates ac dubitationes tolli planum est.

quidquam detractum velim, ut scriptis, quae ei vindicanda censeo, plus ornamenti additum esse putem. Nam ego, pensitatis accurate omnium rerum momentis ac veterum scriptorum testimoniis, in ea sum sententia, ut Valgium, virum omnis doctrinae atque elegantiae amantissimum scriptisque nobilem, raro tantum et, pro communi studiorum illius aetatis ratione, non nisi per tempus et occasionem carmina scripsisse dicam. Atque ejusmodi vel occasionem vel necessitatem ei oblatam esse credo immatura Mystae cujusdam morte, quam Elegiis lugebat, quarum meminit Horatius, amicus et unus de poeticis ejus studiis ac carminibus testis.

§. 7.

Quis fuerit ille Mystes, ex cujus obitu tantum susceperat dolorem Valgius, ad nostram usque memoriam inter Viros Doctos non convenit. Veteres Horatii Scholiastae illum fuisse dicunt *puerum delicatum*, atque in eorum testimonio acquiescere nobis licebit. Nam Romae illa aetate invaluerat mos, ex Asia translatus, ut viri nobiles domi nutrirent pueros facie et garrulitate amabiles, qui *ὑποκοριστικῶς delicati pueri*, *deliciae*, *delicium*, *deliciolum* appellabantur; quae nomina cum apud scriptores, tum maxime in Inscriptionibus de illis frequentari, copiose docuerunt Casaubonus ad Sueton. Aug. c. 83., Intpp. ad Phaedri Fab. IV. I. v. 8. T. II. p. 173. Schw.; ad Petron. Sat. c. 28. p. 138. et c. 63. p. 415. B. et ad Quintil. I. Or. Lib. I. c. 2. §. 7. Atque Augustus, ut hoc utar, quo magis, auctore Suetonio c. 83., pumilos [11]) aliosque distortos, ut ludibria naturae malique ominis, aversabatur, eo studiosius undique conquirebat pueros delicatos, ex quibus unus memoratur a Plutarcho in Vit. Anton. c. 59. *ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ διλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν* [12]). Fuerunt autem isti pueri par-

11) Pumiliones Romae inter utriusque sexus ministeria et delicias fuisse, constat: vid. Boettiger in Sabin. p. 315 sqq.

12) Is Sarmentus valde ambiguum est an diversus sit a Maecenatis scurra, qui memoratur ab Horatio Libr. I. Satir. 5. v. 52. „*Nunc mihi*

tim exteri, quorum prae caeteris Syri, Alexandrini et Mauri urbanitate et argutiis excellere credebantur, partim vernae, quos dici non potest quam caros habuerint Romani et quantum his vernulis indulserint. Nam *cogita*, scribit ad Lucilium Seneca d. Provid. c. 1. §. 6., *filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia:*

---

paucis Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirrhi Musa velim memores, et quo patre natus uterque Contulerit lites;" ubi Porphyrion: „*Sarmentus*, inquit, *et Cicirrhus, ambo ex urbanitate noti, equites tamen Romani;*" quod postremo loco dictum Heindorfio dubium videtur. Mihi hoc Scholion ex genuinis Porphyrionis Commentariis videtur pessime decurtatum esse, cui plurimum lucis accedit ex vet. Scholiasta Juvenalis, a quo Satir. V. v. 3. „*Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset*," illud τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον significari, manifestum est. Atqui Scholiastes et Juvenalis editores, quod sciam, omnes cognominem Maecenatis scurram huc referunt: id quod ego secus factum puto. Verum tamen ex hujus Scholiastae verbis, misere licet depravatis, discimus, Sarmentum, Maecenatis scurram, natione fuisse Tuscum, e domo M. Favonii aut libertum aut servum: id enim incertum esse ait Scholiastes. Sed cum eum ut *servum fugitivum* designet Horatius l. c. v. 65., ejusque *dominam* adhuc *exstare* dicat v. 55., omnis tollitur dubitatio, ut bene vidit Rutgersius in Lectt. Venus. c. 16. p. 336. Illa vero Sarmenti domina sine dubio est M. Favonii vidua superstes. Nam M. Favonius, Catonis ille aemulus (vid. Dio Cass. Libr. 38. c. 7.), aedilis a. U. C. 701. (v. Dio Cass. Libr. 40. c. 45.) et a praetura repulsus (v. Cicer. ad Divers. VIII. ep. 9.), quamvis acerbe dicax in Pompejum, ut docui in Comment. d. *C. Licinio Calvo* §. 11., tamen ejus partes secutus post praelium Pharsalicum a. U. C. 706., cum illo in Aegyptum fugit, teste Vellejo Paterc. Libr. II. c. 53., a quo *Praetorius* dicitur. Quo anno Praetor fuerit Favonius, incertum est: Pighius Annal. R. Tom. III. p. 417. eum Praetorem fuisse dicit a. U. C. 703.; Schützius autem ad Ciceron. Epist. temp. ord. dispos. Vol. III. p. 72. accurate docet, praeturam a Favonio gestam esse C. Claudio Marcello et L. Cornelio Lentulo Coss. a. U. C. 705., quo anno Pompejus cum exercitu in Graeciam trajecit. Julio Caesare interfecto a. U. C. 710., Favonius inter eos erat, οἳ τοῦ ἔργου μὴ μεταschόντες προσεποιοῦντο τὴν δόξαν, ut ait Appianus d. B. Civ. Libr. II. c. 119. Quapropter a Triumviris proscriptus ad Cassium se contulit et in pugna Philippensi a. U. C. 712. captus (v. Dio Cass. Libr. 47. c. 49.), cum catenatus produceretur, M. Antonio honorifice salutato, Caesarem Octavianum foedissimo convicio coram proscidit et supplicio affectus est, auct. Suetonio Octav. c. 13. Favonii, utpote inter proscriptos occisi, bonorum sive rectio sive sectio ad Maecenatem venit, qui Sarmentum libertate donavit et scribam fecit. Inde Maecenatis comes in itinere, quod ille et Coccejus verno tempore a. U. C. 716. Brundusium faciebant, quodque Horatius Satira quinta descripsit. Cum igitur Sarmentus intra annos U. C. 712 et 716. Maecenati ad manus esset, facile est intellectu, fieri non potuisse, ut idem Sarmentus circa an. U. C. 721. inter Caesaris Octaviani παιγνίων παιδάρια commemoraretur. Itaque Sarmentus, Maecenatis scurra, distinguendus est a cognomini Octaviani puero delicato, quem Plutarchus et Juvenalis memorant. Temporis enim rationes adversantur conjecturae ab

illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Ex hac dominorum indulgentia nata est impudens ista horum puerorum procacitas et contumeliosa urbanitas, quam verissimis coloribus depingit Seneca d. Constant. Sap. c. 11. §. 3., et cujus memorabile exemplum legimus ap. Dion. Cass. Lib. XLVIII. c. 44. Vol. II. p. 652.

Heindorfio ad Horatii l. c. v. 55. propositae in gratiam, ut videtur, Spaldingii, qui imprudens hunc Maecenatis libertum ex Octaviani deliciis fuisse scripserat ad Quintil. I. Or. Libr. VI. c. 3. §. 58. „Et Sarmentus, seu P. Blessus Junium hominem nigrum et macrum et pandum *Fibulam ferream* dixit:" his enim litterarum typis exprimendum esse hunc locum, ne omnis dicterii acrimonia diluatur, acute monet Cramerus ad Schol. Juvenal. l. c. p. 151. In hoc Quintiliani loco jure offendit VV. DD. illud *seu*, quo vel idem homo diversis nominibus vel diversus joci auctor indicatur. Posterior ratio placet Spaldingio, non item mihi, ut qui in nominis *P. Blessus* corruptela, quam Codd. Msti attestantur, latere suspicer agnomen Sarmenti γελωτοποιοῦ. Nam sicut Cocceji scurrae, Messio, natione Osco, agnomen fuit *Cicirrhus*, Κίκιρρος i. e. ἀλεκτρυών, auctore Hesychio, fortassis illi inditum ob vocem gallo cucurrienti similem; ita non veri est dissimile, etiam Sarmento fuisse agnomen ridiculum, quod addere placuerit Quintiliano. Ita Cocceji scurra, qui ab Horatio l. c. v. 52. *Messius Cicirrhus*, *Messius*, *der Gackhahn*, ut Vossius convertit, dicitur, promiscue nunc v. 58. *Messius*, nunc v. 65. *Cicirrhus* simpliciter nominatur. Illud vero Sarmenti agnomen quod et quale fuerit, aliis me acutioribus divinandum relinquo. Erat, quo mihi succurreret gentis Semproniae cognomen *Blaesus*, quod Sarmento per irrisionem impositum putabam vel ob linguae balbutientis vitium vel, praesertim cum ille a Messio v. 69. *gracilis sic tamque pusillus* appelletur, propter pedes valgos, quos Graeci βλαισοὺς dicunt: cf. Not. 16. Ita, ut hoc utar, Atedius Melior, cui Statius Sylv. Libr. II. carmen 3. et 4. inscripsit, scribam habebat *Blaesi* nomine, cujus defuncti natalem sollemniter quotannis celebrabat, teste Martiale Libr. VIII. epigr. 38. Sed huic conjecturae meae primum obstat littera *P.*, praenominis index, quam vel monstrosa ista Codicum lectio: *pblessis* tuetur; deinde a Scholiasta Juvenalis dicitur Sarmentus *forma* et *urbanitate* insignis: quae laus in hominem gracilem et pusillum, neque tamen valgum cadit. Urbanitatis, qua excellebat Sarmentus, specimen idem Scholiastes prodit, cujus verba ita legenda esse puto: „*Jam autem senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionari, cum interrogaretur, cur scriptum quoque censorium venderet, non infacete, bonae sè memoriae esse, re perdita, respondit.*" Quod Salmasius in Epist. ad Sarrav. 86. expunxit vocabulum „*censorium*," retinui, quamvis vel Cramerus fateatur, se nescire, unde hoc nimis doctum fluxerit mendum. Equidem vereor, ne Viris Doctis fraudi hic fuerit v. *scriptum*, quod illustrarant loco Suetonii in Vit. Horatii §. 1. *scriptum quaestorium comparavit*, h. e. locum inter scribas quaestorios, ut recte interpretati sunt Salmasius, Rutgersius et Valesius ad Ammian. Marcell. Libr. XXVIII. c. 6. §. 10. Vol. III. p. 265. W., qui „*Scriptus* enim, inquit, est officium scribae: quo sensu *scriptum facere* dixit Piso de Flavio quodam ap. Gellium N. A. Libr. V. c. 9. et Livium Libr. IX. c. 46." Jam etsi Romae scribarum decuriae plures erant, magistratuum, quibus apparebant, no-

Sturz. Solebant autem philosophi aeque ac poetae ejusmodi puerorum vernilitate suum oblectare otium. Ita ap. Senecam legimus Epist. 12. §. 3. „*ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre: ego sum Philositi villici filius, deliciolum tuum;*“ et Horatius sua beatus villa scribit Sat. II. 6. v. 65.

---

minibus distinctae, et inde scribarum alii *Praetorii*, alii *Aedilicii*, *Tribunicii* alii, alii *Quaestorii* dicebantur, ut copiose docet Masson in Vit. Horat. p. 76 sq., tamen, quantum meminerim, neque apud scriptores neque in monumentis *scribae Censorii* inveniuntur. Sed ut concedam, occurrere scribas *consulares* et *censorios*, quos nescio qua auctoritate memorat Creuzerus in libr. *Abriss d. Roem. Antiq.* §. 173., et *scriptum censorium* eodem dici sensu, quo *scriptum quaestorium*: quid, quaeso, est *scriptum censorium vendere?* Neque enim esse potest *scriptu*, i. e. scribae munere, *se abdicare*, quod Rutgersius affert, neque, etiamsi id verum esset, acuminis quidquam hic invenio ac leporis. Quare Burmannum ad Petron. Sat. c. 66. p. 429. de tabulis accepti et expensi cogitantem, proxime verum accessisse arbitror. Ego enim *scriptum* accipiendum puto de codicillo, in quo, quae in nominibus essent, consignata habebat Sarmentus, idque scriptum *censorium* dici suspicor, quod ad ipsius censum, rem familiarem, opes spectabat. Ita fere Casp. Barthius quoque in Observatt. ad Juven. Schol. Vet. p. 27. ed. Fiedler. Vesaliae 1827. Existimandus vero est Sarmentus in summis, ad quas redactus erat, necessitatibus auctionari res minimas maximas, in his etiam tabulas seu codices acceptorum et expensorum: id quod perridiculum erat. Interrogatus igitur Sarmentus, qui jam egens erat et sine censu, cur codicem quoque illum census sui venderet, non inficete respondit, rem quidem se perdidisse suam, nec tamen memoriam. Cum Sarmentus scriba esset, in ambiguitate vv. *scriptum censorium*, quod cuivis *scriptum quaestorium* in mentem revocabat, acumen quoddam inest, idque eo acerbius, cum iste esset homo gulosus et turpis et existimari posset *opus fecisse censorium*, i. e. Censorum nota et animadversione dignum, ut Gellius N. A. Libr. XIV. c. 7. ait. Responsi scurrilitas comparet maxime in antithesibus *re perdita* et *bonae esse memoriae*, ut jam sensit Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. Vol. I. p. 306., modo ne cogitasset de celebri nominis fama ad posteros propaganda. Eam profecto nihil curabat Sarmentus, qui, ut allegatus a Burmanno ineditus Schol. Juvenal. l. c. notat, „*fuit morio joculi tempore Augusti, tam gulae quam turpitudini deditus, pro qua re patiebatur multa:* quibus in verbis fortasse *pati* obsceno sensu accipiendum est, ut ap. Suet. Tiber. c. 45. cf. Ruhnkenius ad Terent. Andr. II. 1. 25. Cum autem Sarmentus forma et urbanitate placeret, *eo fiduciae*, ut Scholiastes Juvenal. refert, *venit, ut pro equite Romano ageret, et decuriam quaestoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum XIV. ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt:*

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.
Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

Pithoeum secutus scripsi: *pro equite Romano ageret*, dubius an praeferrem Rutgersii emendationem: *ut liber equitem R. ageret*: in reliquis C. Barthio l. c. et Burmanno Sec. in Anthol. Lat. Libr. II. ep. 127. Vol. I. p. 306. obsecutus sum. Sarmentus, Maecenatis equitis libertus et ex privato ejus

O noctes coenaeque deûm, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Atque ille mos pulchros ac delicatos alendi pueros, tamquam poetarum proprius, notatur, ni fallor, a Martiale Lib. VIII. ep. 63.

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin;
Forsitan et nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc et dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum quum meus Aulus amet.

Neque poetae vel suas ipsorum vel aliorum poetarum delicias versibus celebrare, et suum in eas confiteri studium et amorem erubuerunt. Ita Tibullus Lib. I. 4. 81.

Heu, heu, quam lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli [13]).

Et quamvis hic puerorum delicatorum amor, ut Fabretti Inscr. c. V. p. 362. probare studet, per se nihil habuerit probri, tamen nonnumquam turpem eum et libi-

---

scriba factus publicus, si quidem cuivis e libertinis *numulis corrogatis decuriam scribarum emere* licuit, teste Cicerone Verrin. III. c. 79., comparata sibi decuria quaestoria, aliquando per ludos, quae erat ejus arrogantia et vanitas, in quatuordecim consederat: inde fluxit Scholion Porphyrionis adnotantis ad Horat. Sat. l., Sarmentum et Messium Cicirrhum fuisse equites, quo in ordine eos umquam fuisse nego: cf. C. H. Trotz ad *Henr. Hugonis d. prima scribend. origine.* (Traj. ad Rhen. 1738.) Cap. III. §. 8. p. 483 sq. Hinc illud populi in Sarmentum pro equite agentem scomma. Bene observat Rubenius Elector. II. 28. lusum quemdam in v. *scriptum* vers. 1., sed male, si quid judico, ad scriptum refert censorium. Sensus v. 1. est: Sarmentus habet aliud scriptum, n. quaestorium, ac populus voluerat, ut qui mallet esse eum *στιγματίαν* propter fugam: cf. Intpp. ad Petron. c. 103. p. 624. et Heineccii Syntagm. Antiq. Jurispr. Rom. p. 98. Fugam Sarmento exprobrat Messius ap. Horatium l. c. v. 68. „*rogabat Denique, cur umquam fugisset?*" Ita etiam jocum Cicirrhi v. 65. quaerentis: „*Donasset jamne catenam Ex voto Laribus?*" illustrant verba: *Sic Sarmentus habeat crassas compedes.* Scaliger ad Eusebium p. 197. existimat, v. 8. jocum esse ab ambiguo, quo indicetur, Sarmentum ad axem semissalem alligari et sarmentis circumdari, ut comburatur, quia alligati axibus sarmentorum ambitu cremabantur. Idem statuit Io. G. Vossius in Etymol. s. v. *Sarmenta* p. 448.

13) Bronkhusius ad h. l. suspicatus, eumdem Marathum *Cyri* nomine significari ab Horatio Lib. I. od. 33. 13., cum aliis persuasit, tum etiam Ph. A. de Golbéry in Comment. d. Vit. Tib. p. 483 sq., non item mihi, et quae ille de Marathi nomine ejusque origine Phoenicia disputavit, ea nec refellere nec affirmare lubet. Caeterum *Julius Marathus*, Augusti libertus, memoratur a Suetonio in Aug. c. 79., quem et ipsum origine Phoenicium fuisse conjicit Oudendorpius p. 300.

dinosum fuisse, ita ut istae Romanorum deliciae pares essent τοῖς παιδικοῖς Graecorum, vix negari potest. Nam quae de Virgilii in Alexin amore et adspersa inde illius pudori ac famae labecula ap. Donatum in Vit. Virg. §. 20. leguntur, ea non posse omnia attribui Grammaticorum et Monachorum nugis, ipse Heynius, justo saepe in ejusmodi narrationibus morosior, fatetur ibidem p. LXXII. Quum vero isti pueri cum vernae essent, tum maxime exteri, factum est, ut eis nomina peregrina, maximam partem Graeca, imposita reperiamus.

Jam his praemissis numquid dubitari potest, quin Mystes, de quo loquimur, hujus generis puer fuerit sive in Valgii domo natus sive peregre adductus et emptus? Nihilo tamen minus fuerunt, qui, spreto Scholiastarum testimonio, in aliam abirent sententiam, et de Valgii filio cogitarent. Principes, ni fallor, hujus opinationis auctores et patroni exstiterunt Dacerius et Sanadonus. Hi cum neminem Romanorum filio suo Graecum dedisse nomen meminissent, commenti sunt agnomen domesticum filio inditum a patre, qui puerum a se genitum dei alicujus sacris initiasset. Lepidum hoc commentum inter nostrates Ianius ita amplexus est, ut rejecta de delicato puero sententia, cujus nullam ait inveniri rationem ap. Horatium v. 11.

nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem [14]).

cogitari mallet de juvene egregio, quem domi suae habuerit Valgius et cui agnomen Mystae domesticum imposuerit,

---

14) Dacerius ad h. l. T. II. p. 125. haec: „*Ce seul mot* (amores) *mis au propre peut bien tromper ceux qui ont cru que ce Mystès étoit le favori de Valgius.*“ Fallitur: nam licet *amores* Num. Plur. de una, quam amamus, persona dicatur, ut vel ap. Cicer. Philipp. VI. 5. *Sed redeo ad amores deliciasque nostras L. Antonium* etc., ita ut h. l. voc. *amores* de Mysta puero recte accipi queat: tamen non opus est, ut hoc vocabulo nostram superstruamus sententiam. Caeterum ob v. *decedunt* praestiterit fortasse scribi illud littera majuscula, ut Genii amoris, Ἔρωτες, intelligantur: qua ratione luculentam, si quid sentio, haberet accessionem totius loci venustas, quae prorsus latuit Wakefieldum, qui in Sylv. Crit. I. p. 152. et ad Lucret. Lib. III. 367. h. locum emendandum censuit: *Surgente decedunt labores* etc., quo pulchrior scilicet nasceretur oppositio v. 7. *Querceta Gargani laborant!*

quod initiatus esset quibusdam mysteriis, fortasse Musarum, cum in eo poeticae dotes fuissent animadversae. Hac ratione Ianius elegantius sibi videbatur hariolari, quam duumviri illi et eorum popularis Lud. Poinsinet de Sivry, qui Mystae nomine Tibullum intelligendum esse opinatus est. Sed primum ut concedamus, Mystam imprimis propter ingenii quandam venustatem artisque poeticae amorem carum fuisse docto Valgio et gratiosum; tamen ea re nos minime impediri, quominus de puero delicato cogitemus, vel elegantissimum illud Martialis epigramma docet, quod ad Thestilum puerum scripsit Lib. VII. ep. 28.

Thestile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo;
Paulisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Maecenati Maro quum cantaret Alexin,
Nota tamen Marsi fusca Melaenis erat.

Deinde quae illi Viri Docti de domestico quodam agnomine disputant, ea non satis assequor, nisi forte notissimum istum respexerunt morem poetarum, qui ingenuas puellas a se amatas fictis celebrarunt nominibus iisque plerumque Graecis, et quo more in pueris etiam usus erat Apulejus, ut ipse narrat Apolog. p. 279. Elm. [15]). At huic suspicioni cum alia hic adversantur, tum maxime silentium Scholiastarum, qui aliis in locis eam vel adjuvant, ut Lib. II. od. 12. v. 13., vel diserte attestantur, ut Sat. I. 2. v. 64. Denique nullus mihi succurrit locus scriptoris, quo extra omnem dubitationem ponatur, Romanos liberis suis palpantes Graecis usos esse nominibus, ita ut blanda haec agnomina etiam scriptis et carminibus in vulgus proderentur, exceptis fortasse epigrammatis jocularibus privatos inter parietes scriptis ac recitatis. Bene quidem memini, quod scribit Horatius Sat. I. 3. v. 44 sqq.:

---

15) Cfr. Comment. *d. Iorbita, Timagenis aemulatore*, §. 5. et imprimis docta Huschkii disputatio in Analect. Litter. p. 293 sqq.

At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire; strabonem
Appellat paetum *pater, et* pullum, *male parvus*
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum *distortis cruribus, illum*
Balbutit scaurum *pravis fultum male talis* [16]).

succurrunt etiam deliciolae patris, *Tulliola* (Cicer. ad Attic. I. 8.), *Drusilla*, Augusti uxor Livia, *Tertulla*, *Terentilla*, *Rufilla* (v. Sueton. Aug. c. 69.) et quae sunt id genus alia in amore ὀνόματα ὑποκοριστικά; sed nullum, fateor, mihi in promptu est nomen, quod Dacerii et Sana-

16) Qui h. l. dicitur *male parvus filius*, est pumilio, νάνος, νάννος, Sybaritarum σκωπαῖος s. σκίλικων, auctore Athenaeo Libr. XII. c. 16. p. 518. C. — A nomine *varus* descendunt gentium Rom. nomina *Varus* et *Varius*: ut n. *Valgius* a v. *valgus*, auctore Festo p. 384. Valgos *Aurelius intelligi voluit, qui diversas suras habent; sicut* vari *e contrario dicuntur incurva crura habentes.* Car. Sigonius d. Nom. Roman. Cap. V. in Graevii Thes. Antiq. Rom. Vol. II. p. 1981. „A cruribus autem haec sunt: *Varus*, *Vatia*, *Atta*. *Vari*, qui crura habent incurva, et sunt contrarii *valgis*. *Vatiae*, quibus in exteriorem partem crura flectuntur. *Attae*, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, aut attingunt magis terram, quam ambulant." Contra Salmasio ad Solin. c. 46. p. 663. *vari* sunt, qui pedes in exteriorem partem flectunt, seu quibus crura sunt, *simulant quae cornua lunae*, ut Martialis Libr. II. ep. 35. ait. A Graecis appellatur *varus* ῥαιβός; qui vero *valgis* sunt pedibus, Graecis dicuntur βλαισοί: unde βλαισόπους βάτραχος ap. Suidam. Errat in h. v. Forcellinius: rectius Heindorfius ad Horatii l. c. p. 69. et ad Libr. II. Sat. 3. v. 56. p. 291. varorum pedum formam comparat cum figura litterae *V*. laudatque Varron. d. L. L. IV. 24. et Heinsium ad Ovid. Amor. I. 3. 24. Metam. VI. 625. cf. ejusdem Advers. p. 71. Cicero in Partit. Orator. c. 36. de praevaricatore „*ex nomine ipso*, inquit, *quod significat cum, qui in contrariis caussis quasi vare positus esse videatur:*" ut h. l. emendavit Gesnerus in Thesaur. L. L. v. *Praevaricatio* pro vulg. *quasi varie positus*. Ita ap. Horat. Libr. II. Sat. 3. v. 56. „*Alterum et huic varum*," ubi olim perperam *varium* edebatur. Persius Sat. IV. 11. „*rectum discernis, ubi inter Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.*" Nonius s. v. *obvarare* p. 147, 21. „i. e. pervertere, depravare, dictum a varis. Ennius Achille: *Nam consiliis obvarant* etc." Quibus quidem locis Heindorfii interpretatio confirmatur. Caeterum, ut hoc addam Horatii locum illustrat Fragmentum Plauti ap. Festum l. c. *Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea, Aut varum, aut valgum, aut compernem, Aut paetum, aut brocchum*, ut edidit Taubmannus p. 1478. Cicero d. N. D. Libr. I. c. 29. *ecquos si non tam strabones, at paetulos esse arbitramur?* quo loco illustratur Horatius Libr. I. 3. v. 44. *strabonem Appellat Paetum pater* etc.: vide quos attulit Creuzerus ad Cicer. l. c. p. 128. Sicut vero *Paetus*, *Pullus*, *Varus*, *Scaurus* cognomina sunt familiarum Rom., pueris a formae vitiis imposita, ut monuit Rutgersius in Lect. Venus. c. 14., ita etiam *brocchus*, προόδους s. προόδων i. e. qui prominentes habet dentes, fuit cognomen gentis Furiae, ut *L. Furius Brocchus* in Num. ap. Patinum d. Famil. Rom. p. 117.

doni tueatur sententiam. Et fac, Valgio immatura morte ereptum fuisse filium: quid tandem caussae fuit, ut Horatius, hoc carmine amicum consolaturus, non recto ac genuino filii nomine uteretur, sed agnomine domestico, illi per jocum et animi caussa imposito? Quid plura? illud ipsum Mystae nomen non ingenuorum puerorum, sed servorum fuisse testatur Inscriptio Sepulcr. apud Gruter. p. DCCCCXXXVII. 4., in qua legitur: *P. Corfidius. P. L. Mystes* i. e. Publii Libertus Mystes, cui, assumpto, ut mos erat, domini praenomine et nomine, pristinum Mystae nomen manserat; in alia Inscript. ap. Gruter. p. DCCCCXLI. 6. occurrit: *L. Helvius Phileros Lib. et Popilia Mystis.* Cum igitur illud nomen libertis libertabusque Romae fuerit in usu, non est profecto, quod de Valgii Mysta amplius dubitemus et Scholiastarum testimonio diffidamus. Et si Dacerius suae opinationis gratia comparationes urget, quas Horatius Od. I. v. 13 — 17. a parentibus petit, et quas Vir Doctus nisi de proprio Valgii filio adhiberi potuisse negat; vereor, ne quis ita calumnietur, ut dicat, Horatium exemplis parentum usum esse, quibus leviter pungeret tecteque increparet amicum, quem continuae atque immoderatae de pueri delicati obitu ejulationis non puduerit, cum illi parentes vel in filiorum carissimorum funere lacrimis ac moerori aliquando modum posuissent. Attamen nihil ego hic invenio nisi vividam descriptionem tenerrimi et vere paterni affectus, quo Mysten vivum complexus fuerat Valgius. Hunc autem dominorum in pueros delicatos affectum testatum faciunt multae in sepulcris Inscriptiones, in his ap. Gruter. p. DCXI. 9.

EUTYCHETI. PUERO
DELICATO. B. M.
L. RUFIDIUS. SPORUS
DOMINUS. FECIT.
BREVIS. VOLUPTAS.
FUIT.

Huc etiam facit locus P. Statii in Epicedio filii Sylv. V. 5. v. 66 sqq.

Non ego mercatus Pharia de pube loquaces

Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, lingua nimium, salibusque protervum
Dilexi. Meus ille, meus: tellure cadentem
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi;
Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitae. Quid plus tribuere parentes?

Quae cum ita sint, non mirabimur, si Valgio immatura Mystae, pueri delicati, mors tantum dolorem inussit, ut mollibus pertinaciter indulgeret querelis, easque flebilibus Elegiis expromeret.

§. 8.

Haec habui, quae de C. Valgii Rufi vita ac studiis exponerem, in quibus non vereor ne dubitationi et conjecturis plus, quam par sit, dedisse arguar. Jam restat, ut Opera, quae et soluta et vincta oratione ab illo composita esse diximus, singulatim percenseamus, eorumque Fragmenta, quotquot nobis ex veterum scriptorum monumentis innotuerunt eique probabili judicio tribuuntur, breviter illustrata deinceps apponamus.

I. Quintilianus I. Or. Lib. III. 1. §. 18. „Sed Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas: quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Graece Atticus. Nam ipsius sola videtur Ars edita ad Matium, quia ceteros missa ad Domitium epistola non agnoscit.“

II. Idem I. Or. Lib. III. 5. §. 17. „Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgii discipuli ejus utar, ita, *Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quaestionem:* aut, *Causa est negotium, cujus finis est controversia.* Ipsum deinde negotium sic finit, *Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum et non scriptorum.*“

III. Idem I. Or. Lib. V. 10. §. 4. „*Epichirema* Valgius *aggressionem* vocat.“

Apollodorus Pergamenus ὁ ῥήτωρ, ut Strabo Lib. XIII. c. 4. §. 3. Vol. V. p. 463. ed. Tz. ait, ὁ τὰς τέχνας συγγράψας, καὶ τὴν Ἀπολλοδώρειον αἵρεσιν παραγαγών, εἴ τις ποτ' ἐστί· πολλὰ γὰρ ἐπεκράτει· μείζονα

δὲ, ἢ καθ' ἡμᾶς, ἔχοντα τὴν κρίσιν· ὧν ἐστι καὶ ἡ Ἀπολλοδώρειος αἵρεσις καὶ ἡ Θεοδώρειος. Μάλιστα δὲ ἐξῆρε τὸν Ἀπολλόδωρον ἡ τοῦ Καίσαρος φιλία τοῦ Σεβαστοῦ, διδάσκαλον τῶν λόγων γενόμενον· μαθητὴν δ' ἔσχεν ἀξιόλογον Διονύσιον, τὸν ἐπικληθέντα Ἀττικὸν, πολίτην αὐτοῦ· καὶ σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς, καὶ συγγραφεὺς καὶ λογογράφος. Hoc dicendi magistro usus est Augustus Apolloniae, teste Suetonio c. 89. Ejus libros *aridissimos* appellat Auct. Dial. d. causs. corr. eloq. c. 19. Hos igitur Apollodori libros Graece scriptos et Τέχνης nomine editos C. Valgius Rufus, illius discipulus, Latinos fecerat, ejusque interpretatione utebatur Quintilianus. Neque est quod, ubi Valgium *ἐπιχείρημα vocasse* i. e. convertisse ait Quintilianus, de peculiari ipsius Valgii opere cogitemus. Sed tamen veri est simillimum, istos Apollodori libros a Valgio interpretatione Latina et amplificatos et, cum aridissimi essent, copiosius et ornatius explicatos esse, ita ut praeceptis magistri sui Latine tradendis diligentissimus dici et tamquam singularis rhetorici operis auctor haberi posset. Inde etiam planum est, quomodo Dionysium Atticum, qui ejusdem Apollodori disciplina usus fuerat, cum Valgio componere potuerit Quintilianus, cum ille magistri praecepta pari diligentia tradidisset. Qui enim ab Strabone memoretur *Dionysius*, cognomine *Atticus*, eumdem simplici cognomine significari a Quintiliano, dubitari nequit: vid. Spalding ad h. l. Vol. I. p. 432. Caeterum is Apollodorus, veneficii reus factus, licet ab Asinio Pollione defenderetur, tamen damnatus Massiliam concessit ibique docuit, auctore Seneca Libr. II. Controv. 13. p. 180. Bip. Cf. Thorbeckius d. C. Asinii Pollionis Vit. et Stud. p. 71 sq.

IV. Gellius N. A. Lib. XII. c. 3. „Valgius Rufus in secundo librorum, quos inscripsit de rebus per epistolam quaesitis, lictorem a ligando appellatum esse."

V. Charisius I. Gr. I. p. 109. P. „*Lacer* — Ovidius, *Mille, lacer spargere locis.* Quod ita dici solet. Caesar de analogia libro secundo, nec non Valgius de rebus per epistolam quaesitis."

VI. Idem I. Gr. I. p. 84. P. „Suovetaurilia quidam putant dicenda a victimis sue, ove et tauro, sed Valgius de rebus per epistolam quaesitis, solitaurilia dicta ait esse.“

Hoc Valgii opus, *Res per epistolam quaesitae* inscriptum et, ut ex Fragm. IV. patet, in plures distributum libros, argumenti grammatici fuisse, in aprico est. A Charisio l. c. p. 84. statim post Valgium citatur Varro *Epistolicarum* libro IV., ubi non dubium est quin significentur Varronis *Epistolicae Quaestiones* ad Oppianum scriptae, teste Gellio N. A. Lib. XIV. c. 7., de quibus copiosius egit Schneider. in Comment. d. Vit. et Scr. Varronis ad Scriptt. R. R. Vol. I. P. II. p. 225. Utrumque Varronis et Valgii opus, ut simili inscriptione, ita etiam haud dispari argumento fuisse, docet Charisii locus. Caeterum utramque scripturam v. *suovetaurilia* et *solitaurilia* suos in antiquitate habuisse defensores, liquet ex Quintiliano I. Or. Lib. I. 1. §. 67. ibiq. Spalding. Vol. I. p. 133. Ad idem Valgii opus grammaticum haud temere referuntur

VII. Charisius I. Gr. I. p. 79. P. „Lactis nominativum alii volunt lac, alii lact, alii lacte, e postrema. — Nam et Cato sic dixit: *Et in Italia atras capras lacte album habere.* Sed et Valgius et Verrius et Trogus de animalibus, *haeres lacte dicuntur.* At consuetudo tamen aliud sequitur.“

In verbis: *haeres* etc. ut Putschius ea edidit, apertum est ulcus, cui sine Codicum auxilio difficile medearis. Jac. Bongarsius de Trogo Pompejo ejusque Fragmentis conjecit: *hi tres* lacte *dicunt.* Non male!

VIII. Idem I. Gr. I. p. 116. P. de Genitivo v. *Saturnalia* agens: „Secunda ratio, qua Plinius ait Valgium niti, talis est.“

IX. Festus p. 494. Dac. „*Secus* Valgius putat ex Graeco, quod est ἑκὰς, dictum; absurde scilicet.“

X. Diomedes I. p. 382. P. „Comestus, an comesus et comesturus. Sed Didius ait de Sallustio: *Comesto patrimonio.* Valgius autem de Tralatione: *Comesa patinia.*“

Hoc Fragmentum nescio an verius sumptum putemus ex Valgii Arte rhetorica seu Latina interpretatione operis Apollodorei. Nam singularem de Tralatione librum a Valgio esse scriptum, non est verisimile. Magis etiam ambiguum est, quod Valgii opus respiciat

XI. Seneca Epist. 51. §. 1. „Tu istic habes Aetnam, illum nobilissimum Siciliae montem: quem quare dixerit Messala *unicum*, sive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio, quum plurima loca evomant ignem“ etc.

Editores h. l. cogitant de M. Valerio Messala Corvino Oratore, de quo videsis Ellendtii Proleg. ad Cicer. Brut. p. CXXXVII. — Ruhkopfius putat, Aetnam montem appellatum esse a Messala et Valgio *unicum*, quod nullus alius aut Siciliae aut Italiae mons isto tempore ignem evomuerit: nam Vesuvius Neronis vel Vespasiani aetate primum arsisse traditur. Cf. Tzschucke ad Pomp. Mel. Lib. II. c. 4. §. 9. Vol. III. P. II. p. 421. Equidem malim illud epitheton de singulari illius montis natura accipi. Idem porro Vir Doctus Aetnae mentionem factam suspicatur in Valgii Bucolicis. Hoc si verum est, tum etiam a Messala idem factum suspicabimur in carminibus pastoritiis, quae ab illo Graece scripta esse testatur Auctor Eleg. in Messalam v. 13 sq. ibiq. Wagner. et Wernsdorf. in P. L. M. T. IV. P. II. p. 805. Sed hujus conjecturae veritatem quis praestet, cum Aetnae mentio etiam in aliis eorum libris fieri potuerit? Valgius enim, quae fuit docta ejus industria, tantum aberat, ut in conficiendis rhetorici et grammatici argumenti libris se contineret, ut per diversas disciplinarum partes veluti vagatus, jam aetate provectus perscrutando herbarum usui studium impenderet: vid. supra §. 2. Hic vero Valgius, operum, quae diximus, auctor, cui praenomen *Caji* fuisse allata scriptorum veterum testimonia evincunt, scripsit etiam de more illius saeculi carmina, quorum aliquot Fragmenta apud Grammaticos hodieque supersunt. Nam

XII. Charisius I. Gr. I. p. 84. P. exponens de voc. *margarita*, quod neutraliter dicere vitiosum sit, „et tamen, inquit, multi dixerunt, ut Valgius in epigrammate:

Situ rugosa, rotunda margarita.

Habet hunc versum H. Stephanus in Fragm. P. V. L. p. 425. et Broukhusius ad Tibull. p. 377. Caeterum Neutro v. *margaritum* usus est etiam Maecenas: cf. Meibomius c. 25. p. 156. Sed hic Charisii locus alio nomine dignissimus est qui notetur: nam Grammaticus in eadem libri pagina, ubi hunc Valgii versum profert, brevissimo interjecto spatio item Valgium quendam allegat, qui in opere de rebus per epistolam quaesitis scripturam v. *Solitaurilia* veriorem dixerit; vide Fragm. VI. Num vero credibile est, a Charisio Valgium bis laudatum esse tam exiguo paginae intervallo et sine ulla diversitatis nota, nisi si tum auctor grammatici hujus operis, tum epigrammatis illius scriptor unus idemque fuisset? Hic Charisii locus jam Spaldingio ad Quintil. I. Or. Lib. III. 1. §. 18. Vol. I. p. 432. scrupulum injecit permovitque, ut vereretur, ne nimis curiose Viri Docti C. Valgium Rufum, Grammaticum et Rhetorem, secreverint a T. Valgio Rufo, Poeta et Horatii amico, cum praenominibus *Caji* et *Titi* non multum sit tribuendum. Hoc verum esset, etiamsi posterius praenomen alicuius scriptoris testimonio niteretur, cum in Codd. Mstis ista praenominum permistione nihil sit frequentius. Atqui cum illud praenomen, ut §. 3. ostendimus, nullius scriptoris aut monumenti veteris auctoritate fulciatur, sed primum a P. Crinito confictum videatur; ultro concidit istud, quod vulgo faciunt inter duo Valgios, et Grammaticum et Poetam, discrimen, idque etiam hic Charisii locus evertit. Quis enim infitietur, Charisium, si Valgius, cujus versum affert, diversus fuisset a Valgio, quem in v. *Suovetaurilia* laudat, alterutri eorum diversitatis quandam notam adjecturum fuisse? Neque a docto atque ingenioso illius aetatis Romano alienum est conjunctum et artis poeticae et rerum grammaticarum studium. Hoc quam verum sit, si pluribus vellem declarare, verendum utique esset, ne actum agerem. Quare ad eumdem C. Valgium Rufum nihil dubito reliqua carminum Fragmenta referre.

XIII. Servius ad Virgil. Eclog. VII. 22. *Quale*

meo Codro: „Codrus poeta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.“

De Codro, poeta illius aetatis insulso et famoso, egi in Comment. *d. Iarbita, Timagenis aemulatore* §. 3 sqq.

XIV. Servius ad Virgil. Aen. XI. 457. „Padusa pars est Padi. — Alii partem fluminis Padi, in quam descenditur fossa. Valgius in Elegis:

Et placidam fossae qua jungunt ora Padusam
Navigat Alpini flumina magna Padi.“

Deest hoc Fragmentum ap. H. Stephanum; sed habet Broukhusius, De Padusa, Padi fluvii ostio, vid. Cellarius Geogr. O. A. Lib. II. c. 9. et imprimis I. B. Morgagni Opusc. Miscell. P. III. Epist. Aemil. II. §. 6. p. 16.

XV. Isidorus Origg. Lib. XIX. c. 4. s. v. „*remulcum* funis est, quo deligata navis trahitur vice remi. De quo Valgius:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Laetantem gratis sistit in hospitiis.“

Hoc Fragmentum legitur ap. H. Stephanum p. 424. et Broukhusium, et pertinet procul dubio ad Valgii Elegias. Faust. Arevallo in Isidori Opp. Vol. IV. in Codd. Mstis reperit: *de quo Virgilius.* De *remulco* fuse egit Dion. Vossius ad Jul. Caes. d. B. Civ. III. c. 40.

XVI. Philargyrius ad Virgil. Georg. III. 176. „Legitur et *mulgaria*, ut Valgius ait:

Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis,
Et simum vini cessamus ponere Baccho?“

Hoc Fragmentum ex Servii Commentariis affert H. Stephanus p. 424. et *fundere Baccho* legit, notante etiam Burmanno ad Anth. L. Vol. II. p. 363. Vulgo editur *Bacchi*, quod jam emendavit Rutgersius Var. Lection. Lib. VI. c. 15. p. 595. — Broukhusius existimat, binos hos versiculos depromptos esse ex lusu aliquo pastorali, ideoque Valgium bucolicis Latii poetis accenset Wernsdorf. in P. L. M. Tom. IV. P. II. p. 804. Ego minime intercedo, quo minus illi versus in aliquo Valgii carmine pastoritio putentur lecti et inde a Philargyrio excerpti esse, praesertim si Valgium componendis ejusmodi poematis studium impendisse

statuimus, qualia hodie inter minora Virgilii carmina leguntur, ut Copa et Moretum. Quare ingeniosa admodum est eruditissimi Ilgenii conjectura, qua lepidissimum illud, quod *Copa* inscribitur, carmen multo verius ad Valgium, quam ad Septimium Serenum referri posse dicit in Animadvv. in Virgil. Copam p. 6 sq. Hujuscemodi enim carminum lusus, in quibus scribendis et otium utiliter consumi, et eruditio quaedam ingeniique elegantia expromi posset, imprimis adamati sunt a doctis quibusque illius saeculi viris, ita tamen, ut ipsi illos non nisi in subsecivo studiorum suorum proventu atque veluti *παρέργοις* haberi vellent, neque umquam cum Virgilio et Horatio, poetarum aureae aetatis principibus, de palma concertarent. Itaque, qui ex hoc uno, quod Valgio tribuit Philargyrius, Fragmento, cum bucolici esset generis, collegerunt Viri Docti, Eclogas quoque, Virgilianis similes, ab illo scriptas esse, magnopere vereor ne in eo calidius judicasse existimandi sint.

XVII. Haec sunt genuina carminum Valgianorum Fragmenta, partim ab H. Stephano, partim a Broukhusio collecta et vindicata Tito Valgio cuidam, quem poetam epicum, elegiacum, bucolicum et epigrammaticum unanimi hodie consensu faciunt Viri Docti, et a Cajo Valgio Rufo, ejus aequali et aliquot rhetorici ac grammatici argumenti operibus claro secernunt. Utrique accessit nuper tertius Valgius, comicus, si dis placet, poeta. Nam a Bothio in Poet. Lat. Scenic. Fragm. Vol. V. P. II. p. 201. inter comicos Latii poetas relatus est Valgius quidam, cujus meminit Donatus in Vit. Terentii p. XXIV. T. I. ed. Zeun. his verbis: „Scipionis fabulas edidisse Terentium, Valgius in Actaeone ait:

Hae quae vocantur fabulae hujus, nonn' eas
Qui jura populis, leges gentibus dabat,
Honore summo affectus fecit fabulas."

Dedi hoc Fragmentum ex emendatione Rutgersii in Var. Lect. Lib. I. c. 7. p. 19. Vulgo v. 1. *fabulae, cujus sunt?* Codd. Msti Dan. *cujae sunt*, ut edidit Zeune. Vers. 2. in Mstis Dan. *Non has, qui jura populis end' ibus dabat:* unde alii *petentibus*, alii *recensentibus dabat.*

Rutgersium, qui pro *leges* v. 2. etiam *reges* proposuit, secutus est Almeloveen in Opuscul. p. 182., qui item Valgium poetis Latii comicis accenset. Vellem Bothius in hoc tam corrupto Fragmento ingenii sui acumen esset periclitatus, qui, versibus illis plane omissis, haec tantum monuit: „Ejus (Valgii) versus ex Actaeone leguntur apud Donatum in vita Terentii extrema. Quem cave habeas pro T. Valgio Rufo, poeta epico ac elegiaco, cujus honorificam mentionem faciunt Flaccus et Tibullus.“ Haec suam, qua opus habent, lucem ex superiori lucrantur disputatione, quae etiam docet, hoc quidquid est Fragmenti non alienum esse a doctrinae studiis, ad quae incubuisse vidimus Horatii familiarem, C. Valgium Rufum. Sed perquam dubium est, in quo carminum genere ponendus sit hic Actaeon Valgii, Comoediane fuerit, an lusus ingenii? nisi forte veri est similius, Valgium eodem, quo porcius Licinius et Volcatius Sedigitus, modo de Latii poetis censuram et judicium fecisse, licet petmirae inscriptionis ac tituli rationem reddere nequeam.

XVIII. Scholiastes vet. ad Juvenal. Sat. VII. v. 12. *Alcyonem Pacci*, *Thebas et Terea Fausti*, haec adnotavit p. 277. ed. Cram. „Nomina fabularum aut (leg. *et*) malorum poetarum, qui has fabulas scripserunt.“ Codices Msti mirifice variant, quorum lectiones Rupertius singulari Excursu T. I. p. 330. examinavit, et *Pacci* edidit pro *Bacchi* seu *Balchi*, unde fuerunt qui conjicerent *Valgi:* quod merito improbat Bothius in P. L. Sc. Vol. V. P. I. p. 270., quia Titus Valgius Rufus, ut ait, epicus quidem fuerit poeta, elegiacus et epigrammaticus, neque tamen tragicus! Nomen *Paccii* haud dubie genuinum, quippe in antiq. lapidibus obvium; sed poeta *Paccius* aeque incognitus ac *Faustus*, nisi forte is est, qui a Martiale Lib. XI. ep. 64. perstringitur. Utrumque malae notae poetam in Tragicorum Latinorum censum recepere Delrius in Syntagm. Trag. Rom. T. I. Proleg. p. 29. et Langius in Vindic. Trag. Rom. p. 9.

DE

DOMITIO MARSO POETA.

§. 1.

Domitius Marsus, haud ignobilis, Augusto imperante, Romanorum poeta, cujatem se esse dixerit, non magis constat, quam definiri potest, num ad gentem Domitiam pertinuerit. Ejus cognomen si spectamus, videtur vel ipse vel ejus majores peregrinae fuisse originis. Neque id cuiquam mirum videbitur, qui, quantam a Sullanis inde temporibus res Romanorum publicae ac privatae mutationem expertae sint, non ignorat. Huc imprimis referendum est civitatis jus tot peregrinis datum hominibus sive servis sive ingenuis. Nihil dicam de Sulla Dictatore, quem plus quam decem millia ex proscriptorum servis cives fecisse testatur Appianus d. B. C. Libr. I. c. 100., aut de C. Julio Caesare, a quo universam legionem *Alaudae* dictam nomine et conscriptam ex Transalpinis Gallis civitate donatam esse memoriae prodit Suetonius c. 24., unde Romam novitia ista *Corneliorum* et *Juliorum* turba invasit. Et quot putabimus fuisse homines peregrinos, quos Pompejus, Lucullus aliique duces magni, in remotissimas cum exercitu profecti regiones, aut bello captos aut hospitio aliisve necessitudinis officiis cognitos habuerint fecerintque cives Romanos? Quam diu enim Romani intra Italiae fines bellarunt debellatosque populos in suam adsciverunt civitatem, tam diu eorum societas hominum, quibuscum natalium, morum et institutorum quadam similitudine conjuncti erant, minorem reipublicae intulit labem. Ex quo autem imperii fines coepti sunt ultra Alpes et maria proferri et armis devicti

populi civitate donari, ingentem Romae factam esse cum omnium rerum, tum etiam nominum confusionem, consequens erat et consentaneum. Nam qui in civitatem adscribebantur peregrini, id moris sequi solebant, ut proprio suo ac barbaro nomini duo, nonnumquam tria ejus praeponerent nomina, cujus studio et opera civis Romani jura consecuti erant: id quod copiose docuit Cannegieterus de mutat. Rom. Nom. ratione c. VI. p. 25 sq. At fuisse etiam veri simile est peregrinae conditionis homines, liberos tamen, qui cives facti, omisso plane barbaro nomine, familiae alicujus Romanae aut florentis adhuc aut proscriptionum bellorumque civilium atrocitate prorsus exstinctae nomen gentilicium cum praenomine assumerent et in vitam quasi et usum revocarent eisque cognomen adderent a patria sua ductum [1]). Quare non mirabimur, Anniae genti, Flaviae, Gabiniae et Tilliae additum inveniri peregrinum *Cimbri* cognomen, ante Marii tempora inauditum Romanis [2]). Et quid commemorem *Galli* cognomen, quod

1) Huc spectat crudelitas Claudii Imperatoris, qui, quae erat antiqua gentis Claudiae superbia, gentilicia Romanorum nomina usurpare vetuit peregrinae conditionis homines, eosque securi percussit, auctore Suetonio c. 25.

2) Ita *C. Annium Cimbrum*, famosum istum M. Antonii administrum, a patria cognomen traxisse, non temere suspicatur Imman. G. Huschkius in erudita de eo Commentatione p. 14. Neque est quod dubitemus quin, si non hic Lysidici filius, certe *L. Tillius Cimber*, illius aequalis, in Gallia Britanniave Julio Caesari innotuerit, et ex ejus castris Romam adductus ibique civitati adscriptus, omisso barbaro suo nomine, gentilicium *Tillii* seu *Tullii* cujusdam, in cujus clientelam fortasse receptus fuerat, nomen cum praenomine assumpserit, sed *patriae memor suae* patrium adsciverit cognomen. Inter commilitones enim, quos Julius Caesar strictis gladiis circa sellam suam viderit, et paulo ante habuerit acerrimos partium suarum defensores, diserte memoratur *Tillius Cimber* a Seneca d. Ira Libr. III. c. 30. §. 3. Quapropter Cicero admiratus eum est magis fecisse illam rem, quam facturum putavit. *Admiratus sum autem*, ait Philipp. II. c. 11., *ob eam caussam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset:* quae postrema Ciceronis verba aut egregie fallor aut ambiguitatem habent industria quaesitam, ne et offenderetur Tillius Cimber, et cum tecta indignatione confutaretur suspicio, qua illi homini temulento et scordalo (v. Senec. Epist. 83. §. 11.) caedis auctor suasorque exstitisse putabatur. Tillius Cimber enim Caesaris inter percussores primarum partium actor fuerat et ita *memor patriae* i. e. Germaniae ferae, cujus caerulea erat proles. Cicero igitur dum Tillii amorem patriae cum laude agnoscere et praedicare videtur, versuta et veteratoria usus arte isti homini, quem non poterat non contemptui habere, animum ingratum exprobrat cum nativa

quam multis eisque illustribus Romanorum familiis accesserit, longum est enumerare. Cujus cognominis caussas tametsi diversas admodum fuisse bene scio neque ab una terra natali repetendas, tamen inde ab aetate Julii Caesaris, civitatem Gallis effuse impertientis, haud pauca in promptu sunt exempla, quibus, quae dixi, stabiliantur. Neque, quod item permultis Romanorum gentibus adhaesisse vetera contestantur monumenta, *Sabini* cognomen ex eodem fonte maximam partem derivare dubito [3]).

Quapropter non verendum mihi est, ne magnopere fallar, si ex Marsis, quos de negato sibi civitatis jure atrox bellum fecisse constat, fuisse suspicor eos, qui impetrata Romae civitate *Domitiorum*, *Magiorum*, *Octaviorum* et *Vibiorum Marsorum*, quos a scriptoribus memoratos legimus, existerent parentes. Ita a Tacito Annal. Lib. XI. c. 10. memoratur *Vibius Marsus*, qui a. U. C. 796. Proconsul Syriam sortitus ultra quadriennium obtinuit. Ad hunc numum Tiberii ab Uticensibus cusum refert Liebe in Gothan. Numar. p. 299., et *Vibiam Marsi*, quae in Inscript. ap. Gruter. p. CDLIV. 1. legitur, illius Vibii filiam esse suspicatur. A Dione Cass. Libr. XLVII. c. 30. commemoratur *Μάρκος Ὀκταούϊος ὑποστρατηγός* h. e. legatus Dolabellae in Syria, qui non dubium est quin sit *Marsus Octavius*, sceleratus iste latro et egens, cujus meminit Cicero Philipp. XI. c. 2., et idem, qui ab Appiano de B. Civ. Libr. IV. c. 62. simpliciter *Μάρσος* nominetur, et Laodiceae a Cassio captae sibi ipse manum intulisse tradatur [4]). Qui vero ap. Gruter. in Inscript. p. CXXVI. Col.

---

quadam feritate conjunctum. Idem orator Or. III. in Catil. c. 3. §. 6. memorat *Gabinium Cimbrum*, Catilinae scelerum machinatorem improbissimum. Denique *T. Flavius L. F. Cimber* in Inscript. ap. Gruter. p. CDX. 7. invenitur.

3) Sicut cognomen *Galli* in Aeliis, Aniciis, Antoniis, Aquiliis, Asiniis, Ausoniis, Caniniis, Cestiis, Corneliis, Didiis, Fabiis, Herenniis, Oppiis, Plotiis, Rosciis, Rubriis, Sestiis, Sulpitiis, Vibiis reperitur, ita *Sabini* cognomine dictos invenimus Albios, Albutios, Asidios, Caelios, Calvisios, Claudios, Clodios, Cornelios, Domitios, Fabios, Flavios, Julios, Nymphidios, Vectios. Cf. Glandorpii Onomast. p. 931. et 934.

4) Quare magnam veritatis commendationem habet conjectura Garatonii ad Cicer. Philipp. l. c. T. II. p. 366. Wdf., qui ap. Dionem Cass. l. c. pro *Μάρκος* reponendum censet *Μάρσος*. Quod mendum procul dubio de-

2. 3. 6. invenitur *M. Magius Marsus*, nescio an referendus sit ad posteros illius Magii, qui Romanis in bello Marsico eximiam praestitit operam, teste Vellejo Pat. Libr. II. c. 16., et inde fortasse *Marsi* cognomen tulit ad ipsius posteros deinceps traductum. Ille M. Magius Marsus sub Hadriano vixit, neque aliunde nobis innotuit. Apud eumdem Gruter. p. IV. 6. legitur etiam *Aurelius Superinius Marsus*, nobis plane incognitus.

§. 2.

Jam vero *Domitia gens*, in quam idem *Marsi* cognomen invectum est, plebeja quidem fuit, sed antiqua et nobilis, ex qua duae imprimis inclaruerunt familiae, *Aënobarborum* et *Calvinorum*, quorum illos inter patricios fuisse allectos, et, praeterquam *Cnaei* et *Lucii*, praenomina nulla usurpasse memoriae prodit Suetonius Ner. c. 1. Eorumdem peculiaris quaedam felicitas celebratur a Vellejo Pat. Libr. II. c. 10., cum septem Domitii Aënobarbi, singuli singulis geniti parentibus, ad Consulatum sacerdotiaque, et omnes ad triumphi insignia pervenerint. Utramque gentis Domitiae stirpem, praeter alios, accurate percenset Glandorpius in Onomast. p. 302 sq. Cum vero plures praeterea a scriptoribus memorentur Domitii, nullis plane imaginibus factisve nobilitati, non potest investigari dicique, in utram ejus gentis familiam adscriptus fuerit Domitius Marsus Poeta, praesertim cum praenomen quod ei fuerit, nusquam traditum reperiatur. Enim vero perpauca de eo ad nos perlata sunt veterum scriptorum testimonia, quae diligenter collecta dedit Broukhusius ad Tibulli Libr. IV. 15. p. 407.

Quo anno natus sit, aut vita excesserit, nemo veterum commemoravit. Nihilo tamen secius aetas ejus ac tempus, quo summam ingenii gloriam attigerat, tam certis ac perspicuis tenetur indiciis, ut de anno ejus natali aut fatali quaerere nihil attineat. Nam certum est et evidens,

---

betur librario ignoranti nominum gentilium et cognominum transpositionem Graecis maxime usitatam, ut docet Reimarus in Vit. Dion. Cass. p. 1534. Cf. de C. Licinio Calvo §. 3. N. 5.

Domitium Marsum fuisse Virgilii et Horatii aequalem, nec multis vitae annorum gradibus disjunctum, quamvis neuter in carminibus mentionem ejus injecerit. Virgilii de eo silentium minorem facit mirationem, quam Horatii, quocum videtur uno eodemque usus esse magistro, Orbilio. Non quidem me praeterit, quam leve sit et lubricum, quidquid ex scriptorum silentio deducatur argumentationis. Id vero pro certo ponere ausim, Domitium Marsum a. U. C. 723., quo anno Horatius Satiram decimam Libri I. componebat, neque in Maecenatis convictum, nedum in Horatii familiaritatem et amicitiam fuisse adscriptum. Et quamquam uterque poeta communes videtur habuisse carminum laudisque obtrectatores, Bavium istum et Maevium, tamen non est veri dissimile, alteri cum altero simultatis quid et inimicitiae intercessisse. Venusinus enim poeta irritabilis erat animi, Marsus acerbioris naturae: id quod colligere licet ex ejus epigrammatis, quorum aculeis multos aequalium sive ultro sive lacessitus pungeret. Verum tamen Virgilio, quo sane non alter erat candidioris animi, videtur favisse et cum Tibullo amicitiam coluisse. Hujus enim mortem suavissimo deflevit Epigrammate, quod simul nos docet, Domitium Marsum Virgilio et Tibullo superstitem post a. U. C. 735., quem annum Maroni fatalem fuisse certo scimus, adhuc in vivis fuisse et floruisse. Fueritne etiam Horatio, a. U. C. 746. defuncto, superstes, ignoratur, neque, quo obierit anno, certius dici potest, nisi eum, si non ante a. U. C. 762., quo anno Ovidius exulabat, certe, antequam hic scriberet ex Ponto Libri IV. epistolam 16., rebus humanis exemptum fuisse. Nam cum Ovidius ad obtrectatorem suum scribit:

Invide, quid laceras Nasonis carmina rapti?
Non solet ingeniis summa nocere dies.
Famaque post cineres major venit: et mihi nomen
Tunc quoque, cum vivis adnumerarer, erat,
Cum foret et Marsus, magnique Rabirius aris,
Iliacusque Macer sidereusque Pedo;

manifestum est, de poetis hic sermonem esse vita jam defunctis, quorum aetati Ovidius, natu licet minor, fuerit

suppar. Hinc consequens est, Domitium Marsum, quo tempore Horatius Romae et summa ingenii laude et Augusti Maecenatisque gratia floreret, et ipsum floruisse. Et quamquam Ovidius nihil adjecit, quo de ingenio ejus et carminibus judicium fieri posset; tamen dubitari nequit, quin idem intelligendus sit poeta, qui cum ab aliis scriptoribus, tum imprimis a Martiale magna cum laude memoratur, et ex promiscuo nominum et cognominum usu simpliciter vel *Domitius* vel *Marsus* nominatur.

Sed tamen videndum est, an, ubi poeta, quo de loquimur, simplici nomine allegatur et laudatur, periculum sit, ne, quae ab alio eoque cognomini poeta profecta sunt, huic soli attribuamus. Jam quod ad cognomen *Marsi* attinet, id supra vidimus usurpatum esse a Magiis, Octaviis et Vibiis, ex quibus tamen nemo doctrinae laude inclaruit, nisi forte *Vibius Marsus*, Syriae Proconsul, quem Tacitus Ann. Libr. VI. c. 47. *vetustis honoribus studiisque illustrem* dicit. Neque tamen inde sequitur, libros ab eo scriptos esse, nedum carmina, quorum mentio passim a scriptoribus injecta occurrat. At gentile *Domitiorum* nomen eodem fere, quo Domitius Marsus Poeta, tempore ingenio doctrinaeque studiis illustravit *Domitius Afer*, Nemausensis [5]), qui procul dubio vel ipse vel unus ex majoribus aeque ac P. Terentius Afer, peregrinae homo originis, suo ingenio et libertatem et civitatem deberet. Is recens Praetura, qua Tiberio imperante a. U. C. 778. functus erat, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, ut ait Tacitus Ann. Lib. IV. c. 52., Agrippinae accusatione a. U. C. 779. primoribus oratorum addi coepit. Ob hanc Agrippinae accusationem a Cl. Caligula Imperatore reus inopinato factus, suam dicendi artem callide occultans nihilque prae simulata trepidatione et Claudianae facundiae admiratione respondens ex periculo non solum evasit incolumis, sed Consul etiam suffectus est a. U. C. 792.,

5) Domitium Afrum Nemausi, urbe Galliae Narbonensis h. *Nimes*, oriundum esse, testatur Hieronymus in Chron. Eusebii p. 160. „*Domitius Afer Nemausensis clarus Orator habetur, qui postea Nerone regnante ex cibi redundantia in coena moritur.*“

auctore Dione Cass. Libr. LIX. c. 19 sq., a quo dicitur ὁ Ἄφρος ὁ Δομίτιος δεινότατος εἰπεῖν ὤν [6]). Quintilianus puer assectatus eum audiverat dicentem pro Voluseno Catulo Inst. Or. Libr. X. c. 1. §. 24. et admiratus erat, ut Julium Africanum, quos oratores appellat longe praestantissimos Inst. Or. Libr. X. 1. §. 118., ita tamen, ut ei Domitius Afer arte et toto genere dicendi praeferendus atque in loco veterum locandus videatur. Summus hic illius aetatis orator in extrema senectute quotidie aliquid de sua auctoritate perdidit, quia deficere malebat, quam desinere, ut ait Quintilianus Inst. Or. Libr. XII. c. 11. §. 3., cujus rei documentum refert Plinius Epist. II. 14. §. 10. Domitius Afer obiit, teste Tacito Ann. Libr. XIV. c. 19., Nerone imperante a. U. C. 812. cibi redundantia in coena, ut Hieronymus in Eusebii Chronico memoriae prodit. Cum nihil scripti, nisi duo Libros de Testibus, a Quintiliano Inst. Or. Libr. V. c. 7. §. 7. commemoratos, videatur edidisse, non facile est verendum, ne hic orator, sicubi nude *Domitius* dicatur a scriptoribus, confundatur cum Domitio Marso Poeta, qui eum sicut aetate, ita etiam ingenii doctrinaeque laude multum antecessit, ut qui cum aliis scriptis, tum maxime diversi generis carminibus nobile apud posteros adeptus sit nomen.

§. 3.

De Domitio Marso Poeta cum neminem habeamus testem Ovidio antiquiorem, eumque, ut vidimus, parum

6) Fuit autem capessendis accusationibus aut reos tutando, prosperiore eloquentiae, quam morum fama, ut ait Tacitus Ann. Lib. IV. c. 52, quam fraudulenta opum aviditate commaculavit: cf. Plinius Epist. Lib. VIII. c. 18. §. 5. et Quintil. I. Or. VI. 3. §. 92. ibiq. Spalding. T. II. p. 604. Caeterum dicax et perquam facetus: nam cum, auctore Dione Cass. Lib. LX. c. 38., quidam morte Julii Gallici oratoris, quem Claudius in Tiberim abjici jusserat, patrono destitutus Domitii auxilium imploraret, „*Quis*," inquit, „*tibi indicavit, me natatorem Gallico meliorem esse.*" Aliud acute dictum ejus in Mallium Suram, quem multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, *non agere* dixit, *sed satagere*, memorat Quintilianus I. Or. VI. 3. §. 54. cl. XI. 3. §. 126. Hunc *Mallium Suram*, aliunde incognitum, reperisse sibi visus est Osannus in Apuleji d. Orthographia Fragm. §. 8., ubi pro *Suda* ingeniose legendum censet *Sura*.

hac in caussa disertum; in omni hac disputatione duces sequamur necesse est serioris aetatis scriptores, quos inter potissimum audiendus est Poeta Bilbilitanus, illius aemulator studiosissimus. Nam etsi Domitius Marsus, ut hic opera ejus pedestri composita oratione silentio praetermittam, partim epica scripsit carmina, partim elegiaca; tamen sui ingenii famam maxime Epigrammatis nobilitavit. Hinc factum est, ut Martialis et frequentem ejus fecerit mentionem, et perhonorificam, nihilque dubitarit eum primis Latii poetis accensere. Quae quidem laus tanto pluris erit facienda, quanto crebrius aemulationis et imitationis comes solet esse invidia et obtrectatio. Accedit, quod Martialis, non humiliter sentiens de ingenio suo scriptisque, plerumque Marsi meminit provocatus et irritatus obtrectatorum quorumdam malivolentia. Ita Libr. II. epigr. 71. Caecilianum callidum obtrectatorem quemdam facete carpit:

Candidius nihil est te, Caeciliane; notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca lego;
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli:
Haec mihi das, tamquam deteriora legas.
Ut collata magis placeant mea? credimus illud;
Malo tamen recites, Caeciliane, tua [7]).

Caecilianus igitur, quoties Martialis pauca ex suis epigrammatis recitaret, continuo aliqua Domitii Marsi et Catulli scripta recitabat illisque opponebat, non quo Martialem utroque illo poëta deteriorem declarare, sed ut, facta hac carminum contentione, magis apparere auditoribus velle videretur, quanta esset Martialis epigrammatum virtus et praestantia. Sed veteratoriam Caeciliani invidiam et ob-

7) Recepi ego cum Edit. Paris. ap. Lemaire 1825. ex Cod. Arund. v. 2. lectionem *lego* pro *legis* v. 2., alioquin omne perit sententiae acumen. Haud dubie Martialis de more illius aetatis in consessu familiarium praelegebat scripta a se epigrammata: ita *legere* pro *praelegere*, *recitare* aliquoties ap. Martialem et alios, v. c. Cicer. Brut. c. 11. de Antimacho, *qui cum, convocatis auditoribus, legeret eis magnum illud — volumen suum — Legam*, inquit, *nihilo minus* etc. et Eraestii Clav. s. h. v. — *Distichi* nomine etiam alibi significat sua Epigrammata Martialis, ut Libr. III. epigr. 11. v. 2. *Cur in te factum distichon esse putas?* et Lib. VIII. epigr. 29. *Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.*

trectationem bene perspectam Martialis ita perstringit, ut illum roget, sua potius recitet epigrammata, quam Marsi et Catulli. Utrumque poetam sicut hac ratione Martialis tacite agnoscit se hoc in carminum genere superiorem, eisque se postponit, ita argute se Caeciliano, insulso et indocto epigrammatum scriptori, anteponit. Qua in re Caecilianus Martialem Marso et Catullo inferiorem judicarit, frustra quaesiveris; sed fuisse, qui Martialis epigrammata justo longiora existimarent ideoque ea vituperarent, patet ex Libri II. epigr. 77., quod Cosconio, inepto cuidam et pinguis ingenii censori, inscripsit:

Cosconi, qui longa putas Epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.
Hac tu credideris longum ratione colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse brevem.
Disce, quod ignoras: Marsi doctique Pedonis
Saepe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis.
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

Martialis venusto hoc epigrammate Cosconio, quem ob pingue ingenium uncturae axium magis idoneum dicit quam carminum censurae [8]), se purgat cum aliis usus argumentis e rei natura petitis, tum etiam exemplo Domitii Marsi et Pedonis Albinovani, qui et ipsi epigrammata scripserint, quorum unum haud raro binas impleret paginas. Non mirabimur subrusticam acerbitatem, qua Martialis Cosconio respondet, si meminerimus, hunc et ipsum scripsisse epigrammata illiusque hoc in genere laudi obtrectasse. Hinc Martialis, *Tu, Cosconi*, inquit, *disticha longa facis:* cujus argute dicti vis latet in v. *longa*, quod aperte ad subjectam epigrammatis materiam spectat, ita ut n. *long-*

8) Raderus in Comment. ad v. 2. p. 203., qui Cosconium derideri putat melius aurigae quam poetae officium praestantem, ut qui ex longo itinere reddere brevius possit ungendo saepius currum, quo expedito longius spatium citius percurreret quam alii breve, magnopere vereor ut sententiae acumen assecutus sit. Nam Martialis, si celeritatis brevitatisve notionem inferre voluisset, non, credo, axium uncturam memorasset, quam multo verisimilius ad pingue Cosconii ingenium retulit Ramirez de Prado in Hypomn. p. 206.

weilig respondeat. Verissime enim Plinius Apollinari suo scribit Libr. V. epist. 6. §. 43. „*Vides, quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Aeneae, Achillis ille, describat: brevis tamen uterque est, quia facit, quod instituit.*“ Simili ratione argumentatus Martialis, Non sunt, inquit, epigrammata longa, quibus nihil est, quod possis demere, cum, quibuscunque est justa et congrua partium suarum proportio, ea neque longiora neque breviora dici queant [9]). Cum igitur non eo, quo Velox quidam Libr. I. epigr. 111. [10]), modo repelli posset Cosconius ejusque dicta et vituperia irridendo eludi, Martialis doctius in eum est invectus itemque contumeliosius. Nam eumdem istum Cosconium impudicae nequitiae insimulasse Martialis epigrammata eisque sua praetulisse castitatis nomine, patet ex Libri III. epigrammate 69., quo insulsa Cosconii verecundia perfacete confutatur. Et habuit sane Martialis, quo caussam suam tueretur. Nam hanc Cosconii aliorumque criminationem animo et cogitatione prospiciens, in ipso sui operis limine, Epistola ad Lectorem, Libr. I. scripsit: *Lascivam verborum veritatem, id est, epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicunque perlegitur* [11]). Horum igi-

9) Diversa veterum judicia de epigrammatum consilio, argumento et forma percenset G. Io. Vossius Instit. Poet. Libr. III. c. 19. p. 161 qq. Vol. III. Opp.

10) Indoctum hunc et stolidum vitiligatorem, Velocem, aliunde nobis non cognitum, aculeata brevitate et cum contemptu refutat:

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.

11) Qui h. l. a Martiale memoratur *Gaetulicus*, quin epigrammaticis Latii poetis accensendus sit, dubio caret non tam ob testimonium Sidonii Apollin. Carm. IX. v. 256.

Non Gaetulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.

quam Plinii Libr. V. epist. 3. §. 5., qui percensens viros gravissimos, a quibus lasciviores versus nonnumquam factos sciebat, omissis, ne quam in adulationis speciem incideret, viventibus, inter alios posuit *C. Memmium, Lentulum, Gaetulicum, Annaeum Senecam et proxime Verginium Rufum:* ubi sunt qui, sublata virgula, junctim legi malint *Lentulum Gaetulicum*, intelligantque *Cn. Lentulum Gaetulicum*, qui historiam scripsit, cujus meminit Suetonius Calig. c. 8. Hanc Pliniani loci distinctionem tuetur Sirmondus ad Sidonium l. c., quae etiam haud displicere videtur H. de Bo-

tur poetarum exemplo et auctoritate usus est Martialis, qua in antecessum malivolentiae et obtrectationis ictus retunderet, ingenue confessus, sua se epigrammata scripsisse illis, qui Florales spectarent, non eis, quibus esset

Triste supercilium, durique severa Catonis
Frons, et aratoria filia Fabricii,

quibuscum nihil negotii sibi esse ait Libr. XI. epigr. 2,

Jam his, quae disputavimus, edocti scimus, Domitium Marsum Epigrammata composuisse et longiora nonnumquam et petulantiora, ita ut in pudendarum rerum mentione ne nudis quidem verbis abstinuerit. Quanti vero scripta ejus Romae fuerint aestimata, idem nos docet Martialis, qui ad Sextum aliquot Epigrammatum libros misit, eisque ut illustria inter aliorum epigrammaticorum poetarum opera locus in bibliotheca daretur, his rogavit verbis Libri V. epigr. 5.:

---

scbio in Observat. et Not. in Anth. Gr. Vol. IV. p. 409., ita ut intelligatur ille *Cn. Lentulus Gaetulicus*, qui a. U. C. 779. Consul fuit et de conjuratione cum Lepido suspectus a. U. C. 792. a Caligula interfectus est, auctore Dione Cass. Libr. LIX. c. 22., qui eum τά τ' ἄλλα εὐδόκιμον ὄντα καὶ τῆς Γερμανίας δέκα ἔτεσιν ἄρξαντα appellat. A Tacito Ann. Libr. VI. 30. traditur effusae in milites clementiae et modicus severitate fuisse. G. Is. Vossius d. Hist. Lat. I. c. 25. et Lipsius ad Tacit. Ann. IV. 44. tribuunt ei Epigrammata Anth. Gr., quae *Gaetulici* nomen praeferunt, itemque Brunckius, quibus adstipulari subdubitabat Jacobs in Catal. Poetar. Epigr. Vol. III. P. 3. p. 896. Quidquid ejus rei est, novem haec Epigrammata Graeca castissima sunt, cum Gaetulicus lasciviores versus fecisse dicatur et celebrasse Cecenniam amicam, teste Sidonio Apoll. Libr. II. epist. 10. fin. „*Certe si praeter rem oratoriam contubernio feminarum poeticum ingenium — quereris obtundi, reminiscere, quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.*“ Ex Latinis ejus poematis nihil nostram aetatem tulit, nisi versus tres, quos Probus ad Virgil. Georg. Libr. I. v. 227. affert de trionibus, quos Graeci duas ursas vocant, Helicem et Cynosuram. „*Cujus rei, inquit, testis est Gaetulicus, cum ait de Britannis:*

Non aries illum verno feret aëre cornu,
Gnosia nec gemini praecedunt cornua Taurum,
Sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes.“

Hoc fragmentum, quod mendose descriptum habet H. Stephanus in Fragm. Vet. Poet. L. p. 414., ex quo Gaetulici carmine sumptum sit, ignoratur. Cognomen *Gaetulici* s. *Getulici*, ut passim in Inscriptt. et Codd. exaratum legitur, invenit ejus pater, Cn. Cornelius Lentulus Cossus victoria de Gaetulis, idque contulit in filium, adolescentem in omnium virtutum exempla genitum, ut ait Vellej. Pat. Libr. II. c. 116. Cf. Florus IV. c. 12. §. 40. ibiq. Intpp.

Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae,
Ingenio frueris qui propiore Dei;
Nam tibi nascentes domini cognoscere curas
Et secreta ducis pectora nosse licet;
Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.
Ad Capitolini coelestia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus [12]).

Martialis magnopere optans, ut in privata Sexti bibliotheca reponantur epigrammatum suorum libri juxta ejusdem generis scripta, quibus Catullus, Domitius Marsus et Pedo Romae et laudem adepti fuerant et locum in bibliothecis publicis privatisque, istum hominem mirifica arte adulatur. Sextus enim, qui videtur Domitiano Imperatori a secretis fuisse, haud dubie epicis versibus descripserat bellum Vitellianum, quo Domitianus puer adhuc in Capitolium confugerat idque cum Sabino patruo defenderat, auctore Tacito Hist. Libr. III. c. 69. cl. Sueton. Domit. c. 1. Hoc Sexti carmen Martialis adulatorie appellat *coeleste* vel ob praestantiam, vel, quod potius mihi videtur, ob laudem Domitiani Dei, et dignum illud judicat, quod ponatur in bibliotheca juxta divinam Virgilii Aeneidem. Huic sententiae nequaquam obstat omnium scriptorum de Sexto poeta silentium: quid? si ad eumdem facundum cultorem Minervae Palatinae referimus Libri X. epigramma 21? Sextum enim palpo percuteret necesse erat Martialis, quo

12) Omnes, quos novi Martialis Intpp. hunc Sextum, Domitiano imperante, dicunt fuisse Palatinae bibliothecae praefectum, perperam intellecto versu 1. At H. Lürsenius d. Templo et Biblioth. Apoll. Palat. (Franeq. 1719.) p. 202. rectius, si quid judico, de privata Sexti bibliotheca cogitat. Ejus sententiae favet v. 5., et si Sexto cura illius bibliothecae fuisset, vix dubito, quin dictus esset a Martiale *Palatinae custos facunde Minervae*, ut Hyginus ab Ovidio Trist. Libr. III. el. 1. v. 67., neque *cultor Minervae:* quibus verbis in genere artes liberales earumque studium significari non inscite suspicatur Lürsenius l. c. Haec ratio praestat etiam alteri, qua Minervae Palatinae nomine putatur indicari ipse Domitianus, qui se Minervae filium jactabat: vid. Spalding. ad Quintil. Inst. Or. Libr. X. 1. §. 91. — Vs. 8. dicitur Virgilius *cothurnatus*, ut Libr. VII. epigr. 63. v. 4., ubi de Silio Italico: *Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus.* Et ne quis forte *grande Maronis opus* legi malit, vetat ipse Marklandus ad Statii Sylv. Libr. I. c. 1. v. 250.

citius, quod volebat, consequeretur, cumque sua ipsius epigrammata haud inferiora censeret triumvirorum illorum et laudatissimorum poetarum scriptis, prudentiae erat nescio dicam an calliditatis, ut grandi Maronis operi aequipararet Sexti de bello Capitolino h. e. Vitelliano epos, quod ille aut publici juris jam fecerat aut scribendum susceperat. Tam turpem abjectamque adulationem haud alienam fuisse ab animo Martialis, cum alia nos docent, tum etiam Libri VII. epigr. 99.

Sic placidum videas semper, Crispine, Tonantem;
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet:
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula;
(Namque solent sacra Caesaris aure frui.)
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude:
Temporibus praestat non nihil iste tuis;
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est: ipsi caetera mando Deo.

Crispinus, cujus favorem Martialis hoc epigrammate ambit, vix potest dubitari quin iste sit chartapola, a Juvenale Sat. I. v. 26. exagitatus, qui ex infima plebis Niliacae faece ortus et ad censum equestrem provectus magna apud Domitianum gratia pollebat. En hic verna Canopi, Crispinus, submisse rogatur a Martiale, ut ipsius carmina Domitiano commendet eaque non deteriora esse dicat Marsi et Catulli scriptis: qua conversione dici nequit quam callide suam de ingenio scriptisque suis opinationem fastumque dissimulaverit Bilbilitanus poeta doctus sane et elegans, sed haud raro ingeniose nequam.

§. 4.

Haec a nobis allata Martialis testimonia certissimum est unice spectare ad Domitii Marsi Epigrammata, a Romanis non parvi aestimata, licet inde non intelligatur, qua potissimum in re eorum virtutes fuerint positae. Sed a Domitio Marso gravioris quoque argumenti carmina eaque epica fuisse scripta, sunt qui colligant ex Martialis Libri IV. epigr. 29. ad Pudentem nescio quem [13]), cui subveri-

13) Hic *Pudens* videtur idem esse, cujus cum Claudia Peregrina quadam nuptias Martialis celebrat Libr. IV. epigr. 13.

tus, ne sui libelli sua sibi nocerent copia et legentibus displicerent, auctor est suasorque, ut unumquemque libellorum a caeteris separatum legat, quo gratior fiat cujusque epigrammatis raritate lepos: id quod exemplis ita persecutus illustrat:

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis:
Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara juvant: primis sic major gratia pomis;
Hibernae pretium sic meruere rosae:

Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto taedis, o Hymenaee, tuis.
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.
Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,
Tamque pari semper sit Venus aequa jugo.
Diligat illa senem quondam: sed et ipsa marito
Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus.

Fuerunt qui ejusdem Pudentis et Claudiae mentionem factam putarent a Paulo Apostolo in Epist. II. ad Timoth. c. 4. v. 21. (Cf. Wolfii Cur. Philol. in N. T. Tom. IV. p. 547.) adeoque inde colligerent, Martialem haud alienum fuisse a religione Christiana! Jam his lectis Fr. Osannus, Vir multae lectionis et accuratae promptaeque doctrinae, inductus est, ut in *Jahnii Annal. Philol. et Paedag.* Vol. VIII. p. 65 sq. 1828. de hoc *Pudente*, homine prorsus incognito, conjecturam proponeret, qua nihil vidi ingeniosius. Quae cum et meum ipsius et amicorum meorum tulerit assensum, facere non possum, quin copiosam Viri eximii disputationem succincte hic repetam, eaque opusculum hoc meum exornem. Osannus ex inscriptione sepulcrali ap. Gruter. p. MCXVIII. 6.:

NARDU
POETA
PUDENS
HOC
TEGITUR
TUMULO.

conjecit, *Pudentem Nardum* poetam fuisse aequalem Martialis et amicum, cujus agnomen eleganti verborum lusu ille respexerit v. 3. *miscentur cinnama nardo.* Quamquam in cinnamomi s. cinnami, quod pariter Statius Sylv. IV. 5. 30. V. 3. 42. *rarum* vocat, et nardi mentione et mixtura non nisi mutui amoris significatio inesse videtur, cujus generis imagines frequentari a poetis docuit Jacobs. ad Meleagri Epigr. XXX. Vol. I. P. 1. p. 50. et ad Asclepiadae Epigr. VII. Vol. I. P. 2. p. 26.; tamen Osanni suspicio, haud aliena ab festivo Martialis ingenio, mirifice placet. Atqui *Pudentem Nardum* fuisse poetam Martiali aetate supparem Osannus alia, quam in *Jahnii Annal. Philol. et Paedag.* Vol. IX. p. 233. 1829. protulit, inscriptione extra omnem posuit dubitationem. Haec Inscriptio legitur ap. Gruter. p. CCCXXXII. 8.:

Sic spoliatricem commendat fastus amicam,
Janua nec juvenem semper aperta tenet.
Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque, de nostris releges quemcumque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit 14).

Sed hoc de Marso testimonium habet aliquid ambiguitatis, quod nos offendat. Apertum quidem est, intelligi v. 7. A. Persium Flaccum, Satirarum scriptorem, qui, ut Quintilianus I. Or. Libr. X. 1. §. 94. ait, *multum et*

L. Valerio L. F.
Pudenti
Hic. cum. esset. annorum
XIII. Romae. certamine
Jovis. Capitolini. lustro
Sexto. claritate. ingenii
Coronatus. est. inter
Poetas. Latinos. omnibus
Sententiis. judicum.

Huic. plebes. universa
Histoniensium. statuam
Aere. collato. decrevit
Curat. R. P.

Lapis, in quo haec perscripta erant, teste *Gudio*, repertus est Histonii in hortis P. P. Augustin. Eremitarum, fuitque in fine auctior his verbis: curat. Reip. Aserninorum. dato. ab. imp. optimo. Antonino. Aug. Pio. Osannus pro mendoso v. Aserninorum verissime conjecit Aeserninorum. Jam cum *Ludi Capitolini*, Jovi Capitolino instituti a Domitiano a. U. C. 839., teste Censorino c. 18. cl. Intpp. ad Suetonii Domit. c. 4., quinto quoque anno celebrarentur, in eisque certamina poetarum et oratorum instituerentur, unde *Capitolini agones* seu τὰ Καπιτώλια dici coeperunt: vid. Scaligeri Lect. Auson. c. 10.; facta annorum computatione, efficitur, *L. Valerium L. F. Pudentem*, in illo poetarum agone sexto victorem, coronatum esse a. U. C. 862. Atque si ponimus, illum XX. annos natum duxisse Claudiam Peregrinam, nihil obstat, quo minus ejus nuptias celebratas esse dicamus a Martiale, quem Hadriani imperium vivendo attigisse paene certum est. Illa autem statua posita est sub Antonino Pio longe post certamen, in quo ille puer coronatus est, uti bene observavit Gudius. Cumque ea statua illi posita esse dicatur ab universa plebe municipum Histoniensium, non temere inde colligit Osannus, *Histonium*, Frentanorum oppidum (vid. Pompon. Mel. Libr. II. 4. §. 6. ibiq. Tzschuckius Vol. III. P. 2. p. 394.), fuisse ejus locum natalem, h. *Guasto d'Amone*. Pererudita igitur et acuta Osanni disputatione veluti ex tenebris in lucem ac vitam revocatus nobis innotuit poeta *L. Valerius Pudens Nardus*, Histoniensis, qui natus est a. U. C. 849.

14) Santenius ad Terentian. M. v. 1681. p. 268., ut Hephthemimeris restitueretur, legi maluit v. 8. *Rara juvant: primis major sic gratia pomis.*

verae gloriae, *quamvis uno libro*, *meruit*. Jam huic opponitur Marsus, quem in tota Amazonide rarius memorari ait Martialis, quam Persium in uno, quem scripserit, libro. Utriusque igitur poetae opera inter se comparantur; sed totius epigrammatis consilium perspicue nos docet, hac comparatione non tam argumentum, quam ambitum utriusque operis spectari. Martialis, si quid video, nihil aliud dicere voluit, nisi brevem curtumque Persii librum hac ipsa brevitatis gratia et commendatione plures invenire lectores, quam Marsi Amazonidem, longum et vastum opus, quod suo ambitu legentibus taedium afferat ac satietatem. Quemadmodum igitur Marso libri sui moles obfuit, quominus Amazonis lectione frequentaretur, suumque ipsius nomen celebraretur, ita etiam Martialis metuit, ne suis libellis copia et moles obstet lectoremque lasset potius quam alliciat allectumque teneat. Qua de caussa Pudenti suadet, ut Epigrammatum libros separatim legat: quo facto futurum esse sperat, ut sui libelli aeque multos inveniant lectores, atque unus et brevis Persii liber. Haec si vera sunt, consequitur, magnopere falli, qui Marsum vituperari a Martiale et Persio postponi opinentur [15]). Nam cum *levis* appellatur Marsus, nihil indicari arbitror, nisi in quo carminum genere imprimis eminuerit, cum, qui breviorà modo poemata, ut epigrammata, hendecasyllabos, aliosque ingenii lusus scribebant, *leves* poetas usitate dictos esse constet. Jam cum Marsus ejusmódi nugas composuerit et epigrammatis, quae lasciviora fuisse vidimus, inclaruerit, nihil profecto obstat, quo minus eum a Martiale, ejus aemulo, cum laude *levem* dictum putemus. Quid? si Martialis hoc sibi voluit: etsi Marsus per totam Amazonidem *levis* est h. e. lepidus, dulcis et nugis ludicrisque plenus, tamen ejus carmini, cum longum sit, non

15) Ita acceperunt h. v. omnes, quos novi, Interpretes et, qui nuper Martialem in nostrum sermonem convertit, Willmannus p. 75. *Persius wird auch öfter erwähnt ob dem einzigen Büchlein, Als der Marsus, der schal von Amazonen geschwatzt.* Facere non possum quin hic tribus verbis tangam permiram Gesneri suspicionem, qua Domitii Marsi Amazonida morderi existimat ab Horatio Libr. IV. od. 4. v. 21.

tot obtingunt lectores, quot habet Persii liber, tristis licet et severus argumento, sed unus et brevis. Inde nihil reprehensionis ad Marsum redire patet. Quapropter non opus erat, ut Calderinus et qui eum secutus est Ramirez de Prado in Hypomn. p. 321. alium quemdam Marsum, poetam heroicum, comminiscerentur diversum ab epigrammatographo, cum non sit credibile, Martialem dixisse *levem* quasi nullius pretii eum poetam, cujus laudem studiose fuerit aemulatus [16]). Non temere VV. DD. Marsi Amazonidem fuisse censent carmen epicum, in quo Herculis contra Amazonas expeditio copiosius esset tractata: quo in argumento ille habuit quos e Graecis scriptoribus sequeretur. Nam ab Athenaeo Libr. VII. p. 296. C. s. p. 82. Vol. III. Schw. memoratur *Πόσσις δ' ὁ Μάγνης ἐν τρίτῳ Ἀμαζονίδος*, neque tamen liquet, poema fuerit Amazonis ejus, an historia. In historicorum quidem numero relatus est Possis Magnesius a Io. G. Vossio d. Hist. Gr. Libr. III. p. 187. Vol. IV. Opp. Cephisodorus, veteris comoediae poeta, de quo A. Meinekius in Quaest. Scen. Spec. II. p. 74. egit, itemque mediae comoediae poeta, Epicrates, Ambraciota, teste Athenaeo Libr. X. p. 422. s. p. 45. Vol. IV. Schw. scripsere *Ἀμαζόνας*, ex quibus potuerat Domitius Marsus mutuari, ut in epico etiam carmine *levis* esse videretur moroso oppositus Persio et tetrico, quem ideo sinapi victitasse festive ait Heinsius.

Sed mittamus haec; Domitius Marsus quin epica scripserit carmina, dubitare nos non sinit cum Ovidius ex Ponto Libr. IV. Epist. 16. v. 5., a quo eum cum Rabirio, magni poeta oris eoque epico, componi vidimus, tum imprimis Martialis Libr. VIII. epigramma 56. Flacco cui-

16) Huic conjecturae favere video Spaldingium ad Quintil. I. Or. Libr. X. 1. §. 94. Alius si necesse est h. l. intelligatur poeta diversusque a nobili illo epigrammatista, satius erit cum Scaligero e Codd. revocare *Codrus*. At sicut nemo h. l. de C. Persio, Gracchorum aequali, quem significat valde doctum esse Lucilius, ut ait Cicero in Brut. c. 26., cogitabit, ita huc trahi nequit *Codrus*, malus iste poeta et Virgilii aequalis, cujus nomen serius *θετικὸν* factum esse docui in Comment. *d. Jarbita Timagenis aemulatore* §. 4. Neque quisquam commentum Beverlandi probabit, qui, ut duo Codros, ita etiam duo Marsos fuisse credidit.

dam inscriptum miranti, quod numquam gravioris argumenti carmina scribenda sumat Martialis. Huic se excusat temporum iniquitate, cum desint patroni poetarum ingenia foventes muneribusque excitantes, et ita illi tecte illiberalitatem in se exprobrat elegantissimo poemate, quod consulto apponam:

Temporibus nostris aetas quum cedat avorum,
Creverit et major cum duce Roma suo;
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.
Jugera perdiderat miserae vicina Cremonae,
Flebat et abductas Tityrus aeger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
Repulit, et celeri jussit abire fuga:
Accipe divitias, et vatum maximus esto;
Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quae poterant ipsum sollicitare Jovem.
Excidit attonito pinguis Galatea poetae,
Thestylis et rubras messibus usta genas;
Protinus Italiam concepit, et Arma virumque,
Qui modo vix Culicem fleverat ore rudi.
Quid Varios, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Maecenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero [17]).

---

17) In praecipuis de Virgilio antiquitatis testimoniis poni debet hoc Martialis poemation, cujus auctoritas de Alexi puero molestior erat Heynio ad Donati Vit. Virg. V. §. 20. Virgilius igitur Maecenatis liberalitate curis levatus conceperat *Arma virumque* v. 19. i. e. Aeneidem, quae de more veterum initialibus verbis significatur, ut Libr. XIV. epigr. 185.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis;
Et nugis positis Arma virumque legas:

sic enim pro vulg. *canas* e Codd. Merulae ad Ennii Fragm. p. 509. legendum censeo. Istum, quo veteres aliorum libros laudare solebant, morem illustravit, praeter Jonsium de Scriptt. Histor. Philos. Libr. II.

Hujus epigrammatis acumen plane praeteriit eos, qui postremi Distichi sensum hunc esse voluerunt: epicus quidem non ero poeta, sed epigrammaticus, si muneribus me ornas eisque ad scribendum excitas. Sed Martialis sine Maecenate aliquo tot jam scripserat epigrammata, quot modo poterant exspectari, nec tam ad ludicra haec scribenda opus ei erat Maecenate, quam ad componendum carmen, cujusmodi erat Virgiliana Aeneis. Itaque perridiculum est Heraldi tentamen reponentis *Marcus* pro *Marsus ero*, ut sensus sit: Marcus ero Martialis et huic nomini non minus celebritatis conciliabo, quam Virgilius olim conciliavit suo. Id profecto perspicuum est, de Marso hic sermonem esse tamquam de poeta epico: id quod etiam v. 21. firmatur, quo cum L. Vario componitur. Et cum proposito Virgilii exemplo Martialis Flacco tacite significasset, se quoque et velle et posse grandia componere carmina, modo sibi obtingat Maecenas liberalis, ne poterat quidem Marsi, tamquam epigrammatici poetae, exemplum nomenque ponere, quin sibimet ipse turpiter adversaretur. Sed veritus, ne mentione Virgilii, quem epici carminis laude aequare se velle innuit, apud Flaccum immodestiae et vanitatis crimen incurreret, ita, quae dixerat, argute restrinxit: Virgilius quidem non ero, sed tamen Marsus h. e. non tantus quidem poeta epicus, quantus fuit Virgi-

---

c. 5. p. 165., etiam Passovius ad Persii Sat. I. v. 66. p. 317. — Vers. 21. reposui sine haesitatione *Varios* pro *Varos*, *Varros*, quod Codd. Msti sollemni errore offerunt. Intelligendus est *L. Varius*, cum aliis clarus carminibus, tum etiam epicis, quorum ratione cum Virgilio multis ab Augusto muneribus mactatus commemoratur ab Horatio Epist. II. 1. v. 245., ita ut inter *ditata vatum nomina* merito ejus meminerit Martialis. Huic L. Vario cum adjungitur Marsus, inde primum discimus, eumdem aeque ac Varium, in Maecenatis domo, ut constat, gratiosissimum, hujus patroni familiaritate et liberalitate gavisum esse: id quod post a. U. C. 723. factum putabimus. vid. §. 2. Deinde sicut Virgilio, Aeneidos scriptori, L. Varius, epicus poeta, additur, ita in aprico est, propter ejusdem generis carmina Marsum huc esse relatum, alioqui vix omittendus erat Horatius, Varii amicus, Maecenatis liberalitate ditatus: cf. Libr. XII. epigr. 4. *Quod Flacco Varioque fuit, summoque Maroni; Maecenas atavis regibus ortus eques.* — Vs. 23. placet Ms. Beverl. lectio *Ergo ego* pro *ero*: orationis formam, in qua prius membrum interrogat, posterius respondet, erudite illustravit Beierus ad Fragm. Ciceronis Orat. pr. Tullio §. 34. p. 47., non omisso hoc Martialis loco.

lius, sed talis tamen, qualis Marsus. Quibus quidem verbis Martialis declarat, Marsum epicum poetam Virgilio esse minorem eique cedere, sed tantum tamen tamque clarum, ut, qui ejus hoc in genere laudem assequatur, in ea possit acquiescere.

Quamvis igitur concedamus, Domitium Marsum, vel ipso Martiale judice, epici carminis praestantia non potuisse de palma certare cum Virgilio, quo nemo poetarum hoc in carminum genere apud Romanos esset illustrior; tamen id, opinor, nobis dabitur contendentibus, hoc etiam loco nihil detrahi poeticae Marsi laudi, quam epicis sibi pepererat carminibus, nisi adeo ineptiisse credemus Martialem, ut dixerit, se, ubi a Flacco muneribus fuerit ornatus excitatusque, non bonum fore poetam, sed malum.

§. 5.

Ad leviora, quae Domitius Marsus scripsit, poemata pertinent ejus *Amores* seu *Elegiae*, in quibus *Melaenis* puella celebrata fuit, auctore Martiale Libr. VII. epigr. 29. ad Thestilum Puerum:

Thestile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo;
Paullisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Maecenati, Maro quum cantaret Alexin,
Nota tamen Marsi fusca Melaenis erat [18]).

Voconius Victor, homo caetera obscurus, sed versuum scriptor, num sit Aulus, vates ille, qui amabat Thestylon puerum, cujus meminit Martialis Libr. VIII. epigr. 63., magis est incertum, quam pueri a Victore in deliciis habiti

18) Vix mihi temperare potui, quin ex Beverland. Codd. v. 2. ederem: *tota — Urbe*, quandoquidem vulg. lectio Hyperbolen infert alienam ab hoc loco, quo Martialis non suum ipsius, quem ardebat, puerum, sed alius delicias laudat. Item v. 6. malim ex Cod. Beverl. *parva* pro *pauca carmina*, h. e. epigrammata, ut Libr. VIII. epigr. 82, 2. *Nos quoque, qui domino carmina parva damus*' Libr. X. epigr. 1, 3. *Terque quaterque mihi finitur carmine parvo Pagina: fac tibi me quam cupis esse brevem.*

nomen, vel invitis Codicibus scribendum esse *Thestylum* seu *Thestilum:* quod nomen Gr. v. θής, θῆσσα affine esse suspicor. Graeca enim nomina ejusmodi pueris tribui solita exposui in Comment. *d. C. Valgio Rufo Poeta* §. 7. Jam Thestilus puer rogatur hoc poemate, ut ne Martiali sua praelegenti epigrammata Victoris domini attentionem subtrahat recitatione carminum ipsius domini: nam sicut Maecenas, quamvis cupide audiret Virgilii Eclogas, tamen Marsi etiam Amoribus seu Elegiis audientiam praebebat; ita Victor quoque, ait Martialis, mea epigrammata, suis licet multo inferiora poematis, non est quod aspernetur ac negligat. Verum tamen ita ipsa comparatio aliquantulum claudicat. Opponuntur enim sibi Victor et Maecenas: ille suos attente audisse dicitur libellos a Thestilo puero recitatos; hic cantatas a Virgilio Eclogas. Quemadmodum vero Maecenas secundum Virgilii Eclogas etiam Marsi Melaenidem attentione dignam judicabat; ita Martialis optat, ut Victor secundum suos ipsius libellos etiam ipsius epigrammatis aures animumque attendat. Haec quam parum sibi respondeant, nemo non sentit. Quare nescio an fallar, si Martialem id tantum hoc epigrammate egisse putem, ut Voconio Victori, tamquam docto et praestanti poetae, blandiretur. Hinc Victorem comparat cum Virgilio; se ipsum cum Marso, quem iterum significat poetam fuisse Marone inferiorem. Jam sicut juxta Virgilii Eclogas in honore ac pretio erat Marsi Melaenis, ita Martialis sua quoque epigrammata in aliquo numero esse posse ait juxta doctos Voconii libellos, praesertim cum in eis Thestilus puer aeque celebretur atque in Virgilii Eclogis Alexis, Maecenatis puer.

Jam quaerentibus nobis, Domitii Marsi *Melaenis* fuerintne singulare carmen, puellae amatae inscriptum nomine, ut Mimnermi *Νανν*ὼ et alia, an titulus libri seu operis alicujus, quod plures Elegias complecteretur de Melaenide puella scriptas, succurrit Hermesianactis *Λεόντιον*, et Propertii Cynthia ex ipso Martiale Libr. XIV. epigr. 187. s. 189.

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipsa dedit [19]).

Nam sicut Hermesianax tres Elegiarum libros *Λεόντιον* inscripsit, ita ejus imitatione Propertius librum primum Elegiarum Cynthiae nomine insignivit, ut observat Ruhnkenius in Epist. Crit. II. p. 375. (Lugd. B. 1808.) Quare facile inducor, ut Domitii Marsi *Melaenidem* corpus Elegiarum fuisse arbitrer sive *μονόβιβλον*, ut Propertii *Cynthiam*, sive *πολύβιβλον*, ut Hermesianactis *Leontium:* id quod etiam Broukhusium ad Propert. p. 1. statuisse video. Videtur Marsi Melaenis *μονόβιβλος*, ut hac voce utar, fuisse: cujus sententiae aliquam rationem suppeditat ipse Martialis, qui Melaenidi *Alexin* opponit, quo Virgilii Eclogas in genere significari censeo.

Praeter Martialem testis de hoc opere est L. Caecilius Minutianus Apulejus de Orthograph. §. 15. „*Domitius Marsus in Melene . . .*“ ut Ang. Majus p. 132. (Romae 1823.) edidit, et apposite Martialis locum contulit. Fr. Osannus, doctissimus Apuleji istius editor, typis exscribi jussit *Melaene*, eamque scripturam muniit cognomini Caecilii Statii comoedia, cujus meminit Fulgentius s. v. *capularis* [20]). Codex Vatic. rescriptus, in quo *My* [*la..e*] *u Melene* legit Majus, rem dubiam facit. Gyraldus d. Poet. Histor. D. X. p. 372. Opp. scripsit: „*amasse vero perdite Marsus traditur puellam Melaenen, et de ipsa versus scripsisse. Martialis: Nota tamen — Me-*

19) Hujus epigrammatis in Codd. Mstis epigraphe est *Cynthia Propertii Monobiblos* s. *Propertii Monobiblos:* de quo titulo copiose Burmannus ad Propert. p. 1 sq. aliique.

20) Bothius in Poet. Lat. Scen. Vol. V. P. 2. p. 273. hanc comoediam profert *Flacco Tibulo* tributam: quo nomine graviter castigatur ab Osanno ad Apuleji l. c. p. 44., qui in Nonii editione Merceriana altera *Caecilium Statium* comoediae auctorem diserte nominatum invenit. Bothium haud dubie in fraudem induxit Parisiensis Nonii editio an. 1614. a Mercero curata, cui Fulgentius adjunctus est. Haec editio, qua caute utendum esse monuit Hermannus in Praefat. ad Plauti Trinumm. p. VII., repetita est Sedani 1614., numquam visa I. A. Fabricio in Bibl. Latin. Vol. III. p. 336 Ern. In Sedanensi hac editione, qua utor, *Melaene* comoedia ap. Fulgent. p. 564. item *Flacco Tibulo* tribuitur; contra in Auctor. Lat. Ling. cur. Dion. Gothofredo. Genev. 1595., quae editio mihi ad manus est, p. 804. *Statius Caecilius Melaene comoedia* legitur. Atque, si qua fides est Fulgentio, hanc veram censeo lectionem.

laenis erat.“ Gyraldus igitur in ea videtur fuisse sententia, ut, cum *Melaene* nomen puellae fuerit, carmen *Melaenis* dictum existimaret. Huic sententiae quominus accedam, obstat Cornelii Galli *Lycoris* ap. Ovid. Amor. I. el. 15. v. 30. Gravissima hac in re Martialis auctoritas facit, ut Marsi puellam *Melaenida* nominatam putem, neque intercedam, si quis in corruptissimo et lacunoso Apuleji libello idem nomen latere suspicetur.

Poetica inter Domitii Marsi opera, quae quidem nobis innotuerunt, postremo loco ponamus ejus *Fabellas*, quarum librum *nonum* commemorat Charisius Grammaticus. Propter hoc opus Marsus in Historicorum Latinorum numero relatus est ab Io. G. Vossio Libr. I. c. 16. p. 25. Vol. IV. Opp., qui illud fabulosas narrationes complexum esse existimat. Cogitanti mihi nuper de his Fabellis et Domitii Marsi ingenium reputanti nescio qui factum sit, ut succurrerent non tam Musaei istius pathicissimi libelli, qui, ut Martialis Libr. XII. epigr. 96. testatur, certabant Sybariticis libellis, aliaeque tinctae sale pruriente chartae, quam Parthenii ἐρωτικὰ παθήματα, quibus ejus amicum, Cornelium Gallum, Marsi aequalem, in scribendis Elegiis usum esse constat. Illas enim Fabellas elegiacis versibus scriptas fuisse vel Hemistichium docet, quod Charisius servavit.

§. 6.

Restat, ut de libris dicamus, quos Domitius Marsus pedestri oratione composuisse perhibetur. Sufficiet tribus hic tetigisse verbis, Marsum Poetam commemorari inter auctores, quorum scriptis C. Plinius usus sit in concinnando Natur. Histor. Libro XXXIII. de metallorum natura Vol. I. pag. 150. Frz. Pergimus ad Quintilianum, qui Inst. Or. Libr. III. 1. §. 18. haec: „*Nam ipsius* (Apollodori) *sola videtur Ars edita ad Matium, quia ceteras missa ad Domitium epistola non agnoscit.*“ Commemoratus hic *Domitius* quis sit, dubitatur. De Domitio Afro ne cogitemus, vetat tempus, quo hic orator florebat. Itaque Spaldingius *Domitium Marsum* Poetam intelligendum putat, qui licet plerumque *Marsi* nomine a scriptoribus cele-

bretur, tamen Domitius, nullo addito cognomine, allegatur a Philargyrio, ut infra videbimus. Haec Spaldingii conjectura si vera est, artiorem statuas licebit necessitudinem et familiaritatem Domitium Marsum inter et Apollodorum, Pergamenum rhetorem, de quo multorum Romanorum magistro exposui in Comment. *d. C. Valgio Rufo Poeta* §. 8. Hujus rhetoris vel exemplo vel auctoritate sine dubio inductus *de urbanitate* diligentissime scripsit, teste Quintiliano Inst. Or. Libr. VI. 3. §. 102., qui duo Fragmenta ex illo opere descripta attulit, quorum prius §. 104. „*Urbanitas est virtus quaedam in breve dictum coacta et apta ad delectandos movendosque homines in omnem affectum, maxime idonea ad resistendum, vel lacessendum, prout quaeque res ac persona desiderat.*“ Et §. 105. „*Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta responsaque erunt: et, qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet. Risus erunt, quicumque haec faciet orator.*“ In hac urbanitatis definitione secutus erat Catonis opinionem, ut ipse confessus erat, auctore Quintiliano.

§. 7.

Ex hac Apollodori Pergameni, si non disciplina, certe familiaritate et artis rhetoricae studiis num quid coloris duxerint Domitii Marsi poemata, in tanta Fragmentorum, quae supersunt, paucitate dici non potest. Has Reliquias post H. Stephanum in Fragm. Poet. Vet. Lat. p. 116. diligenter collegit Broukhusius ad suavissimum illud Epigramma, quod in immaturam Tibulli mortem, a Domitio Marso scriptum, felici casu nobis servatum est in Codicibus Tibullianis et primo detectum Scaligero, ut docuit Huschkius ad Tibull. Vol. II. p. 676., a quo ita editum est:

I. DOMITII MARSI

Epitaphium Tibulli.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos misit in Elysios:

Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Scaliger hoc epitaphium ex quadam Marsi elegia depromptum existimavit, in qua bonorum poetarum mors defleta fuerit. Tametsi haec opinatio nihil habet, quo aperte refellatur; tamen nihil etiam in utroque Disticho video inesse, quod ab epigrammate sepulcrali alienum sit. Haud scio an Scaligero fraudi fuerit Ovidius Trist. Libr. IV. el. 10, 51. eumque induxerit, ut de elegia cogitaret. Hinc etiam factum videtur, ut hoc epigramma in Cod. Monac. aliisque, notante Santenio, Ovidio tribueretur: cf. Bach. p. 297. Separatim edidit hoc epigramma Burmannus in Anthol. Lat. Libr. II. ep. 226. Vol. I. p. 416. et, praeter Io. G. Vossium d. Histor. Lat. Libr. I. c. 16. p. 25. Vol. IV. Opp., allegavit Masson in Vit. P. Ovidii Nasonis ad a. U. C. 735. Vulgo invenitur hodie ad calcem editt. Tibulli, si ab Io. H. Vossii editione discesseris, in qua inter Tibulli Epistolas et Lygdami, quem immortalis ille Vir commentus est, Elegias positum legitur p. 112. Idem in Praefat. p. III. illud ita interpretatus est:

Du dem Virgilius auch ein Gefährt, dich Jüngling, Tibullus,
Sandt unfreundlich der Tod zu der elysischen Flur:
Dass nicht mehr in Elegen geweint sein Klagen der Liebe,
Noch im heroischen Mass Königeskriege getönt.

Quae ex hoc epitaphio de Marsi aetate colligi possent, adnotavimus §. 2. — Versu 2. Huschkius, subductis rationibus omnibus, quas reticere placuit Viro eximio, edidit *in Elysios* et Tibull. Libr. I, 3, 58. *ad Elysios:* contrariam rationem iniit Ph. A. de Golbéry, Codd. auctoritati, ut ait, obsecutus. Secutus sum Huschkii emendationem, qui item v. 3. *elegis molles fleret amores* docte illustravit: cui addi possunt, quae disputavit Santenius ad Terentian. M. p. 317., qui, cum Pithoeus *elego* ediderit, legi posse ait *elego molli:* quo vereor ne tenuior evadat dictio poetica: cf. Mitscherlich. ad Horat. I. Od. 33, 2. —

Versu 4. *regia bella* h. e. quae inter reges fuerunt et *forti pede* h. e. heroico scribuntur: hinc ap. Ovid. ex Ponto Libr. IV, 16, 9. *carmen regale* Severi h. e. epicum: cf. Markland. ad Statii Sylv. I, 2, 250. p. 173. ed. 2.

II. Philargyrius ad Virgil. Eclog. III. 90. „*Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi.* Duos sui temporis poetas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abjecta sunt. Vult ergo notare, qui sunt inimici Virgilii, *qui Bavium*, id est, pessimum poetam, et *Maevium*, id est, pejorem poetam, ut duplum habeant malum. Ex quibus Bavius curator fuit: de quo Domitius in *Cicuta* refert:

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres sicut habere solent.
Rura, domum, nummos atque omnia: denique, ut ajunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier communis, utrique
Nupsit, deposuit alter amicitiam.“

Hoc epigramma pariter ac superius ab H. Stephano omissum habent Almeloveenus in Opusc. p. 169. Amstelod. 1686. et Broukhusius l. c., quem v. 3. cum Burmanno in Anth. Lat. Libr. II. ep. 247. Vol. I. p. 436. et ad Propert. II, 13, 33. p. 331. secuti scripsimus *atque omnia: denique* pro vulg. *et denique omnia.* Heinsius maluerat *et nomina*; ita ap. Petron. Sat. c. 17. *habere fundis nominibusque depositum.* — Vers. 5. recepi Oudendorpii emendationem praeferendam caeteris omnibus conjecturis, quibus VV. DD. certatim huic loco lacunoso et corrupto mederi studuerunt. Vulgo *communis utrique Novit*, quod ortum putat Oudendorpius ex *Nuvit* pro *Nubit* vel *Nubsit*. *Nubere* de concubitu, ut *mulier* pro concubina: vid. Oudendorp. ad Sueton. Aug. c. 69. De Bavio ejusque fratre egi in Comment. *d. Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 6 sq.

III. Suetonius d. illustr. Gr. c. 9. de Orbilio: „Fuit autem naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Ho-

ratius significat, *plagosum* eum appellans, et Domitius Marsus scribens,

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit."

Ediderunt hoc Fragmentum H. Stephanus itemque Broukhusius. Suetonius non indicat, quo in Marsi opere hic versus fuerit lectus. Ego suspicor ad *Cicutam* pertinere: quo nomine non singulare quoddam carmen dictum fuisse credo, sed integrum epigrammatum librum, cum singulos singulis titulis discretos prodiisse libros veri sit simillimum: id quod jam Broukhusius censet, qui apposite Martialis *Xenia* atque *Apophoreta* confert: cf. etiam Burmann. ad Anthol. Lat. l. c. Atque ille epigrammatum liber haud scio an complexus sit ejusmodi epigrammata, quibus Domitius Marsus poetas virosque doctos eorumque mores perstrinxerit, ideoque propter acerbitatem toti libro *Cicutae* titulum fecerit. Ita apud Horatium Sat. II, 3, 69. et 175. fenerator quidam avarus, Perillus v. 75., propter asperitatem et amaritudinem morum *Cicuta* cognominatus est, teste Acrone ad v. 69. Mera quidem, fateor, est conjectura, nec tamen plane rejicienda, qua ductus supra §. 2. dixi Domitium Marsum videri usum esse Orbilii institutione et disciplina, cujus saevitiae vir factus aeque atque Horatius meminerit, eamque epigrammate irriserit.

IV. Suetonius d. illustr. Gr. c. 16. „Q. Caecilius Epirota, Tusculi natus, libertus Attici — ad Cornelium Gallum se contulit, vixitque una familiarissime, quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto objicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli, scholam aperuit. — Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poetas novos praelegere coepisse, quod etiam Domitii Marsi versiculus indicat,

Epirota, tenellorum nutricula vatum."

In hoc versu quantum insit fellis et acerbitatis, docet v. *nutricula:* ut etiam Ciceroni in Vatin. c. 2. dicitur *Gellius nutricula seditiosorum omnium.* Poetas novos et aequales per ludibrium dici *tenellos vates*, apertum est, quorum enarrationem in scholis, a Caecilio Epirota introductam, improbaret Domitius Marsus. Hic igitur ex iis erat,

quos Horatius in Epistola ad Augustum indignabundus scribit ad Fastos redire, virtutem annis aestimare nihilque mirari, nisi quod Libitina sacraverit. Ecce principem caussam dissensus, quo Horatii animum a Marso alienatum fuisse probabile fit. Neque, quae erat utriusque poetae indoles, mirum, si iste judiciorum dissensus subinde in mutuam abiret inimicitiam et simultatem, ita ut alter alterius sententiam et voce et scriptis palam impugnaret. Etenim tempus non obstat, quominus Marsum, veterum fautorem, qui, ut ex hac Caecilii Epirotae irrisione colligimus, adolescentes, illius auditores, *exesos tineis opicasque evolvere chartas* mallet, quam novorum poetarum opera, obversatum esse suspicemur Horatio ad Augustum scribenti v. 88. *Ingeniis non ille favet plauditque sepultis; Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.* Cum enim Caecilius Epirota, ut Suetonius testatur, post Cornelii Galli damnationem et mortem, h. e. post a. U. C. 728. Romae scholam aperuerit coeperitque praelegere Virgilium aliosque poetas novos; patet illud Marsi epigramma scriptum editumque esse eodem circiter tempore, quo Horatius cum Artem Poeticam, quae dicitur, tum etiam Epistolam ad Augustum exaraverit.

V. Diomedes Libr. I. p. 304. P. „Oleo unguentum. Cicero in Antonium: *Frustis esculentis et vinum redolentibus.* Et Marsus:

— — *hircum et alumen olens.*“

Recte hic vidit Broukhusius posteriorem Pentametri partem, neque tamen, unde sumptum esset hoc Hemistichium, aperuit. Mihi quidem videtur pertinuisse ad Marsi epigrammatum libros, atque ex eo epigrammate depromptum, quod fortasse in Maevium composuerat. Quis enim verisimile esse neget, Marsum, qui Bavio non pepercerit, intactum reliquisse Maevium, *olentem* istum bonorum poetarum obtrectatorem, cui Propempticon scripsit Horatius Epod. X.? cf. Comment. *d. Q. Horatii Fl. Obtrectatoribus* §. 7.

VI. Charisius Inst. Gr. Libr. I. p. 55. P. s. v. *callus.*

„Callum neutro genere dicitur. — Sed Marsus Fabellarum nono, masculino sic:

— — *callum sibi pectore quemdam.*“

De hoc Fragmento, quod jam H. Stephanus et Broukhusius attulerunt, quid mihi videatur, exposui supra §. 5.

VII. Priscianus Libr. V. p. 657. P. „Varro in II. rerum rustic. *adipes illa*, pro adeps. Marsus: *Adipis pondo viginti vetustae.*“ Ita edidit Putschius repetiitque Broukhusius. Krehlius Tom. I. p. 195. nihil de lectionis varietate monens typis describi jussit: „*Adips ponto XX. vetustae.*“ Haud dubie operarum est error! Sed Varronis locus cum nusquam in ejus opere inveniatur, suspicatur Forcellini s. h. v., Priscianum depravato Codice usum esse. Caeterum haec ex quo pedestris orationis opere hausta sint, supersedeo quaerere.

DE

Q. HORATII FLACCI OBTRECTATORIBUS.

§. 1.

Quae fuerit, Augusto imperante, poeseos apud Romanos ars ac disciplina, quaeque poetarum, illo florentium tempore, studiorum ratio, ex nullo, opinor, scriptore melius intelligi certiusque cognosci potest, quam ex Q. Horatii Flacci Satiris atque Epistolis. Si quis autem haec praestantissima ingenii animique monumenta umquam justa attentione diligentique cura tractavit, ei non dubitamus quin permira fuerit visa gravis ac veluti aculeata severitas, qua Horatius in aestimandis veterum Latii poetarum aeque atque aequalium nonnullorum operibus usus est. Antiquos enim si spectamus poetas, nullus eorum, quotquot a Livii Andronici aetate i. e. a. U. C. 514. vixerunt et poeseos studio inclaruerunt, reperitur, cujus poemata, licet Cicero aliique multi erectioris mentis viri ea in deliciis haberent et, ut ipse Horatius Epist. II. 1. v. 60. cum aliqua indignatiuncula ad Augustum scribit, Roma potens ediscceret et arto stipata theatro spectaret, satis ei fecerint et omni ex parte fuerint probata. In Lucilio quidem vituperando ac deprimendo erunt fortasse qui mutuae aemulationi in eodem carminum genere aliquid tribuendum censeant, si quidem ille, primus insignem in Satira adeptus laudem, Horatii aetate longe plures sine dubio majoresque haberet admiratores, quam quos sua adhuc memoria eum habuisse tradit Quintilianus Inst. Or. Libr. X. 1. §. 93., qui ita ei dediti erant, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus

poetis praeferre non dubitarent. Sed quid caussae eum impulerit, ut Ennium et Pacuvium eorumque dramatica opera, quae Cicero, licet fortasse nimis amicus Romano nomini, Libr. I. d. Fin. c. 2. Euripidis fabulis aequiparat, contemptim et cum aliqua irrisione commemoraret [1]), et de Plauti numeris salibusque secus quam alii statueret, eique in describendis ac repraesentandis hominum moribus veritatis artisque laudem denegaret; est profecto, quod animum advertat et diligentiore meditatione dignum videatur [2]).

---

1) Libr. II. Epist. 1. v. 56., quem locum alio nomine jam allegavi in Comment. *de Hostio Poeta* §. 8. N. 17. Pacuvii laudibus obtrectavit etiam Lucilius, teste Gellio N. A. Libr. XVII. c. 21 extr., quo Naekius in Progr. Academ. Bonnae 1823. et Stieglitzius d. Pacuvii Duloreste (Lips. 1826.) p. 6. N. 10. referunt Fragm. Satir. Libr. XXIX. 63. p. 234. Bip. „*Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.*“ Hoc Lucilii vituperium manifesto spectat dictionis asperitatem et duritiem, quam item carpit Persius Sat. I. v. 77. „*Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta:* ibique vide peracutam Passovii adnotationem p. 295 sq. Alia autem Pacuvium vituperandi caussa fuit Horatio, alia Persio.

2) Falluntur, qui in Plauti laudem interpretantur locum Horatii Libr. II. Epist. 1. v. 170.

Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi.

ubi vv. *quo pacto εἰρωνικῶς* accipi debent pro: quam male, quam parum accurate personarumque moribus convenienter *tutetur* i. e. exhibeat et per fabulam servet. Cf. Augustii Comment. de h. l. in Rupertii et Schlichthorstii Commentatt. Philolog. Vol. V. p. 10 sqq. In eadem Horatii Epistola dicitur v. 58.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,

quo item continetur vitiosae festinationis crimen et celeritatis, quae inimica est consilii et diligentiae. Apertius autem Plautum reprehendit in Epistola ad Pisones v. 270.

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Hoc in loco Codd. Msti et editt. vett. pari fere numero et auctoritate dant *nostri* pro *vestri:* illud paullo cupidius impugnant Bentlejus et Fea, hoc argutius defendunt. At v. *vestri* quum ad Pisones refertur, dubitari potest, satisne prudenter et urbane eorum majoribus stultitiam exprobraverit Horatius? Mihi potius videtur poeta, qui modo commendaverat suis aequalibus Graecorum studium, suo de more aliquem fingere sibi objicientem: at nostri *proavi* i. e. majores Plauti numeros salesque laudaverunt; ad quae poeta regerit: utrumque mirati sunt nimia patientia, ne dicam, stultitia, si modo ego et vos, o Pisones, quos hic allocutus judices facit secum sentientes et doctos, scimus *seponere* i. e. distinguere in-

Num haec veterum ingeniorum censura, ab Horatio non per occasionem forte oblatam, sed quaesitam haud raro et studiose arcessitam facta, fuerit aequa et aliena ab omni judicandi cupiditate, non vacat hic explorare. Eam tamen a nonnullis aequalium male acceptam esse, inde liquido patet, quod Horatius, ut suam aliis sententiam approbaret et nominatim Augusto in pulcherrima illa epistola, quam verum sit justumque suum de illis judicium, persuaderet, omnem dedit operam, atque in eos, quorum judicium a suo discreparet quique labefactatam veterum poetarum auctoritatem tueri eorumque laudem salvam intemeratamque praestare studerent, non tecte ac leniter, sed aperte dictoque nomine, nunc admirabili urbanitate et festivae *εἰρωνείας* aculeis, nunc indignationi atque irae totus indulgens vehementi et propemodum illiberali verborum asperitate invectus est. Atque hic ipse, quo Horatius incalescit, disputandi suamque sententiam defendendi fervor satis documento est, severiorem illam veterum poetarum censuram minime profectam esse ex solita animi humani ratione atque indole, qua alii aliud probetur aut improbetur [3]); sed

---

urbane dictum ab eo, quod elegans est et lepidum. Locus igitur fortasse sic est distinguendus:

„*At nostri proavi Plautinos et numeros et*
„*Laudavere sales;*“ *nimium patienter utrumque,*
Ne dicam, stulte mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Alii Codices hic *dictum* offerunt ex correctione: ita Satir. II. 2. v. 58. *Sordidus a tenui victu* pro *victus:* ut ad h. l. Bentlejus et Heindorfius docuerunt; similes dicendi formas ex Graecis collegit Lobeckius ad Sophoclis Ajac. v. 275. p. 261. In proavorum illorum, qui Plautinorum jocorum urbanitatem laudarunt, numerum referri potest etiam Cicero d. Offic. Libr. I. c. 29. ibiq. Heusingerus p. 242. et Beierus T. I. p. 225. Sed Horatius *numeros* quoque Plautinos carpit, quorum *ἀῤῥυθμίαν* ab indoctis pariter ac doctis sentiri posse vv. *digitis et aure* facete significat. Copiose h. l. illustravit Santenius ad Terentian. Maur. v. 1632. p. 164. Plauto non defuerunt patroni, qui caussam ejus contra Horatium tueri conniterentur, ut Pareus, Dan. Heinsius et H. Stephanus d. Plauti Latinitate. Paris. 1576. Fallitur autem Vavassor. d. dictione ludicra Sect. II. c. 1. p. 175. ed. Lips., opinatus, Horatium hic non tam suum, quam Augusti totiusque saeculi sui judicium exprompsisse. Verius hac de re judicavit Augustius in Rupertii et Schlichthorstii Commentatt. Philol. I. c. p. 14 sq.

3) Praeclare Cicero in Orat. c. 11. „*Sed in omni re difficillimum est, formam (qui χαρακτὴρ Graece dicitur), exponere optimi: quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit*

caussas extrinsecus accessisse alias, quae ejus animum offenderent et in veterum poetarum Manes veluti exasperarent. Jam si temporis, quo in lucem edita sunt Horatii poemata, rationem et ordinem sequimur, dubio caret, eum, cum ab initio non nisi Lucilium, suum in Satira antecessorem, vituperasset, et hoc vituperio, quantumvis leni et justo, apud ejus admiratores offendisset, horum obtrectatione et iniquo de suis Satiris, quas Lucilianis postponerent, judicio fuisse exacerbatum et inductum, ut, quam antea de uno Lucilio tulisset sententiam, latius extenderet et ad confutandos stultos veterum vatum amatores, quidquid in illorum carminibus esset vitiosum ac reprehensioni obnoxium, studiosius rimaretur et copiosius declararet. Multa profecto et perspicua in Horatii carminibus insunt indicia, quae hanc sententiam comprobent nec paucos illo tempore Romae exstitisse doceant, qui pro solito humanae malignitatis vitio vetera in laude, praesentia in fastidio haberent, et Horatii judicio de antiquis Latii poetis offensi horum patrocinium susciperent et in eorum laude defendenda fortes ac pertinaces sociis armis cum illo digladiarentur. Quaecumque igitur Horatius hac de re partim in Satiris partim in Epistolis scripsit, ea omnia mihi adversus neminem alium videntur scripta esse, quam contra malevolos carminum suorum obtrectatores, quippe qui, ut insipidae scilicet plebi sapere viderentur, superciliosi optimorum poetarum censores existerent, bonam eorum famam atque existimationem invido dente arroderent et, quo magis aliquis ingenio carminumque praestantia pollebat atque ob has virtutes Augusti, Maecenatis aliorumque principum virorum benevolentia et amicitia florebat, eo audentius eum petulantiusque aggrederentur.

Id quam verum sit, ea etiam docent, quae Virgilio acciderunt. Hunc ipsum enim, simulac famam aliquam ingenii consecutus fuit, mordacium turba poetarum sive

---

a communi more verborum: Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus, multa apud alterum negligentius. Fac alium, Attio. Varia enim sunt judicia, ut in Graecis, nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat."

potius versificatorum allatrabant et malevola ducti invidentia singulos carminum ejus versus ac dictiones insulsissimo acumine carpebant adeoque furti eum insimulabant: nam Q. Octavium Avitum *Ὁμοιοτελεύτων* octo volumina edidisse, in quibus, quos et unde transtulerit Virgilius versus, putida adnotatum esset diligentia, memoriae traditum legimus ap. Donatum in Vit. Virgilii XVI. §. 64. Quae quidem criminatio Q. Asconio Pediano digna est visa, quam singulari libro contra Virgilii obtrectatores confutaret: ex quo libro probabile est hausta esse, quae Donatus l. c. §. 61 — 65. hac de re memoriae prodidit [4]). Quis fuerit iste Q. Octavius Avitus, aliunde non constat: nec magis noti sunt Herennius et Perilius Faustinus, quorum ille odiosa cum industria collegisse perhibetur admissa a Virgilio vitia, hic ejus furta, quae isti homines male docti in Aeneide potissimum notabant. Nam, Asconio auctore, objectum ei est, quod non recte historiam contexuerit et quod pleraque ab Homero sumpserit. Hanc malevolam et indoctam hominum istorum sedulitatem nemo mirabitur, si reputaverit,

---

4) Donatus in enarranda vita Virgilii ad Asconii Pediani auctoritatem provocat c. V. §. 21. c. XVII. §. 65., eademque usus est Servius ad Eclog. III. v. 105. et IV. v. 11. Et Philargyrius ad Ecl. III. v. 105. ait, ab Asconio auditum esse Virgilium loquentem. Hinc eum Virgilio aetate supparem fecerunt multi Viri Docti, in his etiam Ang. Majus in Praefat. alter. ad Cicer. Oratt. Fragm. p. XXXIX. ed. Beieri, qui et ipse non alienus est ab hac sententia. At, qui nuper in Q. Asconii Pediani aetatem accuratissime inquisivit, Io. Nic. Madvigius, Phil. D. Hauniensis (Hauniae 1828.), extra omnem posuit dubitationem, Virgilium, a. U. C. 735. vita defunctum, ab Asconio ne puerulo quidem videri potuisse, utqui probabiliter natus fuerit a. U. C. 756. Cum Asconii studia in veterum scriptorum subtiliore cognitione et de iis judicio et in historia maxime fuerint occupata, ut docuit Madvigius l. c. p. 18 sq., et is in scribendo libro de obtrectatoribus Virgilii auctoribus uti potuerit poetae Mantuani aequalibus; in promptu est videre, eum scriptorem de vita rebusque Virgilii fuisse fide dignissimum. Sed quaeritur, ipsone Asconii libro usus sit Donatus, nec ne? Madvigius l. c. N. 5. p. 20. negat, Donatum, quae tradiderit de Virgilio, ex ipso Asconii libro hausisse; cujus sententiae cum Vir Doctissimus nullas addiderit rationes, equidem assentiri dubito. Primum enim Donatus illius libri titulum solus commemoravit; deinde, quoties Asconii testimonio usus est, de eo tamquam auctore ac teste locutus est, quem ipse consuluerit, ut c. V. §. 22. „*Sed Asconius Pedianus affirmat.*“ c. XVII. §. 65. „*Refert etiam Pedianus.*“ Quis credat, Donatum ita scribere posse de rebus, quas ipse ab antiquioribus Grammaticis traditas acceperit? Denique non video, cur Donato illius libri copia fieri non potuerit?

quam gratiosus fuerit Virgilius apud Augustum, Maecenatem aliosque civitatis principes, et quanta omnium de Aeneide exspectatio: cujus rei testem sufficiet unum nominasse Propertium Libr. II. Eleg. 25. v. 61 sqq. Postquam igitur Aeneis in lucem emissa erat omniumque plausum tulerat, non mirum hercle est, prorupisse pusillorum hominum gregem, qui Virgilii gloriae et honori tum voce tum scriptis maligne obtrectarent et in divino illo opere tamquam naevos rimarentur. Commemoratur Aeneidomastix, Carvilii Pictoris cujusdam liber, qui soluta an ligata scriptus fuerit oratione, ut Maevii aut Bavii Antibucolica, non habeo dicere. At erunt fortasse, quos male habeat M. Vipsanius Agrippa hos inter Zoilos a Donato memoratus, qui Virgilium novae κακοζηλίας repertorem appellasse dicitur a Maecenate suppositum. Equidem hac de narratione quid sentiam, breviter exponam. Agrippa, quem militia meliorem quam doctrina, et antiquae disciplinae studiosum fuisse constat, fortasse Graeca Virgilianae dictionis elegantia non magnopere delectatus, in ea sibi visus est procul dubio deprehendere Maecenatis, amici sui, calamistros et κακοζηλίαν, non tumidam illam, quam in Maecenate a veteribus notatam esse scimus, neque exilem, sed ex communibus verbis et ideo labentem et in deterius vergentem: hinc Virgilium novae κακοζηλίας repertorem appellavit [5]). Id autem non dubito affirmare et pro certo habere, haec ab Agrippa per jocum aliquando esse dicta ad carpendum Maecenatem, calamistratum discinctumque amicum, minime ad reprehendendum Virgilium, quem suae virtutis praeconem invenerat: vide Aeneid. Libr. VIII. v. 682 sq. Imprudens igitur Donatus inter Virgilii obtrectatores retulisse existimandus est Agrippam, cujus dictum fortasse Asconius Pedianus in libro contra Virgilii obtrectatores obiter tantum tetigerat. Summa profecto injuria vir, cui Horatius, studii in eum et admirationis plenus, Libri I. odam sextam inscripsit, eo in numero ac loco habeatur, in quo

5) Non opus est, ut cum Heynio ad Donati Vit. Virgil. c. XVI. §. 62. v. *labentis* suspectemus et in v. *labantis* mutemus, si eo, quo fecimus, modo illud verbum acceperis.

cum alii, tum imprimis Maevius et Bavius reponi debent; utrumque enim poeta Mantuanus et Venusinus communes habuere adversarios et laudis suae obtrectatores, ut §. 6. docebimus.

§. 2.

Cum igitur obtrectatorum cavillationibus ineptiisque ipse Virgilius vexaretur, candidissimi poeta animi (vid. Horat. Sat. I. 5. v. 40.) et omnium bonorum atque eruditorum cultor, qui, omnis invidiae si quis alius immunis, haud dubie neminem prius violarat dictisque lacessiverat: quid mirum, si Horatius, qui aequalium suorum et corruptos mores et perversa litterarum studia libere notare et acriter castigare sustinuerat, in multorum incurreret reprehensionem atque odia? Accedebat acerbior quaedam judicandi libertas nescio dicam an lubido, qua ille poetarum vel vivorum adhuc vel nuper mortuorum opera percenseret, errores cum irrisione exagitaret et ipsis nonnumquam personis petulanter illuderet [6]). Hinc factum est, ut in sum-

---

6) Haec intellecta volo de *Furio*, turgido illo Alpino, Sat. I. 10. v. 35., II. 5. v. 41., quem viventem adhuc vegetumque senem ludificatus est Horatius, ut probavi in *Comment. de M. Furio Bibaculo* §. 3. Contra *Cassium Etruscum* jam tum vita functus erat, cum Horatius Sat. I. 10. v. 61. scribebat: „*Etrusci Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium, capsis quem fama est esse librisque Ambustum propriis.*“ Ambiguum autem est, utrum *Pupius*, poeta tragicus, quem ὡς ἐν παρόδῳ carpit ad Maecenatem scribens Epist. I. 1. v. 65.

Ime tibi melius suadet, qui, rem facias, rem,
Si possis, recte, si non, quocunque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi:

tum temporis in vivis adhuc fuerit, nec ne? Apertum est, Horatium hic elevare voluisse honorem sedendi in quatuordecim ordinibus (Sueton. Octav. c. 14.) spectandique ludos, competentem nemini nisi Equiti, ut quingentorum HS. possessori: hinc speciatim mali poetae tragoedias commemorat. Jam Ennii, Pacuvii, Attii aliorumque excellentium Tragicorum fabulas Romae iterum iterumque datas esse novimus; at quis credat, eumdem honorem tributum esse vilis poetae, quamvis antiqui, tragoediis? Spectatas tamen esse Pupii tragoedias Horatii aetate, is ipse, quem tractamus, locus credere nos jubet, alioquin omnis ejus vis perit atque acumen. Si vero ille aliquam nominis claritatem fuisset adeptus, permirum est, quod nemo veterum ejus mentionem fecerit. Quapropter ego suspicor, Pupium fuisse Horatii aequalem, qui tragoediis scribendis operam daret, caetera homo obscurus nullaque cum Horatio junctus familiaritate. Ejus tragoediae cum ederentur non sine populi plausu, sed Horatio displicerent, eas hic quasi aliud agens multo cum acumine profert

mam eorum veniret invidiam, qui tunc temporis Romae vel ipsi arti poeticae operam navabant vel judicandi de poematis facultatem sibi arrogabant. Hi enim poetae proletarii, quorum ingentem numerum tum in Urbe vixisse discimus ex Sat. I. 4. v. 140., Epist. II. 1. v. 109. et 117., et alii elegantiorum litterarum studiosi prae caeteris videntur fuisse, qui sive ulciscendi cupiditate sive cavillandi libidine Horatii carmina, imprimis Satiras, apud populum in contemptum et invidiam adducere haud irrita opera studerent. Conceptam inde indignatiunculam effundit Horatius Sat. I. 4. v. 21.

Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos.

Haec scripsit a. U. C. 715., et duodecim annis post, cum Satirarum librum secundum editurus esset a. U. C. 727., Libri II. Satiram primam simili querela exorsus est:

Sunt, quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus: sine nervis altera, quicquid
Composui, pars esse putat, similesque meorum
Mille die versus deduci posse.

Isti enim homines Horatium ne poetae quidem nomine di-

---

et, cur sibi displiceant, uno nomine „*lacrimosa*“ indicat. Pupius iste per unum Horatium nobis innotuit, ubi Scholiastes Cruq. p. 510. „*Puppius tragoediographus ita movit affectus spectantium, ut eos flere compelleret: inde distichon fecit:*

Flebunt amici et bene noti mortem meam,
Nam populus in me vivo lacrymavit satis.“

quocum consentit Acron p. 398., nisi quod in edit. Basil. 1555. absurde legitur v. 2. „*Num Puppius in me vivo lachrymatus est.*“ Illustravit hoc epigramma Burmannus in Anthолog. Latin. Libr. II. ep. 218. Vol. I. p. 406., a quo scriptum est v. 1. *morte in mea*, et v. 2. *populus etiam vivo me lacrumatus est.* Vulgo nomen ejus ap. Horatium in Metis exaratum erat: *Puppi:* quae scriptura firmari potest Inscr. ap. Gruter. p. 460, 8. et Cenotaphio Pisano ap. Noris. Tab. I. Sed recte Bentlejus ex aliq. Codd. edidit: *Pupi*, eamque scripturam erudite adstruxit, sequente Fea ad h. l. Adde Drakenborch. ad Livii Libr. IV. c. 54. §. 3. Vol. II. P. 2. p. 437. et Schneideri Grammat. Latin. I. 2. p. 427. Gens *Puppia*, quam Fea diversam esse monet a gente *Pupia*, mihi incognita est. *Pupios* collegit Glandorpius in Onomast. p. 730 sqq.

gnum esse dictitarunt ob Satiras, tenue ac vile carminum genus: hinc, quo gravius vanissimos istos obtrectatores pungeret, ipse mira festivitate se poetarum numero exclusit Sat. I. 4. v. 39.

Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero; neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.

Neque sine acumine in eadem Satira v. 56 sq. suas Satiras cum Lucilianis componens dicit, utriusque si dissolvas versus iisque tempora certa modosque eripias, nil nisi pedestrem existere sermonem, omni carentem spiritu et gravitate; contra si versui

„*Postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes portasque refregit;“

idem facias, tamen inveniri disjecta membra poetae h. e. agnosci adhuc posse in solutis verbis ingenium poeticum et os magna sonaturum. Hunc autem versum Ennii esse, testantur Scholiastae, unde simul patet, Horatium nequaquam Romano nomini adeo inimicum fuisse, ut, Graecis unice favens, veteres Latii poetas prorsus fastidiret aut ad eorum virtutes caecutiret. Sed, ut jam dixi, irritatus a malevolis suorum carminum vituperatoribus et caecis veterum poetarum admiratoribus, in notandis cum aliorum, tum antiquorum imprimis poetarum vitiis copiosior severiorque erat, non quo meritae eorum laudi quidquam detraheret, sed ut obtrectatorum suorum vituperia repelleret, ipsosque, tamquam judices insulsos fastuque plenos, derideret.

§. 3.

Haec quam probabili modo a nobis sint disputata, clarius patebit, si ipsos illos, qui partim Horatii de Lucilianis Satiris judicio offensi virtutem ejus ac laudem detrectarent, partim alia ratione ejus bilem moverent, accuratius cognoverimus. Ab ipso poeta in nobilissima illa Satira decima, quam, editurus librum primum Satirarum, tamquam Epilogum et suorum ex hoc genere carminum Apologiam a. U. C. 723. scripsit, isti homines dictis nominibus

commemorantur et quasi in scenam producuntur. Postquam judicium, quod de Lucilio fecerat Satira quarta, copiosius exposuerat et confirmaverat, aequum justumque se praebiturus judicem, pergit v. 64.

Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues [7]).

---

7) Controversum est hodieque, utrum *Lucilius* an *Ennius* ab Horatio v. 66. dicatur *auctor carminis rudis et Graecis intacti?* Scholiastae vett. unanimi consensu intelligunt Lucilium, *quia*, ut Acron dicit, *primus Satyram Graecis intactam versibus Hexametris scripsit, etiam Graecis auctor hujus operis est. Antea enim soli Comici mores suorum carpebant apud Graecos. Quia dicuntur Graeci Satyram non puram scripsisse:* quem locum cum Io. Laurentii Lydi d. Magistr. Rom. Libr. I. §. 41. testimonio contendens tractat Reuvens in Collectan. Litter. Sect. III. §. 2. p. 81. Et ita veteres interpretes, quos novi, omnes h. v. de Lucilio acceperunt, alius alio contortius verborum nexum et sensum constituentes; ita Cruquius dicit, v. *quam* medium tenere locum inter comparativum et positivum ejusdem casus, non satis usitata structura, ut ipse fatetur: usitatius namque dixisset Horatius: limatior, quam rudior. Lambinus, primum recte monens, n. *rudis* patrio casu accipiendum esse, h. l. ita expedit, ut sensus sit: demus, Lucilium limatiorem esse, quam auctorem Satyrae Graecis intactae esse videmus h. e. quam ipse sit. Veriorem interpretandi rationem inierunt Duumviri aequales, ita ut, utri inventionis laus sit tribuenda, nesciam, Is. Casaubonus et Jan. Rutgersius: modo uterque manum emendatricem ab hoc loco abstinuisset! Rutgersius enim in Venusin. Lectt. Cap. XX. p. 357. (Traj. Bat. 1699.) primum correxit: *at Graecis* etc. hoc sensu: „esto, fuerit Lucilius limatior et Ennio, illo quidem rudi, sed tamen intactae Graecis Satyrae inventore, et reliqua cascorum vatum turba, nihil tamen ad nostrorum poetarum limam.“ Rutgersius igitur v. *rudis* recto casu sumpsit de Ennio, ut ap. Ovid. Trist. II. v. 434. „*Ennius ingenio maximus, arte rudis.*“ Idem tentabat: *Quam Rudiis Graecis intacti carminis auctor:* eamque loquendi formam *auctor Rudiis* pro *Rudinus* contulit cum loco Plauti Mercat. V. 2. v. 99. „*Video ibi hospitem Zacyntho*“ i. e. *Zacynthium.* Verum tamen multo rectius de h. loco disputavit Casaubonus d. Satyr. Graec. poesi et Rom. Satira Libr. II. c. 2. p. 198. Ramb., qui „Manifesto, inquit, Horatius his verbis comparat *Lucilium* cum primis poetis Latinis: quorum de numero unum separat, tamquam primum auctorem carminis Graecis intacti, hoc est, Satirae. — Poeta, quem designat, non nominat, *Ennius* est. Ac fortasse scripserat poeta: *Quam Rudius, Graecis intacti carminis auctor:* cl. Ciceron. pr. Archia Poet. c. 10. *Rudium hominem majores nostri in civitatem receperunt.*“ Huic conjecturae ipse Casaubonus non multum tribuisse videtur, licet eam tantum non necessariam appellaverit.

Ne igitur ipse, Satiras scribens, pariter ac Lucilius lutulentus fluat mendososque faciat versus, quales Lucilianos esse dixerat, ad semet ipsum conversus ait v. 72.

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus, neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego: nam „satis est equitem mihi plaudere,“ *ut audax*
Contemtis aliis explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?

En obtrectatorum gregem! Age, hos homunciones, quibus tam pulchre illudit Horatius, singulatim consideremus.

Merito eam rejecerunt N. Heinsius ad Vellej. Pat. II. c. 9. et Dacerius ad Horat. Sat. c. T. VI. p. 404., sed Casauboni interpretationem de Ennio jure amplexi sunt. Casaubonus v. *rudis* secundo casu accipi jubet, nisi quis velit purissimum poetam ὑπό τι βαρβαρίζειν. Ita jam Lambinus, et recte quidem. Nam *auctor carminis rudis* h. l. est Ennius, de quo similiter Valer. Maximus Libr. VIII. c. 14. 1. „*Vir* (n. Scipio Africanus) *Homerico, quam rudi atque impolito praeconio dignior:*“ ubi item Casp. Barthius correxit: *Rudio eoque impolito*, quod temere factum esse in confesso est. Casaubono tacite assensus est Bentlejus ad Horatii Epist. II. 2. v. 80., ubi haec: „Quae *intacta* sint *vestigia*, jam, opinor, vides. Noster de Ennio Serm. I. 10. v. 66. *Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor.*“ Sed nostra memoria Heindorfius veteri patrocinatus sententiae h. l. hunc voluit esse sensum: „fuerit Lucilius limatior, quam pro eo, quod auctor fuit rudis et Graecis intacti carminis.“ Heindorfii sententiam haud immerito impugnarunt Manso in Commentatt. Miscellan. p. 296. et Wachsmuthius in Athenaeo Vol. I. 2. p. 320. Nihilo tamen secius Bothius in Adnotatt. ad Feae Horat. p. 89. de Lucilio h. v. explicuit sic: „Do, limatiorem esse Lucilium, quam fuisse sit aliquis auctor carminis rudis et Graecis intacti.“ Miror Bothio adstipulatum esse eruditissimum Jahnium ad Horat. I. c. p. 261. Recte Doeringius Casaubonum secutus est, in eo tamen mirifice falsus, quod *carmen Graecis intactum* de Annalibus explicavit, quos Ennius fide historica scripserit. In aprico est, de Satira Romana sermonem esse Graecis incognita. Ennius autem, ut Scholiastae ad Horat. Sat. I. 10. v. 47. testantur, *quatuor*, et, si fides est Donato ad Terentii Phorm. II. 2. v. 25., *sex* libros Satirarum scripsit. Jam quamvis differret Enniana Satira ab Luciliana non tam genere carminis, quam materia et illius tractandae modo, ut perspicue docuit Casaubonus l. c. Libr. II. c. 3. p. 213.; tamen Ennius in hoc carminis genere exemplum praeiverat dicique poterat *auctor carminis*, quod esset *rude* i. e. nondum expolitum, et *Graecis intactum*, ergo novum neque a quoquam antea tractatum, ut Statius Sylv. III. 1. v. 67. *novos Pieridum flores intactaque carmina* dixit. Neque Ennius *inventor*, sed *auctor* Satirae dici-

Pantilius quis et unde fuerit, prorsus ignoratur. Scholiastes Cruq. nil nisi haec adnotavit: *Pantilius nomen est vilis poetae et maleolentis.* Cruquius ipse non male suspicatur, nomen e Graeco effictum esse, quo vilis aliquis poeta significetur; sed, quod affert vocabulum παντηλήϊος et *mutilus*, *vilis* explicat, id fateor me ignorare. Cum in Horatii Codd. Mstis hoc nomen etiam scriptum sit *Pantillius;* potior censenda est suspicio, isti homini, quaevis vellicanti et detrectanti, ab ipso Horatio nomen impositum esse ficticium παρὰ τοῦ πᾶν τίλλειν i. e. a vellicando, carpendo. Georgius Fabricius in suis Codicibus invenit *Partilius*, quod merum est verae lectionis mendum. Fabricio autem conjicienti, sub nomine Pantilii latere Bathyllum, celebrem Pantomimum illius aetatis, Maecenatis

---

tur: id quod bene animadverterunt Manso et Wachsmuthius. Auctor enim est, qui exemplum rei faciendae dedit; inventor is, qui aliquam rem certa via ac ratione primus tractat et ad certam aliquam legem revocat. Id cum in Satira fecisset Lucilius, appellatur v. 48. *inventor*, utqui ausus esset *primus in hunc operis componere carmina morem*, ut Horatius ait Sat. II. 1. v. 62. Atque in hoc operis more, a quo aliena erat Enniana Satira, primus insignem laudem adeptus erat Lucilius, ut Quintilianus Libr. X. 1. §. 93. testatur. Quintilianus vero minime negat, ante Lucilium fuisse, qui Satiras scriberent, sed tantum dicit, Lucilium in hoc carminum genere primum inclaruisse: quare etiam Ennium ut Satirarum scriptorem omisit. Horatius eum eo nomine commemorat, a Lucilii admiratoribus incitatus. Cum enim Satira quarta v. 11. dixisset, Lucilium lutulentum fluere; verisimile est, illius amatores et Horatianarum Satirarum obtrectatores id egisse, ut Lucilium limatiorem esse declararent cum omnibus poetis antiquioribus, tum maxime Ennio, qui Satiras scripserit. Quapropter Horatius Satira decima v. 50. illud judicium repetens v. 65. pergit: concedam, Lucilium limatiorem fuisse, quam Ennium et reliquam poetarum seniorum turbam; tamen *ille*, i. e. Ennius v. 67., meliore aetate si vixisset, melius etiam scripsisset. Ennium non nominat, sed designat vv. *rudis et Graecis intacti carminis auctor*, non sine ratione et consilio: his enim verbis significat, Ennium, si rudior Lucilio sit, excusationem habere ab aetate, qua vixerit, et a novitate carminis, quod primus omnium tentaverit, i. e. Satirae Graecis intactae. Ennio, Satirae Romanae auctori, subjungit Horatius reliquam poetarum seniorum turbam, cui idem concedit Lucilium praestitisse limatiore scribendi genere; sed tecte simul significat, nitorem et summam in excolendis operibus manum non tam ipsis, quam temporibus defuisse. In Lucilio enim festinationem reprehendit, utqui amaret *scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem coenatus*, ut ait v. 60. Hac insita interpretandi hujus loci ratione tum Horatii consilium magis perspicuum fit, tum orationi nulla vis infertur ac duritiei, cujus rei culpam, qui h. locum de Lucilio accipi malunt, vix effugere queunt. Praeterea de Ennii Satiris egit Ruperti in Proleg. ad Juvenal. Vol. I. p. XLV sqq.

libertum, de quo videsis Intpp. ad Dion. Cass. Libr. 54. c. 17. Vol. VI. p. 117. Strz., plura sunt quae obstent quam faveant. Hunc si laudis suae obtrectatorem habuisset Horatius, non dubito quin vero eum nomine perstrinxisset, etiamsi gratiosissimus esset apud Maecenatem, cujus effusum in illum amorem memorat Tacitus Ann. Libr. I. c. 54. ibiq. Lipsius. Spohnio, uti Jahnius ad h. l. p. 261. adnotavit, visus est ab Horatio tecte vellicari *Tullius Cimber*, obtrectator Virgilii unicus: cujus conjecturae ratio me pariter fugit, atque ipse ille *Tullius Cimber*. Non magis credo, Pantilium fuisse poetam, vilem licet ac contemptum. Hoc Scholiastes Cruq. pariter de conjectura dedisse videtur, atque illud, quod *maleolens* fuerit, quoniam ab Horatio *cimex*, vermiculus gravissimi odoris, appellatur: hinc etiam Acron et Porphyrion *cimex* interpretantur: *sordidus*, *foetidus*, *putidus*, *abjectus*. Sed, si quid video, vis convicii, quod utique inest, non tam in odoris gravitate et foetore quaerenda est, quam in pungendo et arrodendo, quod huic bestiolae proprium esse constat. Alio sensu Maevium *olentem* dictum fuisse, infra §. 7. videbimus. Ut autem hanc notionem illi verbo subjectam esse statuam, me inducit Antiphanis Epigramma V. in Anal. Brunckii T. II. p. 189. Lips., quod in Grammaticos, magna ingenia calumniantes et mediocria ad coelum efferentes, scriptum est:

Γραμματικῶν περίεργα γένη, ῥιζώρυχα μούσης
Ἀλλοτρίης, ἀτυχεῖς σῆτες ἀκανθοβάται,
Τῶν μεγάλων κηλῖδες, ἐπ' Ἠρίννῃ δὲ κομῶντες,
Μικροὶ καὶ ξηροὶ Καλλιμάχου πρόκνυες,
Ποιητῶν λῶβαι, παισὶ σκότος ἀρχομένοισιν,
Ἔρροιτ' εὐφώνων λαθροδάκναι κόριες [8]).

ubi v. 6. Grammatici dicuntur cimices poetas canoros clanculum mordentes, uti Pantilius fortasse Horatio non coram, sed clam obtrectabat, absentisque carmina apud populum vituperabat. Quod si illam vocem ita accipimus, in ea

8) Cf. Jacobs. ad h. l. in Animadvers. Vol. II. P. 2. p. 123., qui hujus Horatiani loci haud immemor fuit.

multo acerbiorem inesse malevoli hominis descriptionem, nemo non intelligit. Turnebus in Advers. Libr. XV. c. 19. adjuncta foetoris notione simul significari existimat contemptum et invidiam. Aliunde iste Pantilius nobis non innotuit, ejusque nomen, si non fictum est sed verum, docet, Graecae eum fuisse originis, et haud dubie ex isto hominum genere, de quo Juvenalis scripsit Sat. III. v. 58 sqq.

Neque notior nobis est *Demetrius*, qui, item Horatii obtrectator, absentem eum vellicabat. Idem ab Horatio carpitur tecto nomine in eadem Satira v. 18.

Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit neque simius iste
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

ubi Scholiastes Cruq. adnotavit: *notat M. quendam Demetrium, quem simium nominat propter deformitatem et brevem staturam: erat autem δραματοποιὸς h. e. modulator, histrio, actor fabularum, ad nihil aliud doctus quam ad carmina Lucii* (scr. *Licinii*) *Calvi et Valerii Catulli decantanda.* In Acronis scholio misere corrupto haec leguntur: *Demetrium quendam poetam significat, qui fuit brevis staturae;* et Porphyrion ad v. *Simius: Marcum Demetrium modulatorem propter maciem ac parvitatem corporis hoc nomine significat.* Hendorfius ad h. l. putat, ab Scholiasta Cruq. hunc Demetrium confusum esse cum Demetrio, clari nominis Comoedo, quem viderat Quintilianus Inst. Or. Libr. XI. 3. §. 178.; quod ego neque negare neque affirmare ausim, sicut in medio relinquam, fueritne Demetrius, Horatii obtrectator, poeticis studiis ac scriptis celeber? Modulatorem vero eum fuisse, ipse Horatius confirmat. Commemoratis enim sub finem Satirae decimae praestantissimis viris, qui ingenio ac doctrina clari Romae florebant et cum ipso amicitia et necessitudine juncti erant, optat, ut tam cordatis viris sua placeant carmina, et cum acerbitate et contemptu addit v. 90.

Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

In quo loco quantum sit salis, dubito, an satis assecuti sint Interpretes. Schol. Cruq. haec scripsit ad v. *discipularum: in schola mimarum. Vituperat eos poetas, qui pro discipulis habuerunt in scholis mimarum coetum et histrionum.* Nolui Heindorfium sequi corrigentem in Scholiastae verbis: *vituperat eos poeta, qui* etc., si quidem isti homines ab Scholiastis *poetae* dicuntur. Wielando ad h. l. N. 20. T. I. p. 312. suspicanti, v. *discipularum διλόγως* esse positum, quo tecte simul notetur incestus istorum modulatorum amor in pueros molles et pathicos, assensum praebet Heindorfius ad h. l. p. 225. Neque ego magno pere dissentio: aliter tamen Acron: *Hi modulatores fuerunt et docuerunt puellas ingenuas per modos, quia hoc tempore maximum earum studium fuit affectandi lyricam disciplinam:* quae paullo obscurius scripta sunt.

Illi modulatores seu phonasci fuerunt musici, qui peroranti modos, quibus vox intendi et remitti deberet, musico instrumento praeibant et omnino vocis tollendae vel submittendae regulas tradebant. Ejusmodi modulatorem a C. Graccho concionante in foro adhibitum esse, compertum habemus ex Cicerone d. Orat. Libr. III. c. 60. et Quintiliano Inst. Or. Libr. I. 10. §. 27. ibique Spalding. Vol. I. p. 224 sq. [9]). Ita Augustus, omnino dulci et proprio quodam oris sono pronuntians, phonasco assidue operam dabat, teste Suetonio c. 84. Neque ab omni probabilitate abhorret, illum Augusti phonascum fuisse ex Horatii obtrectatoribus aut Hermogenem Tigellium aut hunc ipsum, quo de agitur, Demetrium. Ille quam gratiosus apud Augustum fuerit, infra §. 4. docebimus; hunc, quem et ipsum peregrinae originis hominem esse, nominis ejus ratio nos dubitare non sinit, item floruisse si non Augusti, certe potentium in civitate virorum gratia, non tam ex eo colligo, quod iste Horatium poetam vellicare sustinuerit, quam quod ab illo dignus fuerit habitus, cui ut carminum suo-

9) Dignus etiam est qui de hoc C. Gracchi more legatur W. Tr. Krugius in *System der theoretischen Philosophie* Vol. III. p. 420. N. * * (Regiomont. 1810.)

rum obtrectatori hac in Satira ter illuderet. Sed quidquid ejus conjecturae est, id satis manifestum est, Demetrium, Horatii obtrectatorem, ex phonascorum genere fuisse, qui tum temporis Romae utriusque sexus homines canendi et perorandi modos docerent. Istud enim hominum genus in pretio atque honore tum fuisse, testatur Columella d. R. R. Libr. I. Praef. §. 3. „*Atque ego satis mirari non possum, quid ita dicendi cupidi seligant oratorem, cujus imitentur eloquentiam; mensurarum et numerorum modum rimantes, placitae disciplinae consectentur magistrum; vocis et cantus modulatorem, nec minus corporis gesticulatorem, scrupulosissime requirant saltationis ac musicae rationis studiosi.*“ Et Demetrius quidem instituit mimas, quas Horatius facete *discipulas* appellat.

Jam vero nobilium poetarum carmina in theatris esse recitata, constat ex Auct. Dialog. d. Oratt. c. 13. „*testis ipse populus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.*“ Quod testimonium gravissimi scriptoris mihi abunde firmare et omni dubitatione eximere videtur ea, quae partim Servius ad Virgilii Ecl. VI. v. 11., partim Donatus in Vit. Virgil. XI. §. 41. memoriae tradunt. Ille enim Eclogam sextam a Cytheride mima in theatro recitatam esse adnotat; hic tanto successu Virgilium Bucolica edidisse refert, ut in scena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur. Quae ibidem Servius et Donatus de Cicerone subjiciunt, qui, audita in theatro hac Ecloga, exclamasse dicitur: *Magnae spes altera Romae!* quasi ipse, ut Donatus ait, linguae Latinae spes prima fuisset et Maro futurus esset secunda, ea utique lepidis Grammaticorum commentis accensenda sunt cum Heynio ad Donat. l. c. p. LXXIX. et Io. H. Vossio in Argum. Virgil. Eclog. VI. p. 287. [10]).

10) Cicero a. d. VII. Id. Decembr. a. U. C. 711. occisus est, et Ecloga sexta a Virgilio composita verno tempore anni U. C. 715., ita ut hanc saltem Eclogam in theatro recitatam non potuerit audire. Quodsi cum Martino in Vit. Virgil. p. XXXIV. et ad Eclog. V. v. 86. statuimus,

Sed Heynius injuria dubitat, carminum recitationes Romae in theatro factas esse, uti docuit Langius in Vindic. Tragoed. Rom. p. 27. Neque dubitationem habent loci Ovidiani, ut Trist. Libr. II. v. 519.

Et mea sunt populo saltata poemata saepe;
Saepe oculos etiam detinuere tuos.

Heynio hunc locum Ovidii ad Medeam tragoediam referenti fraudi fuit Pentameter, quem videtur de apparatu scenico Medeae Ovidianae accepisse. At evidentissimum est, his verbis significari nihil aliud, quam carminum lectionem ab Augusto domi suae institui solitam [11]). Huic privatae ac domesticae carminum suorum lectioni opponit Ovidius publicam eorum in theatris recitationem, eaque *saltata* esse dicit, quia histriones ea recitantes gestum motumque illis accommodarent. Et prae caeteris perspicuus ea de re testis est Ovidii locus Trist. Libr. V. Eleg. 7. v. 25., ubi ille amico cuidam scripsit:

Carmina quod pleno saltari nostra theatro,
Versibus et plaudi scribis, amice, meis:
Nil equidem feci (tu scis hoc ipse) theatris,
Musa nec in plausus ambitiosa mea est;
Nec tamen ingratum est, quodcumque oblivia nostri
Impedit et profugi nomen in ora refert.

Jam sicut carmina poetarum, quae histriones, mimi mimaeque in theatro recitabant cum gestu et accommodato motu, *saltata* poemata dici solebant, ita eadem in theatro *cantari* dicebantur, quoniam rhythmica quadam vocis modulatione recitarentur. Ista histrionica declamatio seriori tempore etiam rhetorum scholas invasit: qua de re questus

---

Eclogam secundam, omnium primam, jam a. U. C. 709. scriptam esse, eaque Virgilium innotuisse etiam C. Julio Caesari, intelligamus licebit *Alexin*, juvenile quidem carmen, sed tot tamen tantisque conspicuum virtutibus eximiique ingenii indiciis, ut summa quaevis de Marone augurari posset Cicero senex. Sed hujus Eclogae scriptio rectius ad initium anni U. C. 712. rejicitur a Jahnio in Introd. in Virgil. p. XI. Illud tamen memorabile est, Servium haec ab antiquioribus Commentatoribus tradita accepisse: id quod expressis verbis adnotavit.

11) Sicut Ovidius dixit, sua carmina *detinuisse oculos* Augusti, ita Horatius Libr. I. Epist. 13. v. 17. sua appellat *Carmina, quae possint oculos aureosque morari Caesaris.*

est Auctor Dial. de Oratt. c. 26. „*quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique jactant, cantari saltarique commentarios suos:*“ ibique vid. Schulzius p. 106. [12]). Hinc, opinor, planum cuique erit, quo sensu Demetrius ab Horatio dicatur doctus cantare Calvum et Catullum. Demetrius cum, si Scholiastae Cruq. fides est, histrio et fabularum actor esset, aut ipse in scena Calvi et Catulli poemata recitabat, aut, quae sententia ob testimonium Horatii v. 90. mihi potior videtur, mimas docebat cantare, hoc est, recitare in theatro illorum poetarum carmina [13]). Hoc si ponimus, primum haud difficile est explicatu, qui factum sit, ut Horatius Calvum et Catullum, utrumque poetam non ignobilem, parum honorifice et alto supercilio commemoraverit: nam aut egregie fallor, aut Horatius, unus ex irritabili vatum genere (cf. Epist. II. 2. v. 102.), quamvis se contemnere dicat in hac Satira istorum homuncionum sui contemptum, tamen humani quid passus, non concoquere potuisse videtur, id honoris sibi nondum contigisse, quod Calvo et Catullo per istorum operam et studium contigisset. Deinde lux quaedam accenditur eis, quae obscure de studio affectandi lyricam disciplinam dixit Acron Scholiastes. C. Licinius Calvus, etiam orator clarissimus, et C. Valerius Catullus fuerunt lyrici poetae et, teste Gellio N. A. Libr. XIX. 9., unici Romanorum, qui tam fluentes carminum delicias, quales inter Graecos Anacreon, fecissent. Ejusmodi vero carminum delicias molli quadam verborum sensuumque petulantia diffluentes sicut Horatius, suapte ductus natura et

12) Verbum *saltare*, ut Gr. ὀρχεῖσθαι, frequentatur de fabulis scenicis, ut ad Horatii Libr. I. Sat. 5. v. 63. „*Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat,*“ copiose docuit Heindorfius: cf. etiam Langii Vind. Trag. Rom. p. 27. Inde *saltator* pro histrione ap. Sueton. Calig. c. 54. ibiq. Ruhnkenii Dictat. p. 288. Et sic ibidem *cantor* pro tragoedo, qui fabulam cantabat: Sueton. Nero c. 21. *tragoedias quoque cantavit personatus*; paullo ante: *Utque constitit, peracto principio, Nioben se cantaturum — pronunciavit:* et paullo inferius: *Inter caetera cantavit Canacen parturientem, Orestem matricidam* etc. Cf. Salmasius ad Vopisc. Aurelian. 7.

13) Poetarum carmina per mimas in theatro recitata esse, partim Servius l. c. attestatur, partim inde colligi potest, quod feminas inter mimos, inter cantores, quin inter gladiatores partes egisse, idoneis scriptorum veterum testimoniis constat, quae allegavit Langius in Vind. Tr. Rom. p. 19.

indole, despicatui habebat atque odio, ita sine dubio aegerrime ferebat, quod suis carminibus, praecipue Satiris, non tantum nihil istiusmodi honoris tributum esset, sed adeo obtrectatum. Quapropter nemini mirationem facere potest, quod Horatius, clandestinis Demetrii vellicationibus irritatus, cum contemptu quodam Calvum et Catullum memoravit: quod quidem ab eo factum putabimus, non quo illis haerentem capiti multa cum laude coronam malevolo invidoque animo detraheret, sed ut gravius pungeret stultum istum Satirarum suarum reprehensorem, qui molliculos lyrae versus virilibus Satiris praeferret. Similiter Cicero, admirationis et studii in Ennium plenus, Q. Tusc. Libr. III. c. 19. exclamat: „*O poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur*“ [14]). Etiam hoc in loco contemptim appellari *cantores Euphorionis* apertum est. Eamdem vim ap. Horatium credo inesse in v. *cantare*, quod, ut Heindorfius bene monuit, Wielandus ad h. l. N. 4. p. 302. perperam accepit de versibus, quos Demetrius ad Calvi et Catulli exemplum fecerit: nam vertit: *nachleyern*. Sed, etiamsi certius aliunde, quam ex corrupto Acronis scholio constaret, Demetrium poetam fuisse, tamen huic interpretationi aperte repugnaret ipse Horatius, qui, quo nomine illum obtrectatorem male tractet, satis indicat v. 90. Proxime ad veritatem accedens Io. H. Vossius convertit: *abtrillern*, quod egregie convenit vocis et cantus modulatori et mimarum doctori. Acerbam dilogiam, quae v. *plorare* continetur, bene perspexit Baxterus; nam et plorant, inquit, qui docent puellas cantiunculas amatorias flebili voce decantare, et plorare jubent Graeci, quibus precantur grave infortunium, quod *κλαίειν* vel *οἰμώζειν* dicunt, et ejus verbi vim illustravit Heindorfius ad h. l. Ita Aristophanis Plut. v. 58. *ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι* et v. 61. *κλαίειν ἔγωγέ σοι λέγω*. Non minus salse dixit *cathedras*, quibus non nisi feminae ac molles homines utebantur, ut docuit Boettige-

14) Hunc Ciceronis locum jam tractavi in Comment. d. *C. Licinio Calvo poeta* §. 8. N. 28.

rus in Sabina p. 29. Vix autem dubium est, quin Demetrius ob deformitatem brevemque staturam appellatus sit ab Horatio *simius:* in quo nomine convicium inesse manifestum fit ex oppos. *pulcher Hermogenes*, quod et ipsum εἰρωνικῶς accipi debet. Sicut enim Hermogenes ob affectatam formae habitusque elegantiam *pulcher* i. e. *der Stutzer* vocatur, ita Demetrius, quia deformis esset brevisque staturae, *simius, das Affengesicht*, audit. Apud utrumque antiquitatis populum turpissima illa bestia inservit exprimendae deformitati ac pusillae formae. Suidas: *Πίθηκος, ἡ μιμώ. Πίθηξ δὲ παρά τισιν ὁ βραχὺς ἀνθρωπίσκος*, ut h. l. emendat Toupius Opusc. Vol. I. p. 358. Aristophanes Ranis v. 708. *οὐ πολὺν οὐδ' ὁ πίθηκος οὗτος ὁ νῦν ἐνοχλῶν, Κλειγένης ὁ μικρός.* Acharn. v. 120. et Avib. v. 440. *διαθήκην ἐμοὶ ἥνπερ ὁ πίθηκος τῇ γυναικὶ διέθετο*, ubi Schol. *ἔοικε δὲ Παναίτιον κωμῳδεῖν — ὁ Παναίτιος μάγειρος καὶ μικροφυὴς ἦν.* Alciphron Libr. I. ep. 33. *ἀρέσκειν γὰρ τοῖς ἑρασταῖς, οὐχὶ Μεγάρᾳ καὶ Εὐξίππῃ βούλομαι ταῖς πιθήκοις* i. e. *den Affengesichtern:* ubi videsis Bergler. T. I. p. 188. W. Multa id genus exempla collegit Jacobs ad Lucillii Epigr. XXXV. Vol. II. P. 2. p. 462. et ad Rufini Epigr. XIX. Vol. II. P. 3. p. 166. Ita Vatinius Ciceroni ad Divers. Libr. V. ep. 10. de C. Atilio pirata scripsit: „*Simius non semissis homo contra me arma tulit, et eum bello cepi.*“ Coelius eidem ad Divers. Libr. VIII. ep. 12. „*malui collegae ejus — me obligare, quam illius simiae vultum subire.*“ Ipse Cicero ad Divers. Libr. VII. 2. „*hic simiolus animi caussa me, in quem inveheretur, delegerat.*“ Quare non video, cur Wielandus ad h. l. N. 4. p. 302. interpretationem Scholiastarum ridiculam et absurdam dicat. Is, cum v. *cantare* de Calvi et Catulli carminum imitatione accipi mallet, Demetrium ob ineptum imitandi studium opinatus est dici *simium.* Non nego, imitatores serviles passim hoc nomine designari, ut ap. Plin. Libr. I. Epist. 5. §. 2. „*Rusticum* (Arulenum) *insectatur, atque etiam Stoicorum simiam appellat.* M. Seneca Controv. Libr. IV. 26. p. 291. Bip. „*Quid putatis, — Argentarium esse? Cestii simius est.*

Solebat et Graece dicere: ὁ πίθηκός μου. Fuerat enim Argentarius Cestii auditor, et erat imitator.“ Sed, hanc rationem si amplectimur, multum, si quid sentio, acuminis et acerbitatis toti loco perit. Neque alienum fuisse ab Horatii moribus, in adversariis notare et ludificari corporis vitia et naevos, probavi in Comment. *d. M. Furio Bibaculo* §. 3. [15]).

§. 4.

Tertius obtrectator, quem Horatius l. c. producit, est *Fannius*, qui sine dubio idem est, qui jam Satira quarta Libri I. ab eo ludibrio habitus est v. 21.

Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis etc.

De hoc Scholiastes Cruq. *Fannius Quadratus poeta loquacissimus et ineptissimus fuit, cui Senatus audiendi fastidio, ultro capsas et imaginem obtulit, ut libros suos mitteret, et in auctoritatem reciperetur, tamquam optimus poeta: vel, ut alii referunt, Fannius poeta*

---

15) Hic praeteriri nequit commemorata a Jahnio ad h. Horatii l. p. 260. conjectura Spohnii, cui visus est ab Horatio perstringi *Demetrius Megas*, natione Siculus, qui ab Julio Caesare per Dolabellam civitate donatus atque inde *P. Cornelius* saepius dictus sit. Eum Acilio, qui Propraetor pro Consule Siciliam obtinebat a. U. C. 708., commendat Cicero ad Divers. Libr. XIII. Epist. 36. Spohnius eum fuisse dicit hominem facetum et maledicum, uti omnino fuissent Siculi petulantes et dicaces; porro negat, eum propter corporis deformitatem *simium* esse dictum, sed propter illud animi vitium; denique contendit, eum neque poetam fuisse neque fabularum actorem, sed musicum. Spohnius, haud dubie Hermogenis Sardi et item apud Julium Caesarem gratiosissimi mentione inductus, in hanc incidit conjecturam, cui inde multum commendationis accedere fateor. Hermogenem cantorem perstrinxit Horatius demum post mortem, Demetrium vero vivum adhuc, ut docet Sat. X. v. 79. Deinde Demetrius Megas ille si fuit ejusdem farinae homo, qualem Hermogenem fuisse infra §. 4. videbimus, poterat sane acceptus esse Julio Caesari et postea Caesari Octaviano, non item Ciceroni seni. Huic tamen, ut Acilio scribit, cum Demetrio Mega vetustum fuit hospitium et familiaritas tanta, quanta cum Siculo nullo. Nec potest mihi opponi P. Volumnius Eutrapelus, qui neutiquam eodem in loco ac numero, quo Demetrius, Horatii obtrectator, haberi debet. Denique Siculos facetos fuisse et dicaces, novi ex Ciceronis Brut. c. 12. Tusc. Q. I. 8. Verr. IV. 8. d. Orat. II. 54.; sed quis veterum scriptorum hominem facetum aut maledicum dixerit πίθηκον aut *simium*, me latet. Spohnii igitur conjectura, quamvis speciosa, incerta tamen et dubia est.

malus, cum liberos non haberet, haeredipetae sine ejus cura et studio, libros ejus et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scriptoris. Acron, in caeteris cum Scholiasta Cruq. conspirans, haec fere singularia habet et notatu digna: *Fannius iste malus poeta fuit, qui cum antea contempsisset datam sibi imaginem a Senatu, postea dum moreretur, petiit, ut delatis in publicum capsis suis, cum propriis libris incenderetur.* Quae hic de Fannio cum capsis librisque in foro combusto leguntur, ea haud dubie huc male illata spectant ad Cassium Etruscum, de quo Horatius Sat I. 10. v. 63. Pergit Acron aliorum referre sententiam: *Fannius Quadratus eo tempore Satyram scribebat, et erat sine liberis. Hujus imagines et libros haeredipetae in publicas bibliothecas referebant, nullo merito doctoris.* Ex hac Acronis adnotatione conjicere licet, cur Horatius, de Satirarum suarum contemptione querens, Fannium nominatim secum componat: ejus enim carmina ejusdem generis, inepta licet, indigne fert quod suis praelata sint et ipse Fannius, poeta malus, multo honore ac laude ab insipida plebe mactatus sit. Nam honoris magnaeque aestimationis significationem vv. *delatis capsis et imagine* contineri, in aprico est, quamvis singula non satis plana sint et ipsi Scholiastae rem obscurent magis, quam dilucident. *Capsae* fuerunt thecae et receptacula librorum et scriptionum, interdum etiam aliarum rerum, ut intelligitur ex Martiale Libr. XI. ep. 9. et 16. Notum est, servos, qui pueros nobiliores in ludum itantes sequerentur, a gestanda ejusmodi librorum capsa dictos esse *capsarios*: vid. Suetonius Nero c. 36. ibiq. Intpp. Vol. II. p. 87. B. et Juvenal. Sat. X. v. 117. ibiq. Ruperti Vol. II. p. 559. Peregre profecturi in ejusmodi capsulis libros secum ferebant, ut patet ex Catulli C. LXVIII. v. 36. *Illa* (Verona) *mihi sedes, illic mea carpitur aetas: Huc una ex multis capsula me sequitur* [16]).

16) Etsi illae capsae clausae erant operculo, tamen Bentlejus non debebat pejoris notae Codicum lectionem *operta* reponere ap. Horat. Libr. II. Epist. I. v. 268.:

Jam vero quaeritur, quid sibi voluerit Horatius, cum Fannii capsas et imaginem delatas esse dicit? Quo tandem delata sunt carmina ejus et imago? Scholiastae cogitant de librorum et imaginis delatione in bibliothecas publicas: in

---

Nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

Ego, inquit Horatius, *nil moror officium* i. e. pro nihilo facio, sperno (Libr. I. Epist. 15. v. 16.) indoctorum poemata officiose oblata, quia non delectant et ornant, sed gravant et dedecorant: quibus verbis carpit sedulitatem vatum aequalium Augusto sua offerentium carmina, quorum in numero se esse nolit v. 257. Augustus flagitaverat, ut Horatius ipsius res gestas carmine celebraret. Fatetur vero, se illi negotio cum laude agendo imparem esse. Augustum igitur placaturus callide dicit: praestat nullis describi carminibus, quam describi malis carminibus. Hanc sententiam sic effert: non magis ego carminibus malis celebrari cupio, quam deformiore vultu, quam natura sim, in cera effingi et ita omnium risui exponi. *Cereum ponere aliquem* ut Gr. τιθέναι s. ἱστάναι χαλκοῦν τινα, pro efformare, effingere s. erigere: ut Libr. IV. od. 8. v. 8. *Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas, Hic saxo, liquidis ille coloribus Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum:* ibiq. Mitscherlich. Adde, quae collegit Wolfius ad Demosthenis Or. Leptin. p. 339. cf. Hemsterhusius ad Lucian. Vol. I. p. 165. et Burmannus ad Ovidii Metam. Libr. X. v. 516. Hic tamen *proponi* adjunctam habet notionem loci publici, in quo omnium adspectui exponatur imago cerea. Qui igitur versibus prave factis celebratus ac veluti depictus est, is dedecoratur, neque ornatur. Chartae inutiles et ineptae inserviebant involucris mercium: Cicero pr. Rabirio c. 14. *merces — chartis et linteis et vitro celatae.* Auctore Athenaeo Libr. IX. c. 16. p. 374. C. et Vol. III. p. 381. Schw. Ἀναξανδρίδης — πικρὸς δ' ὢν τὸ ἦθος, ἐποίει τι τοιοῦτον περὶ τὰς κωμῳδίας· ὅτε γὰρ μὴ νικῴη, λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατρῖψαι κ. τ. λ. Catullus de Volusii annalibus, cacata ista charta, C. XCV. 8. *Et laxas scombris saepe dabunt tunicas:* vid. Comment. d. *C. Helvio Cinna* Cap. II. §. 2. Catulli locum imitatus est Martialis Libr. IV. ep. 87. v. 8. *Nec rhombos metues maligniorum, Nec scombris tunicas dabis molestas.* Idem Libr. III. ep. 2. *Cujus vis fieri, libelle, munus? Festina tibi vindicem parare, Ne nigram cito raptus in culinam Cordyllas madida tegas papyro, Vel thuris piperisque sis cucullus.* Hac imagine Horatius festive sic est usus, ut pro charta, qua merces involutae et in capsa repositae in vicum deferri solebant, non ipsum carmen delatum diceret, sed hominem, malo carmine celebratum. Hunc autem deferri fingit *porrectum in capsa*, quasi cadaver extensum in feretro: vid. Kirchmann. d. Funer. Rom. I. c. 12.: nam *capsae* faceta dilogia tribuit h. l. notionem arcae seu sandapilae; *apertam* vero capsam dicit, ut iste omnium adspectui et derisui expositus putetur. Caeterum *vicus vendens thus et odores* est vicus *Thuscus* s. *Turarius*, cujus meminit Horatius Sat. II. 3. v. 228. ibique Heindorfius p. 318. cf. Christ. Mülleri Forum Romanum. (Stuttg. 1824.) p. 84 sq. Unde ille vicus nomen invenerit, inquirit Odofr. Müllerus in libro: *Die Etrusker.* Vol. I. p. 116 sqq.

qua interpretatione antiquiores Horatii interpretes acquievere. Wielandus, Heindorfius et Passovius ad Persii Prolog. v. 5. p. 217. intellexerunt bibliothecam Asinii Pollionis, de qua Plinius N. H. Libr. VII. c. 31. *M. Varronis in bibliotheca, quae prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romae est, unius viventis posita imago est: haud minore (ut equidem reor) gloria, principe oratore et cive ex illa ingeniorum, quae tunc fuit, multitudine uni hanc coronam dante, quam quum eidem Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit* [17]). Prima igitur bibliotheca publica Romae instructa est ab Asinio Pollione, qui, quod Julius Caesar, auctore Suetonio c. 44., facere instituerat, perfecit, et, cui ille curam bibliothecas Graecas et Latinas comparandi ac digerendi dederat, M. Terentii Varronis viventis adhuc imaginem omnium primam in ea posuit et ita eum, cujus opera haud dubie in condenda bibliotheca usus fuerat, insigniter honoravit. Jam Fannii imago si delata est in publicas bibliothecas, ea necesse est posita fuerit in Asinii Pollionis bibliotheca post Varronis imaginem. Verum enim vero equidem non video, quo modo id fieri potuerit, nisi permittente conditore et possessore; estne autem probabile, Pollionem tanto honore dignatum esse Fannium, poetam ineptum? Et fac, hoc ita fuisse, tum non nisi ab uno, magno quidem viro, ille honor habitus fuisset Fannio; Horatius autem Fannium beatum praedicat, quod communem omnium venerationem summamque carminum suorum laudem tulerit, et ita indicat cum levi quadam indignatione, inepta Fannii poemata plures invenisse admiratores, quam suas Satiras, quas nemo legat et aestimet. Sed quid quaerimus amplius? qui hic de Pollionis bibliotheca cogitant, manifesti erroris facili negotio coargui possunt. Pollio enim bibliothecam Romae publicare

17) Cum publicae bibliothecae jam ante Pollionem *in orbe* fuerint conditae, ut Alexandriae; praeeunte Lipsio d. Bibliothecis Synt. c. 10. Vol. III. p. 1137. Opp. Thorbeckius d. C. Asinii Pollionis Vit. et Studiis (Lugd. Bat. 1820.) p. 41. apud Plinium legendum censuit: *quae prima in urbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata, Romae est.*

instituit redux factis ex expeditione in Parthinos, de quibus triumphavit d. VIII. Kal. Novembr. a. U. C. 715. cf. Thorbeckii Comment. d. C. Asinii Pollionis Vit. et Studiis p. 33. Itaque illa bibliotheca instructa demum est per hiemem a. U. C. 715.: quo consequitur, Varronis imaginem in ea non poni potuisse ante a. U. C. 716. Atqui Horatius Satiram quartam probabiliter scripsit anno medio U. C. 715., igitur prius, quam prima publica bibliotheca condi coepta fuerit [18]). Hinc patet, falli eos, qui de Fannii libris et imagine in Asinii Pollionis publicam bibliothecam delatis cogitent. Fortasse vero intelligere licebit bibliothecas, quas homines privati Romae possiderent. Et constat, studium parandi bibliothecas ac possidendi, si non ortum, certe auctum esse a Paullo Aemilio, Cornelio Sulla et imprimis a Lucullo, ut post alios fusius probavit Thorbeckius l. c. p. 35 sq. Nec dubitari potest, quin jam ante Pollionem perhonorificum fuerit, si cujus scripta in privatis illis bibliothecis reponerentur. Ejus rei testimonium deprehendere mihi videor ap. Auctorem Dialog. de Oratt. c. 21. *Fecerunt enim* (Julius Caesar et Brutus) *et carmina, et in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.* Itaque veri non est dissimile, Horatium v. *delatis capsis* notare stolidos Fannii admiratores, qui ejus carmina quamvis inepta tanti facerent, ut ea aut in suis aut privatis aliorum bibliothecis reponenda curarent. At huic sententiae videtur obstare imaginis mentio. Nam Asinius Pollio putatur primus bibliothecam clarorum scriptorum imaginibus ornasse, atque ejus exemplum posthac multos excitavit, ut bibliothecas non in studium, sed in spectaculum compararent, et, ut utar verbis Senecae d. Tranq. Anim. c. 9., exquisita et cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem et cultum parietum, in loculamentis tecto tenus exstructis, reponerent. Iste igitur mos si demum per Asinium Pollionem introductus antea Romae incognitus fuit atque inusitatus, fateor, me non assequi, quo sensu

18) Ita Spohnius in Jahnii edit. Horatii ad h. l. p. 254.

Fannii admiratores dicantur ejus capsas et imaginem detulisse. Neque quidquam proficimus, si ob vers. 23., quo Horatius timorem, scripta sua vulgo recitandi, simulat, de auditoriis cogitamus aut aedibus, in quas ab stolidis istis hominibus Fannii carmina fuerint delata et recitata: nam ibi quoque nullus erat scriptoris imagini locus. Hanc difficultatem nihil video quo commodius rectiusque expediamus, nisi statuimus, morem istum bibliothecas clarorum scriptorum imaginibus exornandi jam ante Pollionis aetatem et exemplum Romae in usu fuisse. Nullus, fateor, mihi succurrit scriptoris alicujus locus, quo hanc stabiliam suspicionem. Ea tamen nemini, secum reputanti insanum aedium villarumque exornandarum apud Romanos studium et luxuriem, qua ipse Cicero flagrabat, videbitur ab omni probabilitate abhorrere. Ille honor haud dubie mortuis tantum clari ingenii hominibus tributus est; Pollio autem, qui sicut primus publicam bibliothecam dicando, ingenia hominum, rem publicam fecit, ita etiam primus eumdem illum honorem viris magnis, viventibus adhuc et florentibus, impertire coepit: id quod *novitium inventum*, non silentio praetereundum, appellat Plinius N. H. Libr. XXXV. c. 2. [19]). Nihil autem obstat, quo minus idem jam antea, honoris amorisque alicui testificandi gratia, a singulis privatim factum esse putemus. Jam si ponimus, Fannii carmina non modo, sed etiam imaginem ab ejus admiratoribus in bibliothecas delata esse ibique reposita; non mirum erit, cur Horatius, cum se suaque carmina sciret contemni ac negligi, in stomacho deridens Fannium *beatum* dicat. Nec, si fides est Scholiastis, Fannium sine liberis fuisse, ab heredipetis, quorum famosae artes satis notae sunt [20]), aliena censenda est tam stolida carminum ineptorum admiratio et tam abjecta adulatio poetae mali et vilissimi hominis. Eum Horatius mihi videtur Satira quarta

19) De isto more egerunt Lipsius de Biblioth. Syntagm. c. 9. in Opp. Vol. III. p. 1137. et Lürsenius d. Biblioth. Apoll. Palat. c. XIX. p. 378 sqq.: cl. Passow ad Persii Prolog. v. 5. p. 216 sq.

20) De his hereditatum captatoribus et eorum artibus exposuit ipse Horatius Libri II. Satira 5., ubi videsis Heindorf. p. 357.

commemorasse, non quo prius ab ipso irritatus eum remorderet, sed ut insigniore aliquo exemplo notaret aequalium in aestimandis poetis stuporem, eorumdemque in contemnendis ipsius Satiris iniquitatem et stultitiam tecte perstringeret. Sed verisimillimum est, istum hominem, hoc Satirae quartae loco exasperatum, ab hoc inde tempore exstitisse Horatii obtrectatorem malevolum: cujus judicia tamen et vellicationes nauci faciendas esse poeta ipse satis declarat Satirae decimae vers. 80., ubi amaro cum contemptu *ineptus conviva* appellatur. Atque hoc ipsum *convivae*, *εἰλαπινάστου*, nomen tantum abest, ut honestiore sensu de familiari et amico accipiendum sit, ut hic designet parasitastrum vilem et contemnendum: id quod jam pulchre vidit Jan. Rutgersius in Venus. Lect. c. XVIII. p. 303 sq. Cujas ille fuerit, ignoratur: *Fanniorum* multi apud Romanos inclaruerunt, quos recensuit Glandorpius in Onomast. p. 332 sq.; nec *Quadrati* cognomen infrequens, ut ostendi in Comment. *de Hostio Poeta* §. 2. N. 4. Quare Fannium Quadratum, Horatii obtrectatorem, genere Romanum fuisse puto, unum ex poetis seu versificatoribus, quorum largum proventum Roma tunc temporis haberet, hominem ineptum, sed arrogantem malignumque censorem cum omnium praestantiorum poetarum, tum imprimis Horatii, quocum in scribendis Satiris certare voluisse videtur. Caeterum tenuioris eum sortis hominem fuisse, nullaque honoris dignatione umquam insignem, partim ipsa, qua cum eo agit Horatius, ratio despicientiae et neglectionis plenissima docet, partim ex parasitica ejus vita colligi potest [21]). Fuit vero conviva, *παράσιτος*, Hermogenis

21) Mirifice de hoc Fannio nugatus est Cruquius ad Horatii Sat. X. p. 495., utqui autumet, eum esse intelligendum *Fannium*, quem Appianus d. B. C. Libr. IV. c. 72. legatum Cassii, c. 84. cum Hirtio proscriptum et Libr. V. c. 139. ad Antonium transiisse dicit. Hunc putat Cruquius eundem esse, qui a. U. C. 732. cum L. Murena in Augustum conspiravit et condemnatus est, teste Vellejo Paterc. Libr. II. 91. §. 2. cl. Sueton. Aug. c. 19. Tiber. c. 8. et Dio Cass. Libr. 54. c. 3 ibiq. Intpp. Vol. VI. p. 99. Strz. Ab his scriptoribus omnibus *Fannius Caepio* nominatus est. Jam huic Fannio, publica auctoritate oppresso, Cruquius suspicatur, honoris ergo et familiae ejus consolandae caussa, a Senatu delatas esse capsas et imagines, tamquam bono poetae. Perridiculum commentum, in quo refellendo piget chartam perdere. Vehementer au-

Tigellii, quem, cum inter poetae nostri obtrectatores familiam duxisse videatur, operae pretium est accuratius cognoscere.

Marcus Tigellius Hermogenes, musicae artis peritissimus et vocis eximiae, C. Julio Caesari Dictatori familiaris fuit, et post Cleopatrae acceptus maxime, Augusto quoque Caesari amicissimus eo, quod dulce caneret et urbane jocaretur, adeo ut inter familiares et domesticos haberetur: haec de eo Scholiastes Cruq. ad Horat. Sat. I. 2. v. 3. tradit, quocum fere ad verbum consentiunt Acron et Porphyrion. Bellissima istius hominis ejusque morum veluti in tabula depictorum descriptio legitur apud ipsum Horatium Libr. I. Sat. 3. v. 1 — 19.:

---

tem miror, hanc Cruquii opinationem de Fannio repetitam et exornatam fuisse a b. Spohnio, ut refert Jahnius ad Horatii Sat. I. 4. v. 21. p. 254. Ille intellexit C. Fannium C. F., Tribunum pl. Caesare et Bibulo Coss. a. U. C. 695. (v. Cicero in Vatin. c. 7. pr. Sext. c. 53.) et Praetorem in Sicilia a. U. C. 710. (v. Cicero ad Attic. Libr. VII. ep. 15.) Is C. Fannius, cum Cassii legatus esset a. U. C. 711., haud dubie offendit Horatium. Post pugnam Philippensem proscriptus ad Sext. Pompejum fugit et a. U. C. 719. cum Cassio Parmensi ad M. Antonium defecit. Idem Fannius visus est carmina quoque, fortasse Satiras, ante proscriptionem fecisse. Ista igitur carmina Horatius, pristinae memor injuriae, Satira quarta respexit, cum Fannius Roma absens esset apud Sext. Pompejum. Inde autem apparere dixit Spohnius, capsas, in quibus scripta reposita essent, neque in bibliothecam Palatinam a. U. C. 726. instructam, neque in bibliothecam Pollionis a. U. C. 715. extremo conditam, sed ad bibliopolas missas esse: cl. v. 71. Haec postremo loco disputata prorsus probarem, si mihi constaret, in Sosiorum tabernis uti scriptorum libros, ita imagines quoque fuisse expositas, et ad honorem declarandum mitti ab amicis et admiratoribus solitos esse libros ad bibliopolas, in quorum tabernis prostarent. Sed quae Spohnius de Fannio disseruit nemini obscurum est quam omnia meris innitantur conjecturis, quibus ne Scholiastae quidem favent, nedum ipse poeta. Numquam mihi persuaderi patiar, virum praetorium adeoque, si Josepho Ant. Jud. Libr. XIV. c. 10. credimus, consularem, et poetae quondam in Bruti et Cassii castris commilitonem, ab hoc, quamvis offenso, tanta cum contemptione et irrisione tractatum esse, quanta Fannium obtrectatorem utraque in Satira tractari videmus. Neque umquam mihi persuaderi patiar, C. Fannium illum, quem Appianus l. c. appellat bello fortissimum et *τῶν ἀξιολόγων τοῦ Πομπηΐου φίλων τιμιώτατον*, serius factum esse ineptum Hermogenis, Sardi et modulatoris, convivam. Lepida admodum est hariolatio Bothii in Adnotatt. ad Feae Horat. p. 39. Is enim suspicatur, hunc Fannium esse eum, quem Horatius Libr. I. Sat. 9. presso nomine sugillet, hominem garrulum et importunum, qui v. 23. se poetam, certe versificatorem, et v. 27. liberis orbum dicit et v. 25. Tigellium magni facit: quae omnia nemo non intelligit quam apprime conveniant Scholiastarum testimonio, et quantopere meae de isto homine sententiae patrocinentur.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc: Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret „Io Bacche!“ modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quatuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Junonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo „Sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat.“ Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi [22]).

22) Horatius hac in Satira v. 4. omnium primam mentionem Octaviani Triumviri fecit, eumque simplice *Caesaris* nomine dixit, ut Libr. II. Sat. 1. v. 11 et 19. Atqui haec Satira, quam Librum secundum editurus inscripsit C. Trebatio Testae, Icto, omnium Satirarum extrema est et procul dubio composita a. U. C. 727. Hoc anno Octavianus, teste Dione Cass. Libr. 53. c. 22 sq., bello in Britanniam parato, sed mox sepposito, ab Urbe in Gallias profectus est: quo equidem refero v. 12. *Cupidum, pater optime, vires Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos, Aut labentis equo describit vulnera Parthi.* Jam antequam hanc expeditionem ingressus est, id quod ante veris initium fieri non potuisse probat Massonus in Jano Reser. Sect. III. c. 2. §. 5. p. 73., ex sententia L. Munatii Planci a Senatu caeterisque civibus *Augusti* nomen acceperat d. XVI. Kal. Februar. a. U. C. 727., auctore Censorino d. D. N. c. 22. Nihilo tamen secius a poeta Venusino hac in Satira *Caesaris* nomine memoratur. Hinc corrigi debent, quae Heindorfius, Bentleji rationem et sententiam secutus, scripsit ad Sat. I. 3. v. 4. p. 58. Praeterea notatu dignum est, Caesarem Octavianum ab Horatio propter Tigellium ita commemorari, ut tecte reprehendatur; at cum Satira prima Libri II. v. 10. Trebatius suadens introducatur: *Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude Caesaris invicti res dicere, multa laborum Praemia laturus;* patet, poetam illi jam favere coepisse. Id autem factum esse puto, ex quo Octavianus, compositis in Oriente rebus, mense Sextili a. U. C. 725. Romam redux, rempublicam prudenter administrare coeperit effeceritque, ut Romani, bellorum civilium calamitates pertaesi, in unius imperio acquiescerent. Accedebat, quod Octavianus, Maecenatis et Agrippae sapienter monitis obsecutus,

undè discimus, patriam ei fuisse Sardiniam, eumque magna cum verborum libertate notari arrogantiae, inconstantiae et morositatis nomine. Is homo fuit vere *ineptus:* nam „*qui*, ait Cicero d. Orat. Libr. II. c. 4., *aut tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus dicitur.*“ Notabile autem est, Horatium hic loqui de Hermogene, ut mortuo. Ejus mortem, ob quam omnes ambubajae, pharmacopolae, mendici, mimae, balatrones summa affecti essent tristitia et moerore, quia benignus iste homo eos largiter donando sibi devinxerat, Horatius non tam festiva quam petulanti ratione memoravit Libr. I. Sat. 2. v. 1.

Ambubajarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat [23]).

Non poterat Poeta noster sine gravi offensionis caussa tam insolenter insultare homini mortuo, eumque multis annis post mortem, quoties locus ferret et occasio, carpere salibusque perfricare. Sed procul dubio compererat, etiam

---

rempublicam summa moderatione administraret et magni ingenii viris litterisque faveret. Quo quidem fieri non poterat, quin Horatius quoque, antea Octavianum, ut libertatis publicae oppressorem, perosus, sensim cum eo in gratiam rediret eique bene cuperet. Illo autem, quo Satiram tertiam Libri I. scripsit, tempore nihil est veritus Octavianum carpere utpote patientissimum Tigellii, hominis morosi et arrogantis. Bentlejus offensus v. 7. v. *citaret* ex conjectura reposuit *iteraret:* id quod jam improbavit Pearcius ad Cicer. d. Orat. Libr. I. c. 59. Acute autem idem Bentlejus monuit, vv. *Io Bacche* videri fuisse initium cantici. Quod Turnebus Advers. Libr. XIII. c. 1. suspicatus est *Io Bacchae;* confirmant aliq. Codd. Msti et edit. Mediol. 1477., nec displicet L. Schneidero in Gr. Lat. I. 2. p. 754. — Horatio v. 10. scribenti observatum esse illud βαδίζειν Ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον, post Cuperum in Observatt. Libr. IV. 3. p. 386., statuit etiam Creuzerus in Symbol. Vol. II. p. 569. N. 198. — V. 14. Porphyrion: *Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur:* quam interpretationem probat Boettigerus in libr. *Aldobrand. Hochzeit* p. 53. Tigellius igitur se contentum esse jactabat concha marina pro salino, et toga quamvis crassa, ut Parmenion in Anal. Br. II. p. 203. X. v. 1. Ἀρκεῖ μοι χλαίνης λιτὸν σκέπας; quocum h. l. contulit Jacobs in Animadv. Vol. II. P. 2. p. 115.

23) De ambubajarum collegiis videsis Boettigeri libr. *Ideen zur Kunst-Mythologie.* I. p. 414 sq. N. 29.

hunc hominem malevola iniquitate de ipsius Satiris statuisse: id quod attestatur Acron ad Sat. I. 2. v. 3. *Ideo autem dixit „cantoris“, quia dicebatur in poematis suis placere voce, non carminum probitate. Mutato nomine per invidiam „cantorem“ pro musico obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus in Sardinia natus: is carmina Horatii negabat satis perite esse modulata, et idcirco carpitur ab illo:* eadem habet Scholiastes Cruq. Priora hujus notae verba si recte percipio, Tigellius ipse poeticam tetigit et scripta a se carmina recitavit: quod quidem neutiquam ab ejusmodi modulatorum ingenio abhorret, quippe qui pro suo fastu ac vanitate Musarum lacte non tincti, sed innutriti sibi viderentur, ideoque inverecunda reprehensione praestantissimis poetis detrectarent. Ecce igitur M. Tigellius Hermogenes Horatii Satiras perite modulatas esse negaverat: cui vituperio, ab Hermogenis convivis aliisque id genus hominibus haud dubie repetito, sic occurrebat poeta noster Sat. I. 4. v. 39 sq., ut diceret, se sermones scribere, non carmina. Horatius videtur per hiemem a. U. C. 713/14. scripsisse carmen omnium primum, Satiram Libri I. septimam, cui rem, quae in Bruti castris acciderat, argumentum subjecerat. Id novi generis carmen cum in vulgus emissum esset, videtur plures vituperatores invenisse quam laudatores. In illorum numero Tigellius quoque fuerat, qui illud ut parum accommodatum ad modos musicos notaret et contemneret. Haec censura modulatoris inepti Horatium graviter pungebat. Accidit vero, ut iste homuncio ac nasutus censor paulo post i. e. per aestatem a. U. C. 714. moreretur. Quo facto Satiram secundam scripsit eamque velut Epicedio in istius mortem exorsus aequalium vitia, ut adulteria incestosque amores puerorum, vehementissime exagitavit. Qua quidem Satira cum multos laesisset, exstiterunt, qui ipsius carminibus obtrectarent et nominatim Lucilium, Satirae inventorem, efferrent ac praeponerent. Ejusmodi obtrectationibus exasperatus scripsit anno U. C. 715. medio Satiram quartam, in qua de Satirarum suarum natura ac lege exposuit, suosque reprehensores, qui alio-

rum, quamvis malorum poetarum, ut Fannii v. 21., Satiras admirarentur, redarguit contemnitque superciliose v. 71.

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli.
Nec recitem cuiquam nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis coramve quibuslibet.

Hic locus multis nominibus notatu dignus est. Primum de re Romanorum libraria. Scholiastes Cruq. ad v. *taberna: Sosiorum; hoc ideo scripsit, quoniam bibliopolae stationes vel armaria circa pilas seu columnas habebant; ac per hoc ostendit, se non temere cuiquam libellos suos edere, sed tantum certis et electis personis, ne incidant in manus imperitorum hominum, qualis erat Hermogenes Tigellius.* In his igitur Sosiorum tabernis Horatii quoque Satiras de more fuisse expositas, totius loci contextus videtur docere. Jam illas bibliopolarum tabernas homines elegantis laudem ingenii captantes circumcursare et, si quid novi esset in lucem editum, exquirere solebant ac censere. Ab ejusmodi hominibus cum etiam Horatii Satirae inique dijudicatae et in suspicionem invidiamque apud populum adductae essent (vid. v. 63 sq.); poeta, hujus censurae indignitatem aegre ferens, apud animum constituit, nullos amplius libellos publici juris facere et tradere bibliopolis, ne legerentur et censerentur ab insipida plebe et hominibus, qualis esset Tigellius Hermogenes. At hic, ut vidimus, anno superiore mortuus erat; et tamen hoc in loco ut vivus adhuc memoratur. Qua de caussa Wielandus ad h. l. N. 10. p. 155. cl. p. 282 et 310. permotus est, ut duo fuisse statueret Tigellios, alterum cantorem istum, de cujus morte Horatius Satira secunda exsultaverit, alterum istius vel filium vel patruelem, qui h. l. et Satira decima perstringatur. Huic Wielandi sententiae accedit Io. Nic. Forkel in: *Allgem. Gesch. d. Musik*, Vol. I. p. 504. Wielandus etiam habuerat ea in re quos sequeretur, Sanadonum ad v. 65. Vol. V. p. 148. et Dacerium ad v. 72. Vol. VI. p. 208., sed falluntur, ut jam pervidit Heindorfius ad h. l. p. 100. Istius modulatoris reprehensiones et vellicationes Horatii animum videntur mi-

rum quantum vulnerasse. Hinc initio proximi anni U. C. 716., quo Satiram tertiam composuit, Stoicorum dogma quoddam impugnaturus, ejus initium a Tigellio ejusque vita ac moribus sumpsit; hinc per plures deinceps annos obtrectatores suos, istius Sardi nomine tamquam communi usus, rodere perrexit, et, quoties posset, istius memoriam acerbiore cum irrisione instauravit. Ejus rei testis locupletissima est Satira decima, a. U. C. 723., ergo novennio post illius mortem scripta: ubi simius iste, Demetrius, non magis ac pulcher Hermogenes ignorasse dicitur veteres Graecorum Comicos v. 18.; ubi Fannius v. 80. ineptus conviva Hermogenis Tigellii appellatur, et ubi, irato suo Genio quasi satisfacturus, obtrectatorum suorum gregi valedicit v. 90.

Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer; atque meo citus haec subscribe libello.

Caeterum ex hoc loco non temere colligitur, M. Tigellium Hermogenem, cantorem et modulatorem, Romae artem musicam docuisse et mimos mimasque in scenica vocis modulatione erudivisse. Nam dubito, rectene dixerint Scholiastae, Tigellium obtrectatorie et per invidiam ab Horatio appellatum esse cantorem pro musico. Cum enim *cantare*, ut supra vidimus, hoc nexu sit recitare ad modos musicos, nihil amaritudinis nomini cantoris subesse videtur, nisi quod poeta noster omne hoc modulatorum genus, arrogans et sibi sapiens, perosus esset, utpote quod bonae optimorum poetarum famae publica et clandestina obtrectatione nocere auderet. Tigellius eximiam vocem a natura fautrice nactus et musices peritia excellens non tantum se in gratiam Julii Caesaris Dictatoris et Octaviani insinuaverat, sed etiam apud populum magnam famam et auctoritatem ingenii quadam elegantia et modulandi arte Romae consecutus esse videtur. Idcirco Horatius ejus nomen ita usurpavit, ac si, quemadmodum Roscius appellabatur quisquis in suo artificio excellebat, sic optimus quisque modulator et cantor Tigellius Hermogenes audiret. Ita accipiendum est Hermogenis nomen Libr. I. Sat. 3. v. 129.:

Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator.

Atque pari modo Libri I. Satira nona, quam a. U. C. 719. scripsit Horatius, et in qua mirabili lepore importunum quoddam hominum genus, qui doctrinae elegantiaeque speciem prae se ferentes Augusti, Maecenatis aliorumque principum virorum favorem appeterent, verissimis coloribus depinxit, is, qui ipsum in via sacra deambulantem impudenti garrulitate assectatur et quasi obsidet, ita se ei commendat v. 23.

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus; quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.

In utroque loco Hermogenis nomen commune est pro optimo quoque cantore et modulatore, cum eo, quo Satira tertia et nona scribebantur, tempore ille jam diem supremum obiisset. Demetrius, quocum Sat. I. 10. v. 90. ille tamquam vivus adhuc conjungitur, fortasse in schola mimarum, quae maestae ac sollicitae esse dicuntur cantoris morte Tigelli Sat. I. 3. v. 2., fuit successor.

§. 5.

Verum idem M. Tigellius Hermogenes, peregrinae licet originis homo, apud civitatis principes summa floruit gratia. Quae necessitudo Caesarem Octavianum inter et istum phonascum intercesserit, ejus rei satis disertum habemus testem, ipsum Horatium Sat. I. 2. v. 4. Iste homo difficilis ac morosus si nollet cantare, ne Octavianus quidem precibus quidquam profecit. Non miror Octavianum hominis tam insolenter sese gerentis patientem; admiror autem Horatium ingenua libertate tecte exprobrantem illi principi tam inhonestam patientiam. Quam lubenter autem Octavianus homines, ingenii quadam festivitate et facilitate excellentes, in sua familiaritate habuerit, et eorum insolentiae quam fuerit patiens, ostendi in Comment. *de Jarbita Timagenis aemulatore* §. 2. Huc accedebat, quod Tigellius magnam haberet commendationem ab ea arte, cui ille maxime studebat, teste Suetonio Octav. c. 84.

Quare non pudebat eum, Tigellium, ut cantaret, rogare per suam ipsius et patris, Julii Caesaris, amicitiam, ut Horatius ait. Quodsi Scholiastae tradunt, eumdem etiam Cleopatrae maxime acceptum fuisse; non est quod ejus rei fidem suspectam habeamus. Videtur ille in familiarissimis fuisse, quos Julius Caesar perpetuo secum haberet. Per Dictatorem hunc, quocum etiam bellicas expeditiones obiret, sine dubio innotuit Cleopatrae ac placuit. Quid? quod ille homo insolens, Julii Caesaris amicitia fretus, cum Cicerone graves inimicitias suscepit. Cicero, ut ex Epp. ad Attic. XIII. 49. compertum habemus, Phameae, qui Tigellii avus erat, caussam contra pueros Octavios Gnaei filios receperat, neque tamen ei eo die, quo ille vellet, operam dare potuerat, quia eo ipso die de P. Sextio in consilium iri necesse esset. Quamquam Cicero, ut ad Atticum et ad Fabium Gallum Epp. ad Divers. VII. 24. scribit, se ei alio die non defuturum esse promiserat, tamen ille, qui sciret, se nepotem bellum tibicinem habere et sat bonum cantorem, iratior ab eo discessit. „*Habes*," addit Cicero in epistola ad Fabium Gallum, „*Sardos venales: alium alio nequiorem.*" Tigellius, Phameae nepos, Ciceroni hac de re iniquissime succensuit, eumque minus observavit. „*Olim*," ut Cicero ad Gallum Fabium scribit, „*quum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observamur a familiarissimis Caesaris omnibus, praeter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam dudum Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.*" Peropportune ex hoc C. Licinii Calvi Hipponacteo in Tigellium praeconio servarunt versum Scazontem:

Sardi Tigelli putidum caput venit,

Porphyrion et Scholiastes Cruq. ad Horatii Sat. I. 3. v. 3., ubi de discrimine nominum *Sardus* et *Sardiniensis* exponunt [24]). Illud fragmentum illustratum dedi in Comment.

24) *Sardus* enim est nomen nationis, *Sardiniensis* nomen incolae, ut *Siculus* et *Siciliensis*, *Hispanus* et *Hispaniensis*, ut ap. Graecos Σικελὸς et Σικελιώτης: cf. Thomas Magister ibiq. Hemsterhusius p. 792 sqq. Casaubonus ad Spartiani Hadr. c. 1. Sc. Maffejus ad Museum Veron. p. 88. et Intpp. ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 51. §. 3.

de C. Licinio Calvo Poeta §. 11. IV. Hic versus si innotuisset Paullo Manutio, in hunc Ciceronis locum commentanti Vol. I. p. 488. R., non dubito quin is tantum, quantum admisit, errorem feliciter vitasset. Ille enim, inimicitiarum, quas Calvus ob damnatum patrem cum Cicerone susceperat, reminiscens putavit, illud Hipponacteum praeconium a Calvo scriptum fuisse in Ciceronem, et Tigellium, quo magis ureret virum consularem, studiosum fieri coepisse illius praeconii et id assidue legisse! Hanc insulsam loci Ciceroniani interpretationem praeclare refutavit Gronovius d. Pecunia Vet. Libr. IV. c. 10. p. 325., cui merito adstipulatus est Schützius in Cicer. Epist. ord. chronol. dispos. Vol. V. p. 290. Recte Gronovius illud Hipponacteum carmen ab Licinio Calvo in ipsum Tigellium scriptum fuisse censuit. Infamaverat Calvus illum Sardum probroso carmine eique meritas inusserat turpitudinis notas. Hoc dicit ἀλληγορικῶς Cicero: *addictum Hipponacteo praeconio.* Praeconum enim erat proclamare venales, eorumque praedicare virtutes et artes, ut citius emptorem invenirent; iidem addicebant emptori, ubi de pretio convenerat, et jubebant emptum ducere: cf. de v. *addicere* Drakenborch. ad Silii Ital. Pun. Libr. XV. v. 247. Ita Tigellius addictus traditusque est infamiae, Calvo quasi praecone, eoque ejusmodi, qualis Hipponax fuit. Jam quilibet intelligit, a Calvo non minus acerbe quam a Cicerone usurpatum esse, quod de Sardis frequentari solitum sit, ex quo T. Gracchus Sempronius Cos. a. U. C. 516., capta Sardinia, ingentem mancipiorum multitudinem advexerat Romam, ut vilissimo tum pretio prostarent et ex eorum vilitate nasceretur adagium: *Sardi venales!* Cf. Livius Libr. XLI. c. 17. Aurel. Victor d. Vir. Ill. c. 57. Neque cuiquam obscurum esse potest, Tigellium a Cicerone et Calvo pariter atque ab Horatio Sat. I. 3. v. 3. cum ignominia quadam et contemptu dictum esse *Sardum:* Sardinia enim de coeli pestilentia infamis. Cicero ad Q. Fr. Libr. II. ep. 3. f. *Cura, mi frater, ut valeas. Et quamquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites.* Martialis Libr. IV. ep. 60. v. 5. *Nullo fata loco possis excludere:*

cum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est: cf. Pomp. Mela Libr. II. 7. §. 19. ibiq. Tzschuckius Vol. III. P. II. p. 881.

Caeterum Ciceronis et Calvi testimonia de Tigellio dubitare nos non sinunt, quin is libertinae conditionis homo fuerit sive servilis et a M. Tigellio quodam libertate donatus. Nomen enim *Hermogenis* fuit servorum. Hermogenes quidam memoratur a Cicerone ad Attic. XII. ep. 25. et 31., quem alii Ciceronis debitorem faciunt, alii feneratorem; diversusne sit ab hoc Hermogenes Clodius, a quo Ciceronem filium Corcyrae visum esse, idem scribit Attico XIII. ep. 24., dubitatur. Corradus hunc putabat esse Aesopi tragoedi filium ditissimum, cujus meminerit Plinius N. H. Libr. IX. c. 35. Ab his distinguendum esse Hermogenem Sardum, nemo facile neget. Is quo tempore quove officio in Julii Caesaris gratiam et familiaritatem venerit, latet. Sed quod saepenumero observari licet, homines e tenuiore emersos sorte, mutata in melius rerum suarum conditione, jactantius et arrogantius induere ingenium, id comprobatum etiam videmus exemplo Tigellii, utqui ob denegatam Phameae avo operam injustissima in Ciceronem exardesceret ira. Cicero, licet se nihil curare dicat iniquitatem hominis sua patria pestilentioris, tamen ob Tigellii cum Caesare necessitudinem videtur Attico negotium agendi cum eo de reconciliatione mandasse, ut colligo ex ejus ad Attic. XIII. epistola 50., ubi amico scribit: „*Miror te nihildum cum Tigellio; velut hoc ipsum, quomodo acceperit, prorsus aveo scire, nec tamen flocci facio.*“ Miratur Cicero, Atticum nondum locutum esse cum Tigellio, et scire avet, quomodo acceperit *hoc ipsum:* quae paullo obscuriora verba ego de conditionibus reconciliandi intelligo. Nec minus Fabius Gallus operam dedisse videtur, ut Tigellius cum Cicerone in gratiam rediret: nam ad illum scribit Cicero ad Divers. VII. ep. 25. „*Quod autem me mones, valde gratum est: idque ut semper facias, rogo. Videris enim mihi vereri, ne, nisi istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον.*“ Haud dubie Fabius Gallus Ciceronem monuerat, ut sibi a Tigellii odio et

simultate, ob Caesarem ei facile periculosa, caveret: quod quidem vitae periculum Cicero exprimit vv. *ridere γέλωτα σαρδόνιον*, si quidem herba Sardonia, apiastro similis, comesa efficit, ut diducto ore homines, quasi ridentes, pereant. Hinc proverbium *γέλως σαρδόνιος*, de quo, praeter Suidam Vol. III. p. 287., exposuerunt Erasmus in Adag. III. 5. p. 597., Coel. Rhodiginus Antiq. Lect. XII. 16. et Astius ad Platonis Polit. Libr. I. c. 11. p. 354. Cicero igitur gratum sibi esse significat Fabio Gallo studium et curam, quam monitis illis testatam fecerat. Quomodo autem intelligenda sint ea, quae Cicero ad Atticum XIII. ep. 51. scribit: „*Tigellium totum mihi, et quidem quam primum: nam pendeo animi,*“ inter Interpretes non convenit. Alii supplent: *restitue, reconcilia;* alii verentes, ne ista ratione Cicero timiditatis atque inconstantiae arguatur, omissum putant: *narra, exhibe*, vel simile quid. Verum enim vero cum neque timiditas neque inconstantia a Cicerone, praestantissimo caetera viro, aliena sit, eique reconciliationem cum Tigellio, quamvis eum contemptui haberet, rerum publicarum status, Caesaris potentia et istius hominis apud eumdem auctoritas suasisse videantur, priorem interpretandi rationem unice veram esse arbitror. Inciderunt autem istae Ciceronis cum Tigellio inimicitiae in annum U. C. 709., nec constat, an umquam communi Attici et Fabii Galli studio et opera fuerint sublatae. Ante illum, quem diximus, annum C. Licinius Calvus jam ediderat Hipponacteum suum praeconium, in quo stilum adversus istum hominem arrogantem et petulantem acuerat ejusque natales et libertinam conditionem procul dubio perstrinxerat. Calvus hoc fecisse existimandus est aut nobili ductus animi sensu, quo eum in omnes Caesarianos inflammatum fuisse docui in Comment. *d. C. Licinio Calvo Poeta* §. 10., aut, quod mihi probabilius videtur, item lacessitus. Nostra memoria M. Tigellius Hermogenes nactus est patronum Jo. Nic. Forkelium in: *Allgem. Geschichte der Musik* Vol. I. p. 502., qui eum a Ciceronis et Horatii calumniis meliori animo quam judicio defendere conatus est [25]).

25) Initurus aliquam gratiam a lectoribus lubet Forkelii verba ad-

§. 6.

Hi igitur fuerunt Horatii obtrectatores, qui, cum ejus judicium de Lucilio improbarent, ideoque de Satiris, quas ille scribere instituerat, insulsum facerent judicium, ut eas populo suspectas redderent et contemptui darent, nominatim in hisce carminibus a poeta nunc lepida nunc acerba ratione taxantur. Haec autem vanissimorum hominum irrisio tantum abest ut Horatii persona et animo indigna sit censenda, ut pusilli et tardi fuisset ingenii, stultam istorum et iniquam censuram patienter ferre. Nam quid tandem reprehenderunt isti censores? qua judicii ratione usi? quo animo ducti? Haec egregie illustrabuntur iis, quae de duobus aliis poetis illius aevi, qui et ipsi, falsa scientiae poeticae opinione inflati, Horatium aliosque nobiles poetas reprehendendi et maledicendi petulantia insectarentur, relata legimus.

Bavius et *Maevius*, nobilissimum poetarum vel potius versificatorum par, immortali eorum ipsorum, quos

---

scribere: *Eine der glänzendsten Rollen scheint Tigellius gespielt zu haben. — Die Schönheit seiner Stimme hatte ihn schon beim Julius Cäsar in so grosse Gunst gesetzt, dass ihn Cicero in einem Briefe an Fabius Gallus sogar unter die Vertrauten desselben rechnet. Cicero stand nicht gut mit ihm, und mochte wahrscheinlich deswegen auf ihn böse seyn, dass er ihm in den Zeiten seines Ansehens nicht eben so den Hof machen wollte, als die übrigen Vertrauten des Dictators. Da Cicero übrigens dieses Tigellius wegen einen ganzen Brief schreibt, so muss er ihm doch so gleichgültig nicht gewesen seyn, als er so gern das Ansehen haben will. Ausser dem Cicero brachte Tigellius auch den Horaz wider sich auf, vermuthlich weil er seine Gedichte unmusikalisch fand, und sie deswegen nicht singen wollte. Auch kann es Neid über die glänzenden Umstände Tigell's gewesen seyn. Horaz hat dafür eine bittere Rache an ihm genommen, und in der That sein Andenken bei der Nachwelt sehr beschmutzt, und die neuern Ausleger des Horaz geben sich alle mögliche Mühe, es noch immer mehr zu beschmutzen, ohne daran zu denken, dass zu allen Zeiten Spottgedichte und überhaupt persönliche Satyren aus sehr unreinen Quellen geflossen sind, folglich auf keine Weise etwas anderes wider den Verspotteten beweisen können, als dass ihm der Dichter nicht gut war. Horaz wird vermuthlich (so wie einige seiner Profession in unserm Jahrhundert) geglaubt haben, es gebühre ihm allein, eine grosse Rolle zu spielen, und ein so armer Tonkünstler, der zwar schön singen konnte, aber keine unmusikalischen Verse singen mochte, müsse sich nicht einfallen lassen, auch etwas bedeuten zu wollen. So viel ist ausser Streit, dass Horaz sehr unbillig gegen Tigell verfuhr; denn er verdrehte seine wirklichen Tugenden in Laster, nannte seine Wohlthätigkeit Verschwendung, und die, denen sie erwiesen wurde (oder auch vielleicht nur die, welche seinen Tod beklagten, weil sie glaubten, Rom habe einen Verlust an ihm erlitten) für lauter liederliches Gesindel! —*

malevolis vellicationibus impetebant, poetarum gloriae diuturniorem sui memoriam acceptam referunt et nominis aliquam celebritatem apud posteros consecuti sunt. Servius ad Virgilii Eclog. III. v. 90.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi! haec de utroque scripsit: „*Maevius et Bavius pessimi fuerunt poetae, inimici tam Horatio, quam Virgilio. Unde Horatius Epod. X.*“ Virgilii locum insulsissime interpretatus est Catroeus; longe rectius jam Servius: „*pro poena ei id contingat, ut diligat Maevium pejorem poetam.*“ Virgilius enim Pollioni blandiens haec dicit: qui Pollionis carmina probat, ei tanta contingat canendi facultas, quanta illi est; qui vero Bavii poematis delectatur, ei judicium recti pulchrique ita corrumpatur, ut Maevium, pejorem etiam Bavio poetam, pro bono habeat vate. Jo. H. Vossio ad h. l. p. 145. non videtur verisimile, Virgilium ipsum jam a. U. C. 712., quo anno Ecloga tertia scripta sit, ab istis fuisse vexatum, sed Pollionem, cujus gratia ille utrumque ὡς ἐν παρόδῳ vellicaverit. At Vossianae hujus de Pollione suspicionis fides aliquantulum eo imminuitur, quod dubitari potest, num jam ante a. U. C. 712. ille belli dux carmina scripserit, eaque evulgaverit, ut in istorum notitiam pervenire possent eorumque incurrere censuram. At Virgilius, antequam Bucolica scriberet, Culicem aliaque leviora carmina fecerat, ut auctor est Donatus in Vit. Virgil. c. VII. §. 28. ibique Heynius. Virgilii Culicem magna cum admiratione ab aequalibus exceptum lectumque esse, vel seriorum scriptorum testimonia et laudes docent. Is putatur scriptus esse a. U. C. 709. aut 710., v. Comment. *de C. Helvio Cinna Poeta* cap. I. §. 4. N. 11. Itaque nihil prohibet, quo minus statuamus, illa poesis Virgilianae rudimenta in istorum hominum manus incidisse eaque ab iis male et superciliose esse dijudicata. Haec misellorum poetarum judicia quo iniquiora fuisse et futiliora probabile est, hoc minus mirabimur, ipsum Virgilium, quamvis modestum et lenem, sibi non potuisse temperare, quin utrumque illum nascentis suae laudis obtrectatorem, Bavium et Maevium, in Ecloga tertia cum irrisione et contemptu car-

peret. Neque huic sententiae adversatur Philargyrius, qui ad h. l. „*Duos*, inquit, *sui temporis poetas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abjecta sunt. Vult ergo notare, qui sunt inimici Virgilii; qui Bavium, id est, pessimum poetam* (sc. non oderunt) *et Maevium, id est, pejorem poetam* (sc. ament), *ut duplum habeant malum. Ex quibus Bavius curator fuit: de quo Domitius in Cicuta refert:*

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres sicut habere solent.
Rurà, domum, nummos atque omnia: denique, ut ajunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier communis utrique
Nupsit, deposuit alter amicitiam.“

Hoc epigramma est Domitii Marsi, in cujus carminum Reliquiis illud N. II. positum illustravi in Comment. *de Domitio Marso Poeta* §. 7., ubi etiam §. 2. dixi, eorumdem pinguis ingenii poetarum obtrectationibus videri expositum fuisse Domitium Marsum. Nisi forte probabilius videtur, illum acerbioris naturae poetam ultro neque ullis lacessitum maledictis in abjectos istos malevolosque bonorum poetarum reprehensores epigrammatum suorum stilum acuisse. Utcumque est, Domitius Marsus, clarissimus ille epigrammatum scriptor, Bavium ejusque fratrem, quem ipsum Maevium esse non temere quispiam suspicetur, hoc carmine egregie ludificatus est.

De vita utriusque hominis pauca admodum nobis cognita sunt. Hieronymus in Eusebii Chronico notavit annum, quo *Bavius* obiit: Olymp. CLXXXVI. 3. „*M. Bavius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, moritur in Cappadocia.*“ Is Olympiadis centesimae octogesimae sextae annus incidit in annum U. C. 720., ita ut, quo circiter tempore Domitius illud epigramma fecerit, colligi possit. Ex Hieronymi testimonio patet, M. Bavium fuisse genere et origine Romanum, licet ejusdem nominis Romani nusquam memorati inveniantur, si discesseris a *Bavia Q. L. Prima*, quae est in Inscriptione ap. Gruter. p.

CCCLVII. 4. Jam qui ab Hieronymo in Cappadocia mortuus esse et a Virgilio in Bucolicis notatus dicitur M. Bavius, a Philargyrio perhibetur fuisse *Curator:* quod quidem nomen quo accipiendum sit significatu, ambiguum est. Nam Augustus, ut auctor est Suetonius c. 37., quo plures partem administrandae reipublicae caperent, nova officia excogitavit, ut curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividundi. Olim earum rerum curam traditam fuisse Censoribus, constat ex Cicerone de Legg. Libr. III. c. 3. §. 7. ibiq. Moserus in Excurs. XII. p. 508 sq.; sed Augustus primum constituit, ut illa munera singularia essent et stata: id quod Lipsius in Excurs. ad Taciti Annal. Libr. III. c. 31. docuit. Atque illos omnes communi *Curatorum* nomine dictos esse, satis probavit Casaubonus ad Suetonii l. c. Tametsi tempus, quo illa curatorum munera Augustus fecerit certa et perpetua, incognitum est; id tamen extra omnem dubitationem positum esse videtur, illa ab eo non prius potuisse institui, quam, M. Antonio devicto, unus rerum potitus esset, i. e. post a. U. C. 725. Caeterum Augustus illud instituit Maecenatis suasu, si fides est Dioni Cassio Libr. LII. c. 25. Jam ex his conficitur, ut M. Bavius, quem triennio ante pugnam Actiacam vita defunctum esse testatur Hieronymus, ex hoc Curatorum genere non fuisse videatur. Atque eamdem ob caussam vetamur cogitare de *Curatoribus Caesarum*, quibus reditus fiscales in provinciis demandatos fuisse, adversus Lipsium in Excurs. ad Taciti Annal. Libr. XII. c. 60. ostendit Corn. van Bynkershoek Observatt. Libr. II. c. 20. p. 189 sqq. In medio igitur relinquamus necesse est, cujus rei curator fuerit M. Bavius: id modo pro certo haberi potest, publicae rei administrationem illi fuisse demandatam, alioqui non potuisset a Philargyrio simpliciter nominari *Curator*. Fortasse Triumvirorum jussu in Cappadocia, ubi mortuus est, publicae alicujus rei curandae caussa commoratus est, ita ut etiam *Procurator* nominari potuisset: vid. Heinrich. ad Ciceronis Fragm. Or. pro M. Tullio c. 16. §. 17. p. 31. ed. Beier. Ejusdem Bavii meminisse videtur Symmachus Libr. X. ep. 1. „*non idem honor in*

pronuntiandis fabulis Publio Pollioni, quam Bavio fuit: qui tamen locus valde corruptus est, ut docuit Burmannus ad Virgilii Eclog. III. v. 90. et mihi quoque Juretus non sine magna veritatis specie pro *Bavio* conjecisse videtur *Ambivio:* de quo fabularum actore, L. Ambivio Turpione, videsis Intpp. ad Cicer. d. Senect. c. 14. et Auct. Dial. d. Oratt. c. 20.

Maevius quis fuerit, magis etiam in obscuro est, si quidem nemo veterum, praeter Virgilium et Horatium, ejus mentionem fecit. Unus Porphyrion ad Horatii Sat. Libr. II. 3. v. 239. refert, hunc Maevium poetam scripsisse de filio Aesopi, tragoedi nobilissimi, et luxuria ejus, quem et ipsum Aesopum appellat, cum tamen Clodius dicatur a Plinio H. N. Libr. IX. c. 59. Alius quidam *Maevius* in Pandect. XXXI. 1. 76. extr. et *L. Maevius Epictetus* in Inscript. ap. Gruter. p. CCLV. 3. memorantur. Illius apud posteros famae nescio dicam an infamiae satis consuluit cum Virgilius, tum maxime Horatius. At videtur etiam ille cum Bavio conjunctus sociis quasi armis impugnasse nobiliores poetas: nam Servius ad Virgilii Georg. Libr. I. v. 210. *serite hordea campis* haec adnotavit: „*Sane reprehensus Virgilius dicitur a Bavio et Maevio hoc versu:*

Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.“

In hac Servii adnotatione mirum me habet, quod Bavius et Maevius ejusdem versus auctor dicatur. Id quo pacto potuerit fieri, non exputo, nisi forte illi in libro communi opera scripto istam dictionis Virgilianae reprehensionem proposuerunt: quod mihi minus placere fateor. Fortasse praestat suspicari, a Servio scriptum esse: *a Bavio aut Maevio*, quippe qui ignoraret, ab utro iste versus sit factus. Huc accedit, quod Cledonius apud Putschium p. 1898. eum Cornificio Gallo, poetae cuidam, adscribat, quem Burmannus ad Ovidii Trist. Libr. II. v. 436., Servianae immemor notae, secutus est. Spaldingius ad Quintiliani I. Or. Libr. I. 5. §. 98. opinatus pro Cornificio Gallo substituendum esse *Cornelium Gallum*, Forojuliensem, poetam doctum et Virgilii amicum, ipse tamen sensit, quantum hujuscemodi irrisio a poetae et amici animo ab-

horreret. Equidem non multum absum quin *Galli* cognomen suspectum habeam apud Cledonium, utqui Cornificium cum Cornelio Gallo confuderit. De Cornificio, poeta Romano, copiosius egi in Comment. *de C. Helvio Cinna Poeta* Cap. I. §. 4. N. 11., qui licet esse possit istius versus auctor, tamen Servii testimonium sequendum esse arbitror. Quid enim probabilius est, quam Bavium aut Maevium ejusmodi minutias grammaticas in politissimo Georgicon opere esse rimatos, ut Maronis laudi obtrectarent? Nam acumen illius versus plane latuit Heynium ad Donati Vit. Virgil. c. XVI. §. 61. explicantem: „debet et de his praecipere.“ Imo istos homines male doctos offendit numerus pluralis v. *hordeum:* hinc illi monere voluerunt, eum, qui *hordea* dicat, debere etiam *tritica* dicere. Recte Jo. H. Vossius ad Virgilii Eclog. V. v. 34. p. 250. convertit:

Ihm, der hordea *sagt, ist* tritica *übrig zu sagen.*

Etiam Quintilianus l. c. in oratione prosa improbat *hordea*, quoniam, quae ponderi ac mensurae subjecta sint, pluraliter non declinentur; sed contra illam Grammaticorum legem jam Cicero de Amicit. c. 19. *vina* dixerat. Cf. Ruddimanni Instit. Gr. Lat. Libr. I. c. 3. N. 19. Vol. I. p. 141. St. Alio sane consilio nescio quis Virgilio, recitanti Georgicon librum primum, et v. 299. post verba:

Nudus ara, sere nudus:

forte longiorem facienti pausam subjecit:

habebis frigore febrem.

Ita enim hoc hemistichium legendum est pro vulg. *habebis frigora, febrem.* Jo. H. Vossius ad Virgil. Georg. l. c. p. 145. illud allegans: *habebis frigore febres*, vernacule reddit:

Nackend gepflügt und nackend gesät; — bringt Schnupfen und Fieber;

sed v. *frigore* h. v. pro *hieme* dici, docet Virgilianum hemistichium: *hiems ignava colono*, ita ut illa rectius transferantur: *bringt Fieber im Winter.* Donatus in Vit. Virgil. l. c. haec ab obtrectatore quodam dicta refert; Vossio contra videntur ab homine joculari subjecta fuisse. Quidquid est, hominem istum inficetum insulsumque fuisse nu-

gatorem neque Virgilii studiosum, in aprico est. Quis enim non videt, Virgilium recitantem ludibrio habitum esse? Tempus non obstat, quo minus et hoc a Bavio aut Maevio factum putemus, qui procul dubio nobiliorum poetarum recitationes, ad captandam vituperandi obtrectandique materiam, studiosissime sectarentur. Certissime constat, Georgica a Virgilio scribi coepta esse a. U. C. 717.; Bavius cum a. U. C. 720. obierit, Virgilii Georgicon librum primum recitantis auditor esse poterat et irrisor [26]). Maevius, haud dubie Bavio, si non fratri, certe familiari suo, superstes, licet nesciamus, quousque suam vitam produxerit; tamen pro certo affirmari potest, quatuor istos versus Aeneidi in aliquot Codicibus praefixos non esse fabricatos in Maevii, nedum Bavii officina, ut odoratum se esse jactat Heumannus in Poeciles Tom. II. libr. III. p. 378. Longe verisimilius est, ab alterutro versificatore profecta esse *Antibucolica*, quae, ut memoriae prodidit Donatus in Vit. Virgil. c. XVI. §. 61., innominatus quidam rescripsit prolatis Virgilii Bucolicis. Haec a. U. C. 717. uno volumine evulgata sunt; ista vero Antibucolica post illum annum scripta fuisse, inde colligi licet, quod poeta ille *ἀνώνυμος* non tam ordinem, quo singulae Eclogae compositae erant, quam eum ob oculos habuisse videatur, quo illas junctim ediderat Virgilius. Nam illud opusculum constabat duabus modo Eclogis, quarum in prima initium Eclogae Virgilianae primae iste scriptor insulsissime *παρῳδήσας* sic notaverat:

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

cujus versus sensus est: si tibi toga est calida, qua te tegas, cur opus est tibi tegmine fagi? Quare nolim cum Gronovio et Heynio legi: *quo tegmina fagi?* Vituperii acumen inest in oppositis vv. *toga* et *tegmen*. Videtur autem iste homo offensus fuisse usu v. *tegmen* de umbra

---

26) Conferas doctam et accuratam hac de re disputationem Jahnii in Introduct. in Virgilium p. XX sqq. Jo. H. Vossius ad Virgil. Georg. Libr. I. v. 505. p. 211. statuit, librum Georgicon primum a. U. C. 719. absolutum esse: id si verum est, conjectura de Bavio, Virgilii recitantis auditore, magnam habet probabilitatis accessionem.

arboris. Idem secundam Antibucolicon Eclogam exorsus erat:

Dic mihi, Damoeta, cujum pecus, anne Latinum?
Non; verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

quibus versibus irridetur initium Eclogae tertiae, in qua Virgilius Bavio et Maevio illuserat. Eccui igitur improbabile est, alterutrum ista irrisione exacerbatum vindictam sumpsisse a poeta Mantuano scriptis Antibucolicis? Sicut illi v. *hordea* notarunt insolentiae nomine, ita v. *tegmen* et v. *cujum pecus* paene rustica asperitate castigarunt, et neminem nisi qui ruri vivat ita loqui posse jactarunt. Scilicet isti cascae antiquitatis admiratores stolidi et vetustorum obsoletorumque verborum putidi aucupes, omne novandae et augendae orationis studium perosi, Virgilium, Horatium aliosque poetas, Graecae studiosos elegantiae, et dictis et scriptis insectabantur et eorum famam bonamque existimationem petulanter ac malevole arrodebant. Igitur si quae ab illis magni ingenii poetis in sermone novata deprehendebant, ea ut cupide venari, ita tamquam naevos inficetissime carpere consueverant et in ipsos poetas ὅλῳ τῷ μυκτῆρι, ut Graeci dicunt, utebantur.

§. 7.

Hinc plurimum lucis accenditur aliquot Horatii locis, ut in Epistola ad Pisones v. 55 sqq.

Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum praesente nota producere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque [27]).

---

27) Horatius h. l. manifesto respicit eos, qui omnis in sermone Latino novationis osores ipsum eo nomine vituperarant, seque tuetur exemplo Catonis Censorii et Ennii, qui ad locupletandam linguam patriam plurimum contulissent. Submorosus enim et stomachosus scripsit: *cur ego invideor?* Non male Schol. Cruq. *Mire, dum de fingendis verbis loquitur, Graeco*

Haec ad Pisones prius scripsit Horatius, quam Julio Floro, adolescenti artis poeticae studioso, veri poetae officia et legitimi carminis virtutes exposuit Libr. II. Epist. 2. v. 115 sqq.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas;
Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus;
Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua [28]).

---

more loquitur, φθονοῦμαι, id est, invidiam patior. Invideor enim videtur non satis Latine dici posse. Huic adnotationi lux accenditur ex loco Ciceronis Tusc. Q. Libr. III. c. 9. Cf. Ruddimanni Inst. Gr. Lat. Syntax. Libr. I. c. 2. N. 95. T. II. p. 144. St. — *Nova rerum nomina*, ut Sat. I. 3. v. 102. *Bonec verba, quibus voces sensusque notarent, Nominaque invenere:* qui locus illustrat h. l. v. 59., ubi nollem Doeringius recepisset *procudere nomen*, qua lectione *tavτολογία* nascitur, ut bene docuit Fea. Jam Bentlejus pervidit, *producere* idem esse quod antecedens *proferre* i. e. invenire. Diversae naturae est locus Ciceronis d. Orat. Libr. III. c. 30. *Non enim solum acuenda nobis, neque procudenda lingua est*, ubi, ut recte monuit Ernestius, mera inest ἐπεξήγησις v. *acuere*, si quidem procudendo ferrum fiat acutum. Hunc locum cum Pindar. Pyth. I. v. 86. contulit Boeckhius in Comment. Tom. II. P. II. p. 238. Caeterum de Horatii sententia legi meretur Muretus Var. Lect. Libr. XV. c. 1. Vol. II. p. 345. — Versu 62. retinui *vigentque* contra Feam, ex uno Cod. *virentque* reponentem, quod putida fere doctrinae copia munire studet. At vero idoneis exemplis probandum fuit, verba nova dici ab antiquis scriptoribus *virere* et *viridia* esse.

28) Poeta, inquit Horatius, vocabula rerum diu *obscurata* i. e. ab usu sermonis quotidiani jam diu omissa, *eruet populo bonus* i. e. benignitate et liberalitate quadam in populum ductus ex situ et squalore protrahet et in usum revocabit. Minus recte Doeringius v. *bonus* de poeta s. scriptore ipso accepit. Praeter illa vocabula, quae, cum temporum decursu in desuetudinem venerint, denuo usurpabit, etiam nova adsumet et ita sermonem Latinum augebit verborum ubertate, fluvii instar agros inundantis et fecundantis. Frequens est oratorum et poetarum cum amne comparatio: cf. quae disputavi in libr. *Ueber das Leben u. Gedicht des Apollonius von Rhodus*, p. 78 — 83. N. 107. Neque tamen ejusmodi poeta, qui verborum opes fundit, lutulentus fluere debet, sed *liquidus* et *vehemens:* in quo notio inest copiae et roboris seu fervoris, quo decurrit oratio mascula et *liquida* i. e. nullis permixta sordibus. Anapaestus v. *vehemens* in Hexametri initio multis fuit offensioni peperitque varias corruptelas et verborum trajectiones, collectas a Fea, qui ipse edidit: *Hic vehemens, liquidus puroque simillimus amni.* Male! Si quid mutandum, fortasse praestiterit verba sic transponere: *Liquidus et vehemens*, si quidem primam hujus vocabuli syllabam produxit Lucretius Libr. I. 350. et II. 452. Ita Virgilius Aen. I. v. 432. et IX, 679. v. *liquentia* primam diversa mensura adhibuit, si contuleris Aen. V. 238. et 776., ubi eam corripuit. Scilicet hoc Participium

Utraque Epistola cum a poeta Venusino intra annos U. C. 730—735. exarata sit, non quo familiares suos de arte poetica edoceret, sed ut se suaque carmina adversus ineptas obtrectatorum voces nugasque defenderet; profecto dubitari nequit, quin ei seriori adhuc tempore digladiandum fuerit cum hominibus, qui in ipsius quoque carminibus eadem reprehenderent, quae a Bavio, Maevio aliisque id genus versificatoribus in Virgilii Eclogis et Georgicis notata esse vidimus. Illa cum scriberet, ejus animus longa patientia aliquantum occalluerat, nec mirum est, eum in Epistolis non tanta in obtrectatores invectum esse ira, quanta nonnumquam in Satiris et Epodis excanduerit. Locupletissima ejus sententiae testis est Epodos decima, quam in illum ipsum Virgilii obtrectatorem, Maevium poetam, scripsit anno, ut equidem puto, U. C. 723. Is cum aliquando in transmarina abiret loca, Horatius illud carmen composuit tamquam Propempticon, Hipponacteo felle plenissimum. Inauspicatam auguratus navigationem v. 1.

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Maevium;

imprecatur ei naufragium miserrimamque mortem. Maevius quin idem sit h. l. intelligendus, cujus Virgilius Ecl. III. v. 90. meminit, dubitare nos non sinunt Servius et Scholiastes Cruq. ad h. l. „*Maevius poeta fuit inimicus Horatii, obtrectator certe omnium virorum doctorum, ipse sectator vocum antiquarum, de quo Virgilius: Qui Bavium non*

---

descendit vel a v. *liquor* vel a *liqueo*: prius primam syllabam producit, posterius corripit: vide Ruddimanni Inst. Gram. Lat. Etym. Libr. III. c. 2. N. 34. T. I. p. 264. Heynius ad Virgil. Aen. IX. 679. hanc derivatorum verborum diversitatem prosodiacam illustrat Gr. v. φίλω, φιλέω, ποφφύρω, ποφφυρέω. Verum enim vero in Horatii loco nulla opus est verborum trajectione! Magnopere falli eos, qui Anapaestum defendant, monet Santenius ad Terentian. M. v. 1618. p. 158., cum, qui ab illis allegentur loci, alio eoque commodiore modo expediri queant. Vulgata lectio apud Horatium sana est: nam v. *vehemens* per Synizesin in Spondeum coalescit, ut recte statuit Wakefieldus ad Lucret. Libr. II. 1023. *Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis*: ubi laudatur ex Ciceronis Arat. v. 119. — *clinata est ungula vehemens Fortis equi propter pennati corporis alam.* Lucretius Libr. III. 153. *Verum, ubi vehementi magis est commota metu mens.* Ita v. *vehemens* disyllabum est ap. Catull. C. 50. v. 21. *Est vehemens Dea: laedere hanc caveto.* Alia id genus exempla larga manu congessit Lennepius ad Santenii Terentianum M. p. 426 sqq.

odit, amet tua carmina, Maevi.“ Hunc igitur inimicum suum peregre abeuntem contumeliosa Iamborum rabie prosequitur Poeta sive ludendi tantum ejus caussa, uti Mitscherlichius in Argum. p. 563. statuit, sive ut, data hac occasione, omnem bilem in ineptissimum istum obtrectatorem evomeret: quod posterius totius carminis gravitate orationisque colore probabilius redditur. Neque eam, quae hoc in carmine expromitur, acerbitatem in adversarios alienam esse ab Horatii humano quidem, at irritabili animo, alia id genus carmina ejus abunde comprobant. Primum igitur optat, ut fluctibus obruatur navis ferens *olentem Maevium:* quo in epitheto acumen inesse, nemo non intelligit, sed in qua re illud sit positum, inter Viros Doctos non convenit. Scholiastes Cruq. explicat: *putidum, turpem, malum poetam, cujus carmina puteant nimia vetustate vel ipsemet corporis vitio.* Lambinus cogitavit de taetro isto odore, quem alae hominum exhalant et quem Graeci τράγον s. κινάβραν, Romani *caprum* seu *hircum alarum* appellant: videatur Doering. ad Catull. C. LXIX. 6. cl. Intpp. ad Petron. Sat. c. 128.; sed Jan. Rutgersius Venus. Lectt. c. 10. p. 288. retulit ad *obsoletorum verborum*, quae affectabat, *foetores.* Ita enim Auctor Dial. d. Oratt. c. 22. *quaedam vero procul arceantur et jam oblitterata et olentia.* Jo. H. Vossius ad Virgilii Eclog. III. v. 90. p. 146. non tam ad carmina ejus, quam ad corporis obesitatem illud referendum esse censet ob v. 21.

Opima quod si praeda curvo littore
Porrecta mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

Ita etiam Schol. Cruq. ad v. *opima: pinguis, hinc initio dixit putidum* (olentem), *quia superflua caro solet incalescens gravem generare putorem.* Mitscherlichius maluit cum Lambino intelligere graveolentiam alarum sive, ut Horatius Epod. XII. 5. ait, *gravem hircum hirsutis in alis cubantem*, quia exprobratio vitii in corpore acerbior sit quam verborum putentium et sordidorum notatio et vituperium. Neque tamen opus esse ait idem Vir Doctus,

ut illud corporis vitium a pinguedine ortum putemus ad eamque v. *opima praeda* trahamus, cum universe lautius significetur pabulum, quod mergis raro contingat. At, nisi me omnia fallunt, Horatius utique illis verbis Maevio crassum ac pingue exprobravit corpus, cui simul stuporis adjunctam fuisse notionem ostendimus in Comment. de *M. Furio Bibaculo Poeta* §. 3. Neque tamen negaverim, subesse dilogiam quamdam et simul notari obsoletorum et rancidulorum verborum studium, cui Maevius pariter ac Bavius dediti essent. Atque ita Maevium depinxit Horatius ut hominem, qui magis abdomini quam Musis natus esset. Quodsi vero in Comment. *de Domitio Marso* §. 7. recte suspicati sumus, ad Maevium spectare illius poetae epigrammatarii Fragm. V. „*Hircum et alumen olens;*“ dubitari nequit, quin de Maevio olente valuerit, quod de Rufo quodam ait Catullus C. LXIX. v. 5.

Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Neque mihi videtur Horatius sine ratione et acumine Tempestatibus vovisse immolandum *libidinosum caprum*, licet concedam, Cruquium hac in re nimis argutatum esse. At v. *libidinosus* si pro epitheto capri perpetuo accipitur, magnopere friget in carmine, cui, quot verba, tot pondera inesse nemo est quin sentiat et fateatur. Virulenta autem acerbitas, quae toto in hoc carmine regnat, nobis suadet, ut statuamus, Horatium a Maevio gravissime lacessitum fuisse et ita exasperatum, ut irae suae atque indignationi non posset temperare, sed totus ei indulgeret.

Quo Roma migraverit Maevius, non constat. Mitscherlichius in Argum. p. 562. suspicatur, eum Athenas profectum esse, haud dubie in hanc deductus suspicionem a Vet. Intp. ad Ovidii Ibin v. 525.

Utque parum stabili qui carmine laesit Athenas,
Invisus pereas, deficiente cibo.

ubi ille haec adnotavit: „*Maevius poeta Athenienses carmine laceraverat, a quibus in carcerem conjectus inedia mori coactus est.*“ Miser igitur Maevius gravem procacis et impudentis linguae poenam dedit! Hanc Scholiastae

istius narrationem nonnulli Viri Docti fidenter secuti sunt, ut L. Gyraldus Dial. IV. d. Poet. Histor. p. 156. Vol. II. Opp.; dubitanter eam recepit Jo. H. Vossius ad Virgil. Ecl. III. v. 90. p. 146. Contra alii illum Ovidii locum ad Aristonem poetam, ab Atheniensibus, contra quos scripserat, fame enecatum retulerunt, ut auctor est Gyraldus l. c. VII. p. 294., et Im. Weberus in Dissert. casus Poetarum tragicos enarrante (Viteberg. 1714. p. 38.) Anaxandridem, Rhodium seu Colophonium fabularum scriptorem, Platonis et Atheniensium inimicum, de quo Casaubonus ad Athen. Libr. VI. c. 80. Vol. III. p. 544. Schw., ab Ovidio significari opinatur. Sed hunc Nasonis locum rectiori usus judicio expendit jam Alciatus Parerg. Jur. V. c. 8. et, rejecto Maevio, cui post Archilochum hic vix esse potuerit locus, de Hipponacte, auctore Scazontis, quem v. *parum stabili carmine* significari opinabatur, interpretatus est, cujus in sententiam transiit Turnebus Advers. IX. 25. Enim vero nihil de morte Hipponactis per inediam effecta constat. Idcirco Fr. Th. Welckerus in Hipponactis et Anamii Fragm. (Gotting. 1817.) p. 22., repudiata hac interpretatione, Ovidium de vate Attico explicat, quem imitatus erat Cn. Mattius in Mimiambis, auctore Terentiano Mauro v. 2416.

Hoc Mimiambos Mattius dedit metron;
Nam vatem eundem est Attico thymo tinctum
Pari lepore consecutus et metro.

ubi Santenius p. 348. v. *eundem* ad Hipponactem retulit, non ad Herodotum λογόμιμον, licet hoc existimarit Jos. Scaliger in Conjectan. ad Varron. p. 236. Bip. Bothius in Poet. Scen. Latin. Vol. V. P. II. p. 267. v. *eundem* mendosum esse ratus duplici tentavit correctione, quarum alteram altera censeo esse contortiorem. Welckerus cum Scaligero facit existimatque, Ovidii Vet. Interpretem confudisse cum Maevio Cn. Mattium, poetam Julio Caesari amicissimum et Iliade Homeri translata clarum, de quo praeter G. I. Vossium copiose egit Wernsdorfius in P. L. M. Vol. IV. P. II. p. 568 sqq. Cf. Comment. *de Laevio Poeta* §. 11. Fr. XX. Istius Interpretis auctoritas profecto levior

est, quam cui fidem habeamus, nec dubitaverim affirmare, Maevium olentem non esse eum, qui, auctore Ovidio, Athenas carmine lacerarit ideoque in carcerem conjectus obierit inedia. Itaque praestat in medio relinquere, quo Maevius iter contenderit, cum ex ipso carmine nil nisi hoc pateat, transmarina eum per Ionium aequor petiisse loca v. 19.

Jam si quaerimus, an alibi Horatius Maevii meminerit, sunt qui eum memoratum esse putent Libr. I. Sat. 3. v. 21.

Maenius absentem Novium cum carperet, „Heus tu“,
Quidam ait „ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas?“ — „Egomet mi ignosco“ Maenius
inquit.

ubi Codd. Msti aliquot *Naevius* habent et *Maevius*, quod reponendum censuit Jahnius ad h. l. p. 252. cl. ad Epod. X. p. 247. Non me praeterit, hac in Epodo nihil quidquam inveniri, quod nos de Maevio poeta jubeat cogitare; sed fas est hac in re Servii et Scholiastarum fidem ac testimonium amplecti praesertim veri non dissimile. Neque tamen certiora adsunt indicia de Maevio, feneratore quodam, cui peregre ab Urbe abeunti Horatius naufragium diramque mortem imprecatus sit. Et Maevii feneratoris nulla usquam fit mentio. Acron et Porphyrion ad Libr. I. Sat. 1. v. 101.

Quid mi igitur suades? ut vivam Maenius? aut sic,
Ut Nomentanus?

adnotarunt: *Maevius enim tam parcus fuit, ut merito sordidus appellaretur.* Hic quoque in Codd. legitur *Mevius*, *Naevius*, *Maenius*. Fea dedit *Naevius*, idque amplexus est Jo. H. Vossius, Horatii interpres. Rectius vero Heindorfius et Jahnius reposuerunt *Maenius:* quem si putas esse eum, qui a Lucilio fuerit notatus, necesse est statuas, nomen ejus factum esse commune pro quovis homine prodigo et nepote. Maenii enim, famigerati istius bonorum suorum decoctoris, nomen aeque celebratum erat ac dicta ab eo columna Maenia, de qua exposui in Comment. de *C. Licinio Calvo Poeta* §. 5. N. 13. Jam eum-

dem significari ab Horatio adnotat Porphyrion ad Sat. 3. v. 21., ubi cum Novio conjungitur. Qui licet procul dubio fuerit alteruter Noviorum fratrum, quos Romae fenus exercuisse tradunt Scholiastae ad Libr. I. Sat. 6. v. 121.; tamen nihil video quod obstet, quo minus hic hominem prodigum cum avaro feneratore conjunctum esse statuamus. Non enim opus est, ut fenerator feneratorem carpsisse dicatur. Sed quidquid ejus rei est, non vereor contendere, huncce Novii absentis reprehensorem, sive Maenii sive Maevii nomine dictum, diversum esse ab eo, cui Horatius Epodon X. inscripsit. Hunc enim Maevium esse poetam istum Bavio pejorem et Virgilii obtrectatorem, credamus licebit Scholiastis et Servio ad Virgil. Eclog. III. 90. In uno illo carmine propemptico Horatius, quidquid contraxerat stomachi, in istum effuderat; fortasse brevi tempore post obiit, cum Bavio haud dubie suppar esset aetate, obmutuitque. Hinc factum puto, ut non alibi ejus meminerit poeta Venusinus. Nam omnium vanissima est D. Heinsii opinatio, Maevium poetam tecte carpi ab Horatio in Epist. ad Pisones v. 136.

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclius olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

Hanc sententiam proposuit Heinsius in Horatii edit. Lugd. Bat. 1629. T. II. p. 137. Satis constat, quantopere in poeta, quem Horatius reprehendat, eruendo desudarint Viri Docti. Cl. Salmasius ad Solini Polyh. p. 601. suspicatur, intelligendum esse Leschen Lesbium, qui Ἰλιάδα μικρὰν scripsit: videsis Heynii Excurs. I. ad Virgil. Aen. II. p. 309. Alii cogitarunt de Arctino Milesio, a quo Ἴλιου Πέρσιδα scriptam esse notum est: cf. Heynii Excurs. I. ad Virgilii Aen. I. p. 313. Multo audacius, ne gravius quid dicam, hunc locum tractavit Regelsbergerus. Is cum in Cod. Msto pro *Cyclicus* seu *Cyclius* [29]) reperisset *Cyricus*,

29) Ita Bentlejus dedit pro *Cyclicus*, non odio quodam illius formae, ut Baxterus ait, sed prudenti ductus ratione et consilio. Graeci utramque formam promiscue usurpant. Cuningamus in Animadvers. p. 259 sq. ingentem hujus generis verborum copiam collegit et v. *Olympicus*, *Troicus*, *Cyclicus* in universum rejecit. Idem ap. Horat. Libr. II. od. 18. v. 7.

conjecit *Cypricus*, eamque conjecturam magna cum fiducia defendit in Comment. p. 128 sq. et cum apud Aristotelem Poet. c. 15. ἐν Κυπρίοις τοῖς Δικαιογένους legisset, certum ei est, Dicaeogenem hic ab Horatio castigari. At vero haec conjectura infringitur eo, quod Cypria carmina, a nuptiis Pelei et Thetidos exorsa, Antehomerica complectebantur: id quod docet Fragm. Procli in Biblioth. Antiq. Art. et Litt. Fasc. I. p. 23—31. ibiq. Heynius et in Excurs. I. ad Virgil. Aen. II. p. 309 sqq. Horatius autem manifesto hic de poeta loquitur, qui res Trojanas scripsit, et vix dubitari potest, quin Graecum in mente habuerit, non Romanum. Id D. Heinsium non sensisse, vehementer miror: nisi forte hoc sentiens eo temeritatis progressus est, ut contenderet, Maevium Graece scripsisse de bello Trojano, eumque ita esse exorsum:

Μοίρην ἀείδω Πριάμου καὶ ἀγάλυτον Ἄρη.

Nolo hic urgere v. *olim*, quod, etiamsi Maevium eo, quo Horatius illam epistolam exaraverit, anno vita defunctum esse statuamus, de poeta aequali nos cogitare vetat. Sed sunt alia, quae, quam futilis sit Heinsii suspicio, per-

---

scribendum censuit: *Nec Laconias mihi* pro *Laconicas* et Libr. IV. od. 8. v. 5. *Curru ducet Achaio* pro *Achaico*, quod item Fea merito damnavit ad Libr. I. od. 15. v. 35. Ante Bentlejum jam N. Heinsius ad Ovidii Heroid. Ep. I. v. 28. hac de re disseruit monuitque, Virgilium nusquam optt. Codd. testimonio usum esse forma v. *Troicus*, sed semper *Troius*. Bentlejus ad Horat. Libr. III. od. 3. v. 32. secutus ejus sententiam in Horatio ubique *Troius* vel invitis Codicibus reponendum censuit. Tacite idem fecit Fea. Eamdem nominis formam unice veram habet Burmannus ad Anthol. Lat. Libr. I. ep. 63. v. 3. Vol. I. p. 35. Videsis Intpp. ad Tibull. Libr. II. el. 5. v. 4., ubi Jo. H. Vossius hanc nobiliorem et doctiorem altera appellat. Non male! Ruhnkenius ad Vellej. Pat. Libr. I. c. 5. hac in re Codices audiendos esse dicit, cui accedit Handius ad Stat. Sylv. Libr. I. c. 1. v. 35. p. 81 sq. Equidem in eorum carminibus poetarum, qui imprimis se ad doctam Graecorum imitationem composuerunt, formam n. *Troius*, *Olympius*, *Achaius* praeferendam duco, eamque ap. Virgilium, Horatium, Propertium, Tibullum sine haesitatione restituendam, utpote exquisitiorem. Non persuadet Santenius ad Terentianum M. v. 1487. p. 115 sq. existimans, formam *Cyclicus*, de poetis a Cyclo mythorum dictis, usurpandam esse, at de choris et saltationibus in orbem institutis *Cyclius!* Hanc ob causam h. Horatii loco servandum putat *Cyclicus*. Apud scriptores prosaicos et serioris aetatis poetas alteram ejusmodi nominum formam, ut vulgariorem, si Codices addicunt, adoptaverim: ita ap. Sueton. Calig. c. 22. *inter quae Olympici Jovis* etc. dissentientibus licet Graevio et Casaubono ad h. l., et ap. Juvenal. Sat. VI. v. 205., *cum lance beata Dacicus* et *scripto radiat Germanicus auro*, quamvis multi Codices *Dacius* praebeant.

spicue doceant. Numquam enim ille mihi persuadebit, poetam Latii epicum a Romanis et dictum esse et dici potuisse cyclicum, etiamsi res ex Cyclo Trojano depromptas versibus epicis fuisset persecutus. Et quis credat, Horatium dignum habuisse Maevium, tam ineptum versificatorem et bonorum poetarum obtrectatorem, cujus carmen epicum, quamvis insulsum atque inconcinnum, cum Homeri Odyssea contenderet, quo melius praecepta de carminis epici exordio, a quo totius operis forma pendeat et descriptio, adnecteret? Sed mittamus mirificum istud Heinsii commentum, cujus si qua est ingenii et acuminis laus, ne potest quidem illi primo impertiri. Nam tribus jam saeculis ante eum Alanus ab Insulis in Anticlaudiano sive de perfecto viro Libr. I. v. 96. scripserat:

Illic pannoso plebescit carmine noster
Ennius, et Priami fortunas intonat illic
Maevius, in coelis audens os ponere mutum,
Gesta ducis Macedum (sic!) *tenebrosi carminis umbra*
Pingere dum tentat, in primo limine fessus
Haeret, et ignavam queritur torpescere Musam.

Alani istius, qui a. post Chr. n. 1203. mortuus est, meminit etiam L. Gyraldus de Poet. Hist. Dial. IV. p. 156. T. II. Opp. et ab Alano non ipsum Maevium Romanum, sed alium poetam, Phil. Gualtherium, qui carmen de Alexandri M. gestis scripsit, Maevii nomine perstringi suspicatur: qua de caussa Heinsius Gyraldo succenset miraturque, ei non succurrisse Horatii locum, quem cum Glossa vet. de Maevio, illius versus scriptore, haud dubie ob oculos habuerit Alanus!

Maevius in quibus carminum argumentis generibusque praeter ea, quae §. 6. conjectura ducti protulimus, ingenii sui vires periclitatus sit, plane ignoratur. Nam quod Jahnius ad Horatii Epod. X. p. 247. refert, a Maevio triumphos Caesaris malis versibus dici descriptos, ejus rei auctor mihi quamvis quaerenti nondum occurrit. Nihil carminum seu versuum Maevianorum aetatem nostram tulit: quam jacturam profecto non est quod magnopere deplore-

mus. Iste tamen Fati favore nescio dicam an ira id consecutus est, ut nomen ejus apud posteritatem commune fieret et θετικὸν de quovis malo poeta. Ita ap. Martialem Libr. X. ep. 76., ubi de iniquitate fortunae poetas negligentis et muliones locupletantis conquerens ait v. 8.

Pullo Maevius alget in cucullo;
Cocco mulio fulget Incitatus [30]).

eidemque Maevio spurcissimi argumenti epigramma 46. Libri XI., quod lascivior iste poeta Bilbilitanus per otium animi caussa luserat, inscriptum esse puto. Utroque in epigrammate Maevii nomen fictum est.

§. 8.

Haec habui, quae de Horatii obtrectatoribus, tum ipsius poetae, tum Scholiastarum secutus testimonia, dicerem. Mirabuntur autem fortasse nonnulli, quae tandem me induxerint caussae, ut de hominibus e faece Mercurialium virorum tam copiose dissererem eorumque intermortuam memoriam aliqua cum cura instaurarem. Est vero, ne quid dissimulem, hujus scriptionis consilium subito natum, cum Mansonis Commentationem de Horatio, veterum Latii poetarum judice, in ejus Miscell. Commentt. III. p. 89 sqq. (Breslav. 1821.) legissem. Hic elegantissimi vir ingenii novam in explicandis caussis, quae Horatium ad tam severum de antiquis Romanorum vatibus faciundum judicium permovissent, ingressus viam suspicatus est, exstitisse illo tempore Romae in litterarum studiis eorumque

30) Caligulae Imperatori equum fuisse *Incitati* nomine dictum, memoriae produnt Suetonius c. 55. et Dio Cass. Libr. LIX. c. 14. ibiq. vide Fabricium Vol. VI. p. 332. St.; sed h. l. manifestum est illud nomen esse equisonis seu mulionis. Propterea Petr. Faber Libr. II. Sem. c. 20. conjecit legendum esse: *Cocco mulio fulget Incitati*, eamque conjecturam firmavit Libr. XI. Epigr. 1. v. 16. *Sed cum sponsio, fabulaeque lassae De Scorpo fuerint et Incitato.* Fuit *Scorpus* nobilis agitator Domitiani tempore, cujus mortem Martialis deflet Libr. X. Ep. 50., eique Epitaphium scripsit ej. libri Ep. 53. et *Incitatus* h. l. putatur esse equus illius temporis velocitate Caligulae equo simillimus. At equidem statuo, etiam hic *Incitatum* esse nomen agitatoris, Domitiani ac Trajani aevo celebris, et ita ex illius equi memoria appellati. Quare in priore Martialis loco nihil mutandum puto, et utroque epigrammate eumdem mulionem esse intelligendum.

cultoribus duplicem sectam et quasi scholam, quarum alteram constituerint cascae antiquitatis amatores et admiratores, qui Livio Andronico in Dramatico, Ennio in Epico et Lucilio in Satirico poeseos genere praestantius quidquam esse negarent; in altera autem fuerint ii, qui novae gratiae atque elegantiae, ex Graeco haustae fonte, studiosi essent, et istos rigidae et rudis vetustatis sectatores meliora docere suamque caussam contra eos tueri conniterentur: utramque igitur partem inter se pro sua opinione, tamquam pro aris focisque, esse digladiatam, et novae poetarum scholae quasi antesignanum et propugnatorem habendum esse Horatium. Haec sententia acute excogitata et docte subtiliterque tractata, primo adspectu insignem habet ut novitatis gratiam ita etiam probabilitatis commendationem, et me quoque, fateor, ab initio cepit; accuratius autem eam rem consideranti mihi ejusque momenta sine omni opinionis temeritate ponderanti dubitationes quaedam subortae sunt, quae me ab assensu cohiberent.

Id utique verum est et notatu dignum, quod vel eo tempore, quo omnes propemodum artes ac litterae laetissime florebant Romae, studium antiquata et Catonibus Cethegisque usurpata verba obsoletasque orationis formas sectandi aucupandique in quavis litterarum parte multos eosque eruditissimos viros tenuerit occupatos. Appellabantur *Antiquarii*, de quibus I. G. Walchius in Histor. Crit. L. Ling. p. 187. egit, et componebantur cum *Cacozelis*: utrosque Augustus, qui, munditiarum patris sui, ut Gellius N. A. Libr. XV. c. 7. ait, in sermonibus sectator, ejusmodi reconditorum verborum foetores vitabat, pari sprevit judicio, teste Suetonio c. 86. Ille vetustus orationis rigor, omni destitutus cultu, primum in eloquentia detersus est per M. Aemilium Lepidum, cognomine Porcinam, Cos. a. U. C. 617., in quo, ut Cicero in Br. c. 25. ait, primum lenitas illa Graecorum apparuit et verborum comprehensio, etiam artifex veluti stylus: cf. Ellendti Proleg. in Cicer. Brut. p. XXXIII sq. Hujus et utriusque Gracchi exemplum multorum juvenum ad perdiscendas Graecorum doctrinas et consequendam illam, quae Athenis inventa et perfecta

esset, dicendi vim et elegantiam excitavit studium: quo evaserunt M. Antonius et L. Licinius Crassus, in quibus primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam esse fatetur Cicero in Br. c. 36., qui ipse proximum illis altioremque locum occupavit. Atque Ciceroni adhuc cum istis antiquitatis amatoribus et admiratoribus pugnandum fuisse, attestatur Auctor Dial. de Oratt. c. 22.

Haec autem, quae per illos, quos memoravi, oratores aliosque in eloquentia effloruit, sermonis Latini maturitas, ad poesin serius est traducta et, quod sciamus, per Virgilium demum, Horatium et Varium, qui omnes Graecarum Musarum veneres felicissimo conatu in sua transfunderent carmina, eximiis declarata monumentis, ita ut hi triumviri, Graecorum in arte poetica aemuli, verae apud Romanos poesis effectores ac veluti architecti dici haberique mereantur. Nam, antiquiores ut omittam Latii poetas, Lucretianae dictionis ponderosa gravitas quam horrida adhuc et sordibus inquinata est! Nihil dicam de P. Terentio Varrone Atacino, cujus inelegans oratio et hians compositio ex residuis cognoscuntur fragmentis; etiam in Catulli poematis Graecum nitorem et concinnam facilitatem desiderari, nemo est, qui infitias eat. Quid? nonne ipsius Ciceronis poetica dictio mirum quantum differt a felicissima illa facilitate, quam in ejus sermone admiratur Quintilianus I. Or. Libr. X. 1. §. 111? Duri ejus versus, omni compositionis et concinnitatis arte carentes et salebrosi immundum vetustatis colorem referunt. Cf. Auct. Dial. d. Oratt. c. 21. Atque, ut ad aetatem ipsius Horatii descendamus, nonne Asinius Pollio, qui, auctore Suetonio d. Illustr. Gr. c. 10., Sallustii scripta reprehenderat, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, tam longe a nitore et jucunditate Ciceronis abfuit, ut Quintiliano l. c. §. 113. saeculo prior vixisse et Auctori Dial. d. Oratt. l. c. inter Menenios et Appios studuisse videretur? Haec veterum judicia tametsi ad solutam Pollionis orationem spectant, tamen non dubium mihi est, quin, si carmina ejus eo nomine praestitissent, id minime silentio fuisset praeteritum. Atque Auctor Dial. d. Oratt. l. c. id, quod dico, expres-

sis verbis attestatur: „*Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est.*“

Quemadmodum igitur lubenter concedimus, quod concedendum est, Horatii aetate viguisse antiquae in carminibus componendis dictionis studium, prorsus contrarium ei, quod ipse sequeretur et adamaret; ita pernegamus, eum sive sponte sive lacessitum aggressum esse eos, qui de poesi ejusque arte secus, quam ipse, statuerent, et in scribendis poematis veterum Latii poetarum vestigia premere mallent, quam Graecorum, ad quorum exemplum ipse se totum componebat. Nam profecto si qua esset facta poetarum in duas partes discessio, non dubium est, quin aliquid de gravioribus, quam Hermogenes, Fannius et caeteri homunciones fuerunt, alterius partis patronis inaudiremus et relatum legeremus. Et ponamus, pugnasse pro veterum poetarum auctoritate, a Virgilio deminuta, Bavium et Maevium ideoque utrumque a Marone Eclog. III. v. 90. ludibrio habitum esse: nonne omnem pudorem ac prudentiam ejuraret Virgilius necesse erat, opponens illos, tamquam pessimos poetas, Asinio Pollioni, ut optimo poetae, utqui in suis tragoediis Pacuvium et Attium exprimeret, ex alieno saeculo peteret verba et ad Appium usque et ad Coruncanium rediret, ut utar verbis Senecae Epist. CXIV. §. 13. Atque eumdem hunc Pacuvii Attiique imitatorem Horatius Sat. I. 10. v. 85. in eis ponit, quorum judicio si sua probata fuerint carmina, Tigellios Demetriosque inter discipularum cathedras plorare jubet! At, dixerit aliquis, periculosum quiddam erat et imprudens, tantae virum auctoritatis, quantae erat Pollio, impugnare ejusque studiorum rationem improbare; impune autem et tutum, Maeviis, Fanniis aliisque hujusce generis versificatoribus effrenata libertate atque illiberali petulantia illudere. Qui hoc sibi persuadeat, is vereor ne non perspectum habeat Horatii animum, qui pristinae libertatis sensum illo tempore nondum ita exuerat, ut civi se potentiori, quae sentiret, ea libere aperteque fateri pertimuisset. Ejus rei illustre documentum est ingenua et perurbana libertas, qua discin-

ctam vivendi sentiendique rationem Maecenatis, patroni sui, cui tot et tanta deberet beneficia, carpere in scriptis sustinuit.

Sicut igitur Virgilius, qui, uti ipse dixisse fertur, auctore Donato in Vit. Virgil. c. XVIII. §. 71., aurum de stercore Ennii collegit h. e. si verum fateri volumus, Ennii aliorumque antiquiorum Latii poetarum versus integros passim sublegit, et suae Aeneidi hic illic obsoletas verborum formas nescio qua de caussa intexuit, non ideo Bavium et Maevium amara irrisione perstrinxit, quod antiquorum illi essent poetarum patroni, sed ut, juvenilis aestu animi abreptus, illorum fatuitatem cum fastu et obtrectandi lubidine conjunctam, quam ipse esset expertus, castigaret atque illatam sibi injuriam ulcisceretur; ita etiam Horatius non ad tuendam partis alicujus sectaeve communem caussam adversus nonnullos aequalium suorum stylum acuit et veterum Latii poetarum opera severo judicio percensuit, sed ut suorum carminum contemptores, homines stolidos et invidiae labe suffusos, puniret et se suaque carmina contra illorum praepostera et maligna judicia defenderet. In qua caussae defensione probe sunt distinguenda tempora, quibus Horatius poeta Romae innotuit. Aequales ejus Satirarum, quas primum composuit et juris publici fecit, impatientes cum alia in eis notarant, tum eas a Lucilianis Satiris longe superari dictitarant. Horatius cum hoc judicio offensus Lucilium eadem usus libertate, qua ille, teste Servio ad Virgil. Aen. XI. v. 61., de Ennio judicarat, reprehendisset, omnes, qui Lucilium ex vero non aestimarent, irritavit eorumque invidiam sibi contraxit et obtrectationem. Ad hanc repellendam et judicium de Lucilio suum illustrandum confirmandumque omnis ejus in Satiris spectat disputatio de aliis poetis. Nihil in his inique nimiumque severe dictum de Ennio aliisque antiquioribus Latii poetis, qui quidem haud immerito in posteritatis ore essent atque honore. Progressu temporis accesserunt aliae caussae, ex Horatii vita tum privata tum publica repetendae, quae efficerent, ut, quidquid carminum scriberet, severiorem imprimis eorum, qui poeticam artem ipsi callere sibi vide-

bantur, incurreret censuram, neque apud populum in tanta esset laude atque aestimatione, quantam sua carmina mereri ipse Horatius, praestantiorum aequalium applausu et assensu inductus, sibimet ipsi persuaserat. Prae caeteris Grammatici videntur fuisse, qui caussa nescio qua Horatii famam bonamque existimationem arrodere ejusque carmina, ut insipidae scilicet plebi sapere viderentur, malignius carpere et in contemptum adducere solerent. Hinc indignatio et bilis, qua veluti tinctam invenimus Epistolam ad Maecenatem Libr. I. 19.; hinc copiosa et nigro sale perspersa disputatio de arte poetica ejusque studiosis, quam ultro, ut equidem reor, cum Pisonibus et cum Julio Floro Libr. II. 2. per epistolas communicat; hinc denique severitas, summa tamen aequitate temperata, qua in Epistola ad Augustum Grammaticorum, quos cum contemptione quadam *Criticos* appellat v. 51., judicium de veteribus Latii poetis impugnat. In omnibus his Epistolis sive potius Sermonibus mihi non dubium est quin Horatius suam ipsius nec partis alicujus sectaeve caussam egerit.

DE
M. FURIO BIBACULO POETA.

§. 1.

Cum in Commentatione de Horatii Flacci Obtrectatoribus rationes et caussas, ob quas Horatius severior veterum Latii vatum exstiterit censor, indagare et probare coeperim, illam judicandi severitatem ac prope fastidium in ejus animo excitatam auctamque fuisse stultitia et iniquitate eorum, qui ejus judicio de Lucilii Satiris offensi atque exasperati, ipsius Satiras obtrectare apud plebem et in contemptum adducere studerent: haud vereor, ne, si abruptum ibi disputationis filum hic denuo attexere omnemque hanc materiam, per se non injucundam et fortasse litterarum studiis, quae illo tempore Romae celebrabantur, aliquid lucis allaturam, subinde absolvere constitui, apud cordatos lectores in vanitatis cujusdam suspicionem incurram aut praeconceptae opinionis laqueis irretitus magno conatu magnas nugas agere videar. Quamquam sane res, quae disceptatur, ita est comparata, ut omni cura cavendum sit, ne argutiis pro demonstratione, conjecturis et hariolationibus pro historicis argumentis utamur, tamen in ea ultra disertam historiae fidem quaerendi studium neutiquam erit praeclusum et testimoniorum penuriam compensare licebit suspicionibus, quae, sua vi et adjunctis roboratae narrationibus, judicii circumspectionem et severitatem non reformident.

Cum igitur contendo, Horatium non naturae quodam vitio nescio dicam an virtute, quidquid Romanam redoleret antiquitatem, nauseabundum sprevisse, nec partis alicujus

caussam egisse, sed, lacessitum a Satirarum suarum obtrectatoribus, ambitione quadam, praestantissimis quibusque hominibus propria, veteribus Latii poetis quasi bellum indixisse et ad confutandas stultorum cascae antiquitatis admiratorum cavillationes tuendumque suum judicium istam censuram, quam a Lucilio exorsus esset, latius extendisse; ejus sententiae novum idque gravissimum praesidium ex Satira decima Libri I. ejusque scribendae consilio peti posse arbitror. Etenim cum Horatius Satira quarta ejusdem Libri et judicio, quod de Lucilio fecisset, gravem admiratorum ejus offensionem atque invidiam suscepisset; ipsi necessarium nec sua persona indignum est visum, ineptis illis malevolisque hominibus respondere, ut sententiam suam de Lucilianis Satiris defenderet, novis idoneisque firmaret rationibus eamque, ut veritati consentaneam, ita ab omni inhonestae vanitatis obtrectationisque labe immunem esse, probatum iret. Quo quidem consilio decimam illam Satiram ab eo fuisse scriptam, constat: quod carmen cum miro compositionis artificio, tum vero etiam luculentissimis animi subito vehementerque commoti et gravissimae indignationis indiciis prae caeteris esse insigne, nemo est quin sentiat. Plenum est fellis acerbaeque irrisionis, adeo ut in eo, tamquam in tabula repraesentatum, agnoscere liceat Horatium, *irasci celerem, tamen ut placabilis esset.* (cf. Epist. I, 20, 25.) Quod enim Cicero alicubi (Epist. I. ad Attic. 17.) verissime ait, irritabiles esse animos optimorum saepe hominum et eosdem placabiles, et esse hanc agilitatem mollitiamque naturae plerumque bonitatis, id nescio an in nullum antiquitatis scriptorem verius quadret, quam in Horatium. Haec animi excandescentia, Horatio propria, cujus diligens observatio dici non potest quantum omnino ad rectiorem carminum ejus intelligentiam valeat, per totam hanc dominatur Satiram, et non tantum petulantiorem obtrectatorum irrisionem et contemptum progenuit, sed etiam judicii et acerbitatis in alios poetas, quorum nomen, honorificis antiquitatis testimoniis ad nostram perlatum memoriam, hodieque apud nos celebratur, fons et caussa est habenda. Nihil habet mirationis injecta Cas-

sii Etrusci, fecundissimi versificatoris, et Pitholeontis Rhodii mentio [1]), quorum ille ob versuum scribendorum celeritatem, hic, quod Latinis carminibus Graeca immiscuit verba, commode cum Lucilio poterant componi: caeterum utrumque eo, quo Horatius hanc Satiram exaravit, tempore vita fuisse defunctum, ex ipsis poetae verbis patet. Majorem vero mirationem facit, quod Decimi Laberii mimos, quorum praestantiam uti Romani admirati sunt, ita et nos in Prologo, quem apud Macrobium Sat. II. 7. legimus, hodieque agnoscimus et suspicimus, pulchrorum numero poematum eximendos censeret, et tributum communi, ut videtur, consensu Licinii Calvi et Catulli carminibus pretium indigne ferret. Haec judicii, ut lenissime dicam, severitas altioris est indaginis, quam ut una scriptione explicari possit; illud autem quin hic addam facere non possum, vehementer me addubitare, num Horatius, si illi triumviri adhuc in vivis fuissent, ita de eorum carminibus palam statuere sustinuisset [2]). Indulsit in hoc carmine optimus

---

1) De *Cassio Etrusco* videsis Comment. *d. Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 2. N. 6. — *Pitholeon Rhodius* videtur esse *Pitholaus* ille, qui C. Julii Caesaris existimationem maledicentissimis carminibus laceravit, auctore Suetonio c. 75. Is, cum nomen *Pitholaus*, Πειθόλαος, in Hexametrum versum non veniret, Horatio dictus est *Pitholeon*, Πειθόλεως, Πειθολέων, ut Τιμόλαος, Τιμολέων et id genus alia, quae protulit Bentlejus ad h. l. *Pitholai* istius facete dictum memorat Macrobius Saturn. Libr. II. c. 2. p. 350. Z. „*Marcus, inquit, Otacilius Pitholaus, cum Caninius Rebilus uno tantum die consul fuisset, dixit: Ante Flamines, nunc Consules diales fiunt.*“ Itaque ex Bentleji sententia *Pitholaus* ille sive *Pitholeon* fuit natione Rhodius et Romae servus Otacilii cujusdam, a quo manumissus, pro recepto more libertorum, nomine herili et servili cognomine *Marcus Otacilius Pitholaus* dictus est. Sententiam Glandorpii in Onomast. p. 649. existimantis, hunc et *L. Otacilium Pilitum*, qui, teste Suetonio Rhet. c. 3., initio servus, post manumissus et Cn. Pompeji magister fuerit, unum eumdemque esse hominem, jure in dubium vocavit Baumgarten-Crusius in Suetonii Ind. I. p. 63. cf. Pontanus ad Macrobii l. c. et Leopardus in Emendatt. Libr. III. c. 17. Quidquid est, illum Pitholeontem peregrinae fuisse originis patet, qui tamen ingenii sollertia et poeticis studiis Romae aliquam laudem videtur adeptus esse, alioquin Horatius vix eum mentione fuisset dignatus. De eo Acron Schollastes: „*Dicitur Pitholeon epigrammata ridicule scripsisse, in quibus Graeca verba mixta erant cum Latinis.*“ De more poetarum Romanorum Graeca verba versibus Latinis immiscendi egit Burmannus ad Anthol. Lat. Libr. IV. ep. 246. Vol. II. p. 185 sq., quocum conferatur Huschkius in Comment. *d. C. Annio* Cimbro p. 40 sq.

2) *Calvum* et *Catullum* prius, quam Horatius Satiram decimam Libri

poeta suo animo, malevolis obtrectatorum reprehensionibus et vellicationibus exacerbato, necdum juvenilis ille deferbuerat ardor et ferocitas, quam grandior mitigavit et temperavit aetas, in qua ad Julium Florum (Epist. II. 2. 103.) scripsit: *Multa fero, ut placem genus irritabile vatum, Cum scribo.* Hunc irritatum animum non tantum illi produnt versus, in quibus obtrectatores suos, quos despicatissimos homines fuisse scimus, immissis veluti irae habenis aggreditur et sugillat, sed contestatur etiam v. 86 sq.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Deftagit Rheni luteum caput: haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia, judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris [3]).

I. scriberet, vita excessisse, certo constat. — *Decimum Laberium*, equitem Romanum et Mimographum illustrem, Puteolis obiisse sexagenario majorem, decem mensibus post C. Julii Caesaris caedem, testis est Hieronymus in Chronico Eusebiano ad Olymp. CLXXXIV. 2. i. e. anno U. C. 711. ineunte. Cf. Saxii Onomast. Analect. Partis I. p. 560. Horatius igitur de Laberii vita jam defuncti Mimis ita judicavit. Quod quidem judicium exagitavit nterque Scaliger, pater in Poetic. Libr. I. c. 10. p. 39. et filius in Animadvv. ad Hieronymi Chron. p. 158., contra quos Horatium defenderunt D. Heinsius d. Satyra Horatii p. 170 sqq. et Jan. Rutgersius in Venus. Lectt. c. 27. p. 398 sq., quibuscum conferas quae disputavit Fr. Astius de Platonis Phaedro Cap. I p. 15 sqq.

3) Callida quadam modestia Horatius de suis loquitur poematis, non eo scriptis consilio, ut publice recitarentur: id quod item dicit Libr. I. Epist. 19. v. 41 sqq. Hoc in loco dubitationem habet facta *aedis* cujusdam mentio. Lambinus cum Scholiastis et Lürsenius d. Templ. et Biblioth. Apollinis Palat. (Franeq. 1719.) p. 214. *aedem* interpretantur de templo Apollinis in Palatio, quam sententiam refutat Masson in Vit. Horatii p. 161 sq. Illud enim templum in Palatio cum porticu et bibliothecis perfecit et dedicavit Caesar Octavianus a. U. C. 726., ut testatur Dio Cassius Libr. LIII. c. 1. cl. Sueton. c. 29. Alii de alio quodam templo cogitant, ut Heindorfius ad h. l. p. 216. Non dubito accedere Massono intelligenti domum privatam, in qua convenire solebant poetae scenici sua recitantes carmina coram judice: vid. Suetonii Vit. Terentii §. 2. Ejusmodi judex erat Tarpa, de quo Schol. Cruq. „*Metius Tarpa fuit judex criticus, auditor assiduus poematum et poetarum in aede Apollinis seu Musarum, quo convenire poetae solebant, suaque scripta recitare: quae nisi a Tarpa, aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in scenam non deferebantur.*“ Idem Scholiastes ad A. P. v. 387. „*Spurius Metius Tarpa iis temporibus summus criticus fuit, doctus et severus auditor carminum aestimatorque.*“ Hoc loco plerique Codd. cum Scholiastis agnoscunt n. *Metii*. Alii ediderunt *Meti*, quod, cum prima hujus nominis syllaba corripiatur, vitiosum esse Fea ad h. l. docet ex Virgil. Aen. Libr. VIII. v. 642., ubi Pierius in Castigatt. Vol. IV.

Hic locus cum aliis de caussis, tum imprimis eo nomine memorabilis est, quod poeta, quem Horatius hic lepide ludificatur, eo, quo haec Satira scripta est, tempore in vivis adhuc fuisse videtur: id quod Praesentia *jugulat* et *defingit* clare docent, praesertim si locos de Pitholeonte

---

p. 308. ed. Burm., licet Codices *Metum* praebuerint, tamen *Metium* dedit. Atque ideo Fea in Horatii A. P. v. 387. edidit: *in Metii descendat judicis aures*. N. Heinsius ap. Virgil. l. c. reflnxit *Mettium*, διασυλλάβως pronuntiandum. Gens *Metia* et *Mettia* utique in Marmoribus et Numis invenitur: quam deducendam esse a Metto Fuffetio, Albanorum dictatore, certum mihi videtur: vid. Drakenborch. ad Livii Libr. I. c. 23. Ita a Tullo *Tullia*, ab Hosto *Hostia* gens dicta est: vid. Comment. d. *Hostio Poeta* §. 1. N. 1. In loco Virgilii scribendum censeo: *Mettum*, secutus Salmasium ad Flori Libr. I. c. 3. §. 9. A gente Mettia differt gens *Maecia*, de cujus claritate egit Perizonius in Dissert. d. Numis Consular. p. 599. In Codd. Metis saepe confunduntur *Maecius* et *Metius*, ut docuerunt Oudendorpius ad Suetonii Domitian. c. 4. et Garatonius ad Cicer. Orat. pro Plancio c. 16. p. 98. Or., ubi Codices *Metium*, *Meciam* et *Macciam* offerunt. Quare rectius jam Lambinus et Cruquius e Codd. ap. Horatium l. c. ediderunt *Meci*; sed Castalio Observatt. Dec. V. 4. optime monuit, id nomen ab illis scribi debuisse per diphthongum *Maeci*: id quod Bentlejus, qui in Cod. Regin. *Meci* invenerat, jure reposuit. Lectionem *Metii*, quam Fea et nuperrime Pottier dederunt, rejicit etiam scribendi usus ante Ovidium, quo illa Genitivi forma damnatur: vid. m. Dissert. d. Virgilii et Val. Flacci versibus injuria suspectis. (Mien. 1818.) p. 60 sqq. Illius igitur Critici integrum nomen est *Spurius Maecius Tarpa*, cujus judicio, Scholiastis testibus, fabulae scenicae prius, quam ederentur, subjici solebant. Id dubitari vix potest quin Scholiastae collegerint ex Ciceronis ad Divers. Libr. VII. epistola 1., quam is ad M. Marium mense, ut videtur, Sextili a. U. C. 699. dedit et cui gratulatur, quod spectatum non venerit ludos a Cn. Pompejo in theatri dedicatione editos. Cicero inter alia haec scripsit: „*Reliquas vero partes diei tu consumebas his delectationibus, quas tibi ipse ad arbitrium tuum compararas; nobis autem erant ea perpetienda, quae scilicet Sp. Maecius probavisset.* Quo in loco v. *scilicet* cum stomacho scriptum esse bene pervidit Manutius, qui item h. l. Horatii Maecium Tarpam intelligendum esse statuit Vol. I. p. 424. Huic Sp. Maecio tribuit Manutius officium judicandi poemata a mimis in scena recitanda; et certum videtur esse, Ciceronem loqui de fabulis scenicis, quas in ludis illis post hominum memoriam apparatissimis populo exhibebat Pompejus; cf. de Pompeji theatro ejusque dedicatione Beierus ad Cicer. d. Offic. Libr. II. c. 17. Vol. II. p. 119. et Stieglitz in libr. *Baukunst d. Gr. u. R.* T. II. 1. p. 134. Jam ex Ciceronis epistola patet, fabularum in scena tum editarum arbitrium fuisse penes Sp. Maecium Tarpam, cujus Ciceronem, paulo fastidiosiorem hac in re, meminisse cum aliqua contemptione, non inscite observavit Wielandus ad h. l. Vol. II. p. 475. N. 10. a. Quaeritur autem, fueritne illud judicandi munus publicum an privatum? Administratio ludorum cum omnium, tum etiam scenicorum inde ab anno U. C. 541. ab Aedilibus Curulibus facta est, auctore Livio Libr. XXIV. c. 43., quem locum docte illustravit Osannus in Analect. p. 56., docuitque, Livio non repugnare Ciceronem d. Legg. Libr. III. c. 3. §. 7. Aedilium fuisse, ut fabulas in scena agendas examinarent, probavit Lipsius d. Magistr.

et Cassio Etrusco comparaveris. Priusquam vero de Alpino ipso videamus caussasque probabiles irrisionis, qua ὡς ἐν παρόδῳ Horatius eum perstringit, investigemus, sensum totius loci accuratius expendamus necesse erit.

§ 2.

Jam vel leviter attendenti in oculos incurrit, Alpinum

P. R. c. 13. Vol. III. p. 1450. Opp. Eum secutus Masson in Vit. Horatii p. 167. Maecium censet fuisse vel unum ex illius anni Aedilibus vel doctum Cn. Pompeji amicum ab eo delegatum, ut dramata seligeret in theatri dedicatione agenda. De Maecii aedilitate dubito; sed id muneris a Pompeja privatim traditum ei esse arbitror utpote amico erudito et perito, nisi forte praestat cum Heindorfio statuere, adhibitum eum esse dramatum judicem ab Aedilibus illius anni. Elegerat autem, ut ex Ciceronis epistola constat, Attii Clytaemnestram et Livii Andronici Equum Trojanum: vide Osanni Analecta p. 7. et Langii Vindic. Tr. R. p. 6. N. 10. Quod G. Jo. Vossius d. Imit. Poet. c. XI. §. 5. Vol. III. p. 190. Opp. et Dacierus ad h. l. opinantur, innixi Scholiastarum testimonio, fuisse Maecium ex *Criticis Quinqueviris*, quos Augustus in collegium quoddam cooptaverit; id merito rejiciunt Masson in Vit. Horat. p. 168. et Lürsenius d. Templo et Bibliothec. Apoll. Palat. p. 214. Et verissime Langius in Vindic. Tr. R. p. 24. N. 36. adnotavit, judicum ad scenicas fabulas examinandas constitutorum aute Neronis aetatem tenuia admodum exstare vestigia. Falluntur, qui ex Horatii Sat. 10. v. 38. colligant, Tarpam sustinuisse illo tempore personam publici poetarum judicis. Locus A. P. v. 387. satis docet, Horatio familiaritatem intercessisse cum Maecio. Non est igitur quod miremur, eum a poeta Venusino hic commemorari ut eruditum virum et optimum carminum judicem. Ita Libr. I. ep. 4. Tibullus appellatur candidus Sermonum judex. Quodsi Bentlejus ad A. P. l. c. opinatur, Maecium non verum et vivum, sed figurate quemvis alium legitimum et peritum judicem accipiendum esse, si quidem Ciceronis epistola quadraginta annis prius, quam Ars Poetica scripta sit; vereor, ne summus ille Vir chronologico quodam errore se decipi passus sit. Nam jam Kordesius ad Eberhardti Dani libr. *Ueber d. Zustand d. sch. Wissensch. b. d. Roem.* §. 44. p. 248. monet, non opus esse, ut hic de Maecio jam mortuo cogitetur, cum ille Pompeji aetate admodum juvenis esse potuerit. Atque Jac. Henr. van Reenenius in Disp. d. Q. Horatii Flacci Epistola ad Pisones (Amstelod. 1806.) Cap. III. p. 57 sq. concedit quidem Bentlejo, Maecium, quem, celebrante ludos Pompejo, saltem triginta quinque annos natum fuisse statuamus necesse est, tum a. U. C. 739., quo anno Bentlejus Artem Poeticam ab Horatio scriptam censet, seniorem fuisse, quam qui posset laudari candidus peritusque carminum judex. Sed si, ut Reenenius probavit, Artem Poeticam haud multo post Quintilii mortem i. e. post an. U. C. 730. exaratam esse ponimus, orta ex annorum ratione difficultas tollitur, cum senex nondum septuagenarius utique posset eo nomine commendari. Maecium vero tum in vivis adhuc fuisse, ostendunt Praesentia vv. *descendat* et adj. *si scripseris olim* i. e. ergo post longum aliquod temporis spatium. Durum etiam esset, in iisdem versibus unum figurate, alterum, ut vv. *patris* et *nostras*, non figurate intelligere. Multo igitur minus probanda est sententia Jahnii ad Horatii Libr. I. Sat. 10. p. 260. opinantis, Maecium hoc tempore, quo haec Satira scripta sit, jam obiisse.

fuisse poetam, qui duo scripserit carmina, quorum alterum Memnonis historiam, alterum Rheni complecteretur descriptionem: in uno enim eodemque opere utrumque comprehensum fuisse argumentum, nemo mihi persuadebit. Ad priora notavit Porphyrion p. 340. ed. Basil. *Cornelius Alpinus Memnona hexametris versibus nimirum descripsit, et belle jugulat Memnona, διλόγως ait* (sc. Horatius): *nam dum describit, quemadmodum juguletur, intelligi vult, ab ipso potius jugulari;* et Schol. Cruq. p. 399. *rivalem quendam poetam Gallum tangit, qui dum pugnam describit inter Achillem et Memnonem, ita hoc facit, ut iterum videatur Memnona jugulare suis carminibus.* Non sine ratione utriusque notam Scholiastae adscripsi; miror autem, interpretibus nihil suspicionis hic de Memnone esse subnatum, eosque in afferendis de ejus caede locis acquievisse. Mihi amplius progredi et in re obscura ac dubia conjecturam proferre liceat. Cum enim reputo, quam sedulo ac lubenter poetae Latini ab eo, quo Poetices studia celebrari coepta sunt, tempore ad seriorem usque Romani imperii aetatem fabulas carmine tractaverint, ex Cyclo, qui dicitur, Trojano depromptas: vid. Wernsdorfii P. L. M. T. IV. p. 565 sqq. et Heynii Excurs. I. ad Virgil. Aen. II.; mihi certius, quam de quo ambigi possit, esse videtur, hunc Alpinum scripsisse carmen *Aethiopis* dictum, in quo, cum plures Graecorum idem exposuissent argumentum, habuit quos sequeretur atque imitatione exprimeret. Cf. Heynii Excurs. XIX. ad Virgil. Aen. I. et Dissen. ad Pindari Nem. III. v. 59. Vol. II. P. 2. p. 374. ed. B. Cum autem illam fabulam tumido dicendi genere versibus esset persecutus, quam facete et salse Horatius Memnonem ab eo iterum jugulari dixerit, non opus est, ut doceatur, praesertim cum Scholiastae verborum acumen bene diluciderque enucleaverint.

Impeditiora sunt, quae sequuntur, nec difficultate critica carent. Jure post Bentlejum Carolus Fea tuitus est lectionem *defingit*, optt. Codd. testimonio probatam, sed perperam hoc vocabulum a sculptoribus, qui creta fingant seu forment prius opera, quae postea aere fundant vel

marmore sculpant, translatum esse censuit: quam rationem etiam Bothius in Adnott. p. 37. improbavit. Namque, ut taceam, toti loco, ni egregie fallor, hac translatione propriam aliquam perire virtutem atque acumen, illud vocabulum hoc significatu ne Latinum quidem mihi esse videtur, et cum, quod sciam, apud Horatium tantum legatur, nescio an non illud ab eo fictum esse statuam, ut sit: *deformare*, *formam ac speciem rei alicui eripere*, mala nimirum descriptione. Ita hanc vocem accepit etiam Acron: *non quia luteum caput habet Rhenus*, *sed quod luteum facit ipse describendo male*. Seriores scriptores, more solito, hoc verbum compositum pro simplici usurpant. Varia lectio *diffingit* non exputo quo modo arridere potuerit Heindorfio [4]): a quo etiam discessionem mihi faciundam esse arbitror in interpretatione v. *caput*, quod de Rheni fontibus accipit, citato Gronovio ad Senec. Med. 631. Equidem cum Lambino ad h. l. de ostio illius fluvii hic cogitandum esse opinor, quidquid obloquatur Rob. Titius in Loc. Controv. Libr. IV. c. 24. p. 113 sq. Me neutiquam fugit, hanc vocis illius significationem esse paulo rariorem, et fuisse Viros Doctos, qui solum Julium Caesarem de Bell. Gall. IV. c. 11. (*Rhenus*,) *ubi Oceano appropinquat*, *in plures diffluit partes*, *multis insulis effectis*, — *multisque capitibus in Oceanum influit*, illa usum esse dictitarent, uti Dion. Vossius ad Jul. Caes. l. c. et de la Cerda ad Virgil. Georg. IV. 319. ubi Aristaeus: *Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis*: in quo loco *sacrum caput*

4) Idem probavit Passovius in Diariis Litter. Univers. a. 1825. N. 281. p. 579. Sed v. *diffingere* est destruere, quod fictum formamque est, in aliam formam fingere, immutare, ut Libr. III. od. 29. v. 46. *neque diffinget*, *infectumque reddet*, *Quod fugiens semel hora vexit*. Nam Libr. I. od. 35. v. 39. legendum est: *O utinam nova Incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum*: ubi vel pro simplici *fingere*, *formare* positur, vel cum vi quadam et intensione, quam Praepositio *de* in Verbis compositis passim habet, ut in v. *debacchari* Libr. III. od. 3. v. 55. et *desaevire* Libr. I. Epist. 3. v. 14., vid. Comment. d, *Titio*, *Septimio Poeta* §. 6, N. 15. Quo sensu h. l. *defingere* accipere videtur Doeringius, explicans *defingit* i. e. describit, ita tamen, ut descriptioni insit simul notio fictionis. Sed haec notio aliena est ab hoc loco, in quo Alpinus aperte vituperatur. Recte Jo. H. Vossius convertit: *und des Rhenus Leimichtes Haupt nachbildet*.

cum Lambino ad Horat. Libr. I. Od. 1. v. 22., Pet. Burmannus T. I. p. 490. itemque ad Valer. Flacc. V. 351. de ostio interpretatus est eamque interpretationem, Oudendorpio ad Lucan. L. III. 202. T. I. p. 198. improbatam, in sua Lucani editione ad Lib. II. 52. *Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos Albis et indomitum Rheni caput:* tam docte vindicavit, ut cum Delamallo ad Val. Flacc. in Not. ad Lib. V. T. II. p. 495. mirer, Heynium poenituisse ejus, quam olim, Burmannum secutus, dederat, explicationis, et obsecutum esse Ouwensio in Noct. Hag. p. 598. Cf. Davisius ad Jul. Caes. d. B. G. Libr. VIII. c. 41. In utroque Lucani loco tam manifesta est ostii significatio, ut dubitationi nullus supersit locus: quod etiam Oudendorpius ad Jul. Caes. T. I. p. 306. edit. rec. monuit. Utrum vero, quae est Torrentii ad Horat. I. od. 1, 22. opinatio, *caput* tum modo de ostio usurpetur, si fluvii per plura ora sese in mare exonerant, in medio relinquam. In Horatii autem loco, de quo cum maxime agitur, *luteum caput* ideo de Rheni ostiis intellectum malo, quia, si de fonte accipitur, parum video inesse acumnis, nullamque veritatem, quod secus est, ubi de arenosis Rheni ostiis cogitatur, quae haud dubie *luteum Rheni caput* appellaverat turgidus Alpinus, ab Horatio ideo derisus. Accedit, quod haec verba ex carmine desumpta esse videntur, in quo Alpinum, ut infra videbimus, non tam Rheni fontem, quam ejus ostia descripsisse, probabilius est. Sed quidquid est hujus suspicionis, illud uti multo gravius, ita longe certius esse videtur, Alpinum istum suo poemati Rheni descriptionem, tamquam purpureum pannum, qui late splendeat, inseruisse, adeo exornatam et turgentem coloribus, ut Horatio risum daret. Neque dissimile est vero, Horatii animo, cum in Exordio Epistolae ad Pisones inscitam poetarum aequalium negligentiam, qua *τὴν τῶν πραγμάτων σύστασιν* (Aristot. Poet. c. 6. §. 7.) nihil curantes in singulorum exornatione locorum carminis virtutem laudemque ponere solerent, exemplis illustratam daret, in illo versu 18.:

Aut flumen Rhenum aut pluvius describitur Arcus;

eumdem obversatum fuisse poetam, hujusmodi rerum de-

scriptionibus et deliciolis ad vitium usque luxuriantem. Hoc enim nemo non intelligit, ab Horatio hic loci nullam *Rheni fluminis* et *pluvii Arci* (v. Cicer. de Nat. D. III. 20. et Priscian. L. VI. c. 14. §. 74. Kr.) factam fuisse mentionem, nisi poetarum aliquis utriusque rei descriptione ridiculum se dedisset [5]).

Dum igitur turgidus ille Alpinus in altero poemate Memnonem jugulat, in altero Rheni luteum caput defingit, Horatius ait, se haec ludere i. e. Satiras scribere, et in aprico est, Satiras, tamquam viliora carmina, opponi ab eo grandioris spiritus carminibus Alpini poetae, quae epici generis fuisse cum per se probabile est, tum infra clarius apparebit. Jam vero non modo sententiarum nexus, sed etiam orationis color unumquemque docent, Alpinum hoc loco a poeta Venusino salibus felle suffusis perstringi et ita subsannari, ut operae pretium sit indagare, quis ille fuerit, et quae inimicitiarum tantaeque acerbitatis caussae inter utrumque intercesserint.

§. 3.

Verum de hoc Alpino altum apud scriptores silentium.

---

5) Mirifico acumine h. l. tentavit D. Heinsius, qui conjunctione Memnonis et Rheni, luteoque fluminis purissimi capite offensus v. 37. scribendum censuit: *dumque Diffringit Rhoeci luteum caput.* Duo enim argumenta fuisse ait, in quibus omnes fere epici poetae Graeci et Latini, tamquam facta conspiratione, desudarint, Bellum Trojanum et Gigantomachiam. Jam hunc Alpinum, licet citra mare natus esset, utrumque illud argumentum versibus Graecis persecutum esse dicit: Memnonis enim mentione bellum Trojanum significatur, et *Rhoecus* seu *Rhoetus* in universum pro Gigantibus ponitur, ut Libr. II. Od. 19. v. 23. III. 4. v. 55. Huic apte tribuitur *luteum caput*, quia Gigantes sunt *πηλόγονοι* et *γηγενεῖς*. Accommodate laudat Heinsius Martialis Libr. IX. ep. 51. in Gaurum:

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quod faciam, quae brevitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami praelia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum;
Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

Ille igitur Alpinus ex Heinsii opinatione bellum Trojanum non ad Hectoris usque necem, ut Homerus, sed ad finem usque tractaverat, ubi Memnon, Aethiopum dux, jugulatur. Praeterea, ut Gaurus, Gigantomachiam scripserat, et imprimis, quomodo Rhoeco caput a Jove diffractum fuerit; nam *diffringit* pro *diffingit* legi debere, ait Heinsius. Permirum hoc commentum, quod nostra disputatione de Alpino sponte evanescit, Rappoltus in Comment. in Q. Horatii Flacci Sat. et Epist. c. 28. p. 225. ita admiratur et comprobat, ut Heinsio, qui h. l. persanaverit, *σῶστρον* persolvendum esse confiteatur.

Quae de eo Schol. Cruq. et Porphyrion referant, supra apposui: addam insuper Acronis notam p. 339.: *Vivalium quendam poetam Gallum tangit.* Porphyrion in fraudem induxit L. Gyraldum, qui in Histor. Poet. Dial. IV. p. 142. T. II. Opp. nobis poetam *Cornelium Alpinum* recenset: quo nomine taxatur a Cruquio in Comment. p. 403. Sed idem Cruquius mirum in modum hic est hallucinatus, quippe qui nihil dubitaverit intelligere *Cornelium Gallum*, Forojuliensem et, in opinationis suae gratiam, Scholiastae, in quo item *Vivalium* invenerat, temerario ausu vocabulum *rivalem* obtruserit, autumans, illum clarissimum poetam et Virgilii amicum satis invidiose hic ab Horatio perstringi, quandoquidem ille rivalis ejus apud Augustum fuerit. Mirifico huic somnio confutando nihil operae chartaeque tribuendum est, quod quam vanum sit, ultro liquet, neque feliciori successu Torrentius poetam quemdam, *Aulum Cornelium Alpinum*, finxisse putandus est, quem et ipsum omnis ignorat antiquitas. Cum duo Scholiastae in nomen *Vivalium* conspirent, quod etiam in Porphyrionis Msto olim pro *Cornelius* lectum fuisse opinor; non dubium est, quin in illo mendo verum poetae cujusdam nomen lateat. Atque hoc Bentlejus, qua polluit ingenii acie, exsculpsit, pro *Vivalium* in Scholiis *Vivaculum* emendari debere monens: quam depravatam nominis „*Bibaculus*“ scripturam ex pronuntiatione ortam esse [6]), Codices Macrobii et Plinii Maj. satis testantur, ita ut de veritate felicissimae hujus correctionis non dubitari queat, praesertim cum etiam interna, quae dicuntur, argumenta eam stabiliant.

Hic *Bibaculus* autem nullus alius est, quam *Marcus Furius Bibaculus*, haud ignobilis illius aetatis poeta, de quo Hieronymus in Chronico Eusebiano Olymp. CLXIX. 2. haec: *M. Furius, cognomento Bibaculus, Cremonae nascitur.* Hoc Hieronymi testimonium, quo toti huic disputationi plurimum lucis allaturi sumus, nescio, cur Bentlejus nihil prorsus curaverit, nisi forte chronologica diffi-

6) Litterae *b.* et *v.* quam arte cognatae sint et quam saepe altera in alteram pronuntiando transierit, docuerunt multi, quos laudavit Conr. Leop. Schneider. in Gr. Lat. Ling. T. I. P. 1. p. 226 sqq.

cultate aliqua, quae etiam Is. Vossio fraudi fuit, ab ejus usu detentus est. Primum enim inde lucramur notitiam anni, qui ei erat natalis et in a. U. C. 651. a. Ch. n. 103. incidit: quo anno C. Marius IV. et L. Aurelius Orestes Consules Romae fuerunt; deinde discimus, gentile ejus nomen fuisse *Furius*, cognomen *Bibaculus;* denique, quod magni est hac in disputatione momenti, comperimus, eum natum fuisse Cremonae, quae urbs in regione Transpadana sita ad Galliam pertinebat Cisalpinam: vid. Cellarii Orb. Antiq. L. II. c. 9. T. II. p. 549. Hinc intelligitur, quo pacto eum *Gallum* appellare potuerint Scholiastae: num vero etiam ob patriam ab Horatio dictus sit *Alpinus*, incertum aeque est atque improbabile, si quidem justa ac commoda destituitur ratione. Veriorem, puto, inveniemus apud ipsum Horatium Sat. II. 5., in quo carmine, festivae *εἰρωνείας* plenissimo, haeredipetarum artes et turpissimum eorum quaestum descripsit, et, Tiresiae persona assumpta, ejusmodi captatorem haereditatum jubet, ut divitem aliquem assectetur et, si qua lis incidat, ejus fiat cognitor, nulla deterritus tempestate, neque Solis aestu, neque hiemis intemperie. Hoc autem vide quanto expresserit lepore v. 41.

Persta atque obdura, seu rubra Canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.

ad quem locum Scholiastae haec: Acron p. 380. *Furius Bibaculus in pragmatia belli Gallici: Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.* Porphyrion: *Hic versus Furii Bibaculi est. Ille enim cum vellet Alpes nivibus plenas describere, ait: Juppiter hibernas etc. Ergo tumidum est.* Tertius denique Cruq. p. 474. *Fusius vivaculus* (sic!) *in pragmatia belli Gallici sic exorsus est: Juppiter hibernas etc.:* in qua nota ne quid offendat scriptura *Fusius*, tenendum est, quod docet Macrobius Sat. III. c. 2. p. 415. *ut Valesios et Fusios dictos prius, nunc Valerios et Furios dici* [7]).

7) Etiam de hac litterae caninae cum sibila permutatione videsis,

Jam quis est, qui his cum cura perlectis dubitet, quin Horatius Furio Bibaculo nomen *turgidi Alpini* propter hunc ridiculum versum, quo, si fides est Cruq. Scholiastae, carmen exorsus erat, per ironiam imposuerit? Haec ratio longe facetior etiam est, quam si eum vel ob patriam urbem vel propter bellum Gallicum, quod carmine descripserit, ita appellatum esse statuamus. Caeterum, cum de hac Pragmatia belli Gallici conjecturae locus relinquatur, suspicor, in ea expositas fuisse a Furio res a Julio Caesare in Gallia gestas, et in eodem opere illam Rheni descriptionem fuisse, quam Horatius in Satira 10. Libr. I. et in Epistola ad Pisones respexerit. Quae conjectura aliquantum praesidii ac firmamenti addit iis, quae supra de vi et significatione voc. *caput luteum Rheni* dixi. Praeterea hunc versum, quem Horatius h. l., posito ipsius poetae nomine pro Jove, Alpes nivibus conspuente, lepida παρῳδίᾳ suum fecit, profert etiam Quintilianus Inst. Or. VIII. 6. §. 17. tamquam exemplum metaphorae a longinqua ductae similitudine, non addito auctoris nomine: quod sane mirum mihi videtur, praesertim cum simul ex Horatio dictionem *capitis nives* (Od. IV. 13. 12.) afferat et in eodem eam numero habeat [8]). Sed in hoc Horatii loco non

---

praeter Interpp. ad Livii Libr. III. 4. 1. et Quintil. I. Or. I. 4. 13., Garatonium ad Cicer. Philipp. II. c. 16. Vol. I. p. 290. Wdf. et Harlesium ad Cicer. d. Orat. Libr. II. c. 22. p. 233., Schneiderum l. c. p. 340 sqq.

8) Perridicule et ἀκροσδοκήτως opponitur Caniculae Furius ipse: vid. D. Heinsius d. Sat. Horat. p. 79. Utroque versu Horatius carpit Furium, ipsa ejus verba παρῳδήσας. Nam dubium non est, quin v. *seu rubra Canicula findet infantes statuas*, sumpta sint ex eodem Furii carmine, in quo circa initium dixerat: *Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.* Aristophanes in Acharn. v. 138 sq. deridet Theognidem, ut malum poetam, eumque tam frigidum fuisse dicit, ut, cum Athenis fabulas suas committeret, Thraciam gelida nive obruerit et frigore poematum suorum fluvios ibi constrinxerit. Cum hoc Aristophanis loco Küsterus aliique conferunt hunc Horatianum, quocum, si rem accurate spectas, nulla est similitudo. Minime enim, ut Küsterus opinatur, Furio objicitur frigus, sed tumor carminis et dictionis. Neque ulla adest ratio idonea, ex qua cum Küstero possit colligi, Furium hiberno tempore carmen suum recitasse, ut recte Heindorfius ad h. l. p. 366. monuit. Cf. Huschkii Comment. d. C. Annio Cimbro p. 30. Horatius, aestatem et hiemem significaturus, tumidis Furii verbis usus est παρῳδικός, et ita ὡς ἐν παρῴδῳ poetam aequalem sibique ipsi cum ludificatur. Falli enim credo eos, qui Furii poetae nomen ὄνειδος factum esse et alium poetam

modo invenitur lepida versiculi illius παροδία, sed simul acerba et paene illiberalis ipsius Furii irrisio. Schol. Acron *Furius*, inquit, *poeta, immanis ventris, qui nivem spumam* (corr. c. Heindorfio *sputum*) *Jovis dixit. Ideo hoc ejus personae dedit, tanquam ipse spuat.* Et quis non videt, verbis *pingui tentus omaso* projectiorem pergraecantis Furii ventrem et obesum corpus indicari? Nec sine caussa, quamvis neget Heindorfius, mihi Horatius *omasum* posuisse videtur, quo aperte illius edacitatem denotare voluit. Omasum enim est intestinum bubulum, quod pauperum viliorem cibum fuisse patet ex Epist. I. 15. 34. Quidni enim Furius fuerit edax, cum bibacem eum fuisse ex accepta haud dubie fama referat Plinius N. Hist. Praef. T. I. p. 22. ed. Frz.? Verba Plinii, qui de Operum Inscriptionibus ibi agit, haec sunt: *Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum Artiumque* (sc. libros inscripserunt): *Facetissimi Lucubrationum, ut qui Bibaculus erat et vocabatur* [9]). De nostro Furio Plinium loqui, viderunt jam Harduinus, Is. Vossius ad Catullum p. 32. et Bentlej. ad Horat. Sat. I. 10. 37. nec dubitari licet. Dum autem Horatius Furium, tamquam insaturabile abdomen, vilissimis adeo cibis distentum et refertum describit, simul pingue ei ingenium exprobrat, saginato, ex veterum persuasione, adjunctum corpori, itemque orationis tumorem et carmina crassiore deducta filo notat. Cf. Comment. *d. Laevio Poeta* §. 2. N. 5. Haec nisi adhaereret invidiosa notio, illa propenduli ventris irrisio, per se spectata, nihil, ex veterum sensu, haberet offensionis et amaritudinis. Nam de alicujus corpore ejusque naevis jocari tantum aberat, ut ab ea, quae tum temporis censebatur, humanitate abhorreret, ut veteres in optimos adeo amicos hujuscemodi

---

h. l. ab Horatio irrideri autumant: cui opinationi Doeringium quoque favere miror.

9) Ita hunc graviter affectum Plinii locum constituit Harduinus; Is. Vossius ad Catull. p. 32. dedit: *Lucubrationum, puto, quia Bibaculus erat* etc.: quo eum nondum persanatum esse credo. Mihi post voc. *Lucubrationum* excidisse videtur nom. *Furius*, cui proprio nomini Plinius addiderit: *ut qui Bibaculus erat et vocabatur*; quia nimirum in multam noctem bibebat. Caeterum Hermol. et Hard. in Mss. nomen *Bibaculus* scriptum invenerunt *Vivaculus*.

jocos nonnumquam sibi indulgerent. Ita, ut hoc utar exemplo, Catullus Calvum, amicum suum, Carm. LIII. *salaputium disertum* ob brevem staturam nominavit, ut traditur a Seneca Controv. III. 19., de quo fuse dictum est in Comment. *d. C. Licinio Calvo Poeta* §. 7. N. 23. Neque mihi videtur vana esse Cruquii suspicio, Horatium Libr. II. Epist. 1. v. 79.

Recte, necne, crocum floresque perambulet Attae
Fabula, si dubitem;

subsilientem claudicantis hujus poetae ingressum festiva dilogia tangere voluisse [10]). Alia id genus exempla, qui-

---

10) Cruquius p. 594., non Scholiastae, ut Haberfeldus ait, dilogiam in hoc loco primus agnovit. Fuit hic *Titus Quintius Atta*, Togatarum scriptor, qui Romae, C. Mario et M. Aquilio Coss. a. U. C. 652. obiit. Cf. Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 2. p. 97 — 102. Inter Togatarum poetas eum recenset ejusque *Aedilitiam* fabulam memorat Diomedes L. III. p. 487. Putsch.; ejus *Socrum* Priscian. L. VII. p. 764. et L. VIII. p. 828. *Tyronem proficiscentem*; Gellius N. Att. VII. c. 9. ejus *Conciliatricem*; Nonius Marc. p. 133, 11. et 139, 7. fabulam *Aquis Caldis* dictam; idem p. 202, 28. ejus *Epigrammata* et p. 468, 22. ejus *Lucubrationem*. Apud eumdem Nonium M. p. 763, 9. post vv. Pacuvius Hermiona: *Tyndareo — cujus a te veretur*, corrupte legitur: *acta gratulatione*, unde Lipsius fecit: *Atta Gratulatione*. In eamdem conjecturam incidit Struvius in libr. *Ueber d. Lat. Declin. u. Conj.* p. 127., nisi quod pro *gratulatione* maluit *Lucubratione*. Macrobius Sat. II. c. 14. *Supplicationem*, Servius ad Virgil. Ecl. VII. 33. *Megalensia* et Schol. Cruq. ad Horat. l. c. ejus *Materteram* profert, de qua tamen videsis Bothium l. c. p. 100. De hoc *Atta* perperam acceperunt locum Ciceronis pr. P. Sextio c. 51. „*Nihil sane Attae juvabant; anagnostae* etc.“, quae verba corrupta esse liquet a VV. DD. varie tentata: videatur Orellius Vol. II. P. 2. p. 230. et O. M. Muellerus p. 142. Sed certam ejusdem poetae mentionem facit Fronto Epist. Libr. III. 3. p. 95. ed. M. „*Nam praeter hos — Novium et Pomponium et id genus in verbis rusticanis et jocularibus ac ridiculariis, Attam in muliebribus, Sisennam in lascivis, Lucilium in cujusque artis ac negotii propriis.*“ Ob subsilientem vero ingressum ei adhaesisse cognomentum *Atta*, diserte testatur Festus d. V. Sign. L. l. p. 41. Dac. „*Attae appellantur, qui propter vitium crurum, aut pedum plantis insistunt; et attingunt magis terram, quam ambulant, quod cognomen Quintio poetae adhaesit:* ad q. l. Jos. Scaliger idem, quod Cruquius, de Horatii loco statuit. Etenim *Atta* est vox Sabina παρὰ τὸ ἅττειν, subsilire, nusquam ferme pedem figere; οἱ ἅττοντες, qui inter ambulandum stare nesciunt, sed semper quasi subsiliunt, non δίχα ποδὶ βαδίζουσιν: vid. Casaubonus ad Sueton. Tib. cap. 1. T. IV. p. 1 sqq. ed. Wf. v. Comment. *d. C. Valgio Rufo Poeta* §. 7. N. 16. Horatius igitur faceta dilogia dixit: *Attae fabula perambulat crocum et flores* i. e. scenam. Schol. Cruq. p. 594. *Fabula, quae inscribitur Matertera, recte nec ne perambulet crocum floresque, id est, in scenam recepta sit, quae floribus et croco spargitur.* Male Gesnerus haec explicat: *in honoribus ac laudibus esse*, allegans Juvenal. VII. 208., quem locum

bus iste veterum mos abunde comprobetur, collecta dedi in libro: *Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus* (Misn. 1821.), Cap. I. §. 12. p. 65 — 77. Plurimum vero huc facit Augusti Epistola ad Horatium apud Sueton. in Vit. Horat. p. 51. ed. Wolf. T. III. *Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas: cum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.* Qui locus attento lectori non poterit non facere mirationem, quo pacto Horatius eo impudentiae dicam an petulantiae progredi potuerit, ut, qui ipsi esset opprobrio ventriculus, eum Furio amara sensus ambiguitate objiceret, et id, cujus mentionem prudenter omitteret Epistola 20. Libr. I. v. 24., ubi se *corporis exigui, praecanum, solibus aptum* dicit, in alterius derisum verteret. Haec quantumvis levidensia fortasse videantur, non possum tamen, quin paucis tangam et, si fieri possit, expediam.

Si quid video, haec difficultas et *ἀσυστασία* commode tolli potest chronologiae ope, et accurata temporum subductione: quo facto obscuritas etiam, qua necessitudo Horatium inter et Furium premitur, aliquatenus, spero, dilucidabitur. Horatius, si Bentlejus annorum rationem recte iniit, primum Satirarum Librum intra annos vitae XXVI — XXVIII. triennii spatio perfecit; secundum itidem triennio annis XXXI — XXXIII. illum igitur a. U. C. 715 — 717. hunc a. U. C. 720 — 722. [11]). Hoc autem tem-

---

non inveni. Secutus est coeco animo Car. Zell p. 33. (Heidelb. 1819.) De floribus quidem, quibus pulpitum conspersum fuerit, nullus mihi suppetit locus; de unguenti crocini usu in theatris res nota: de qua exposuerunt Lipsius d. Amphith. cap. 17. 18., Ernestius ad Sueton. Calig. c. 16. p. 361. T. I. ed. W., Burmannus ad Propert. IV. 1. 15., Jacobs. ad Anth. Gr. Vol. II. P. 1. p. 78. et Stieglitz Baukunst d. Gr. u. R. II. 1. p. 220.

11) Heindorfius Satiram quintam Libri II. compositam esse suspicatur ad v. 62. p. 370. circiter a. U. C. 719 — 21. Sed eam ut scriptam statuamus post a. U. C. 723., suadet blanda et honorifica Caesaris Octaviani mentio v. 62 sq. Neque enim ante pugnam Actiacam illiusque ex Aegypto reditum mense Sextili a. U. C. 725. Horatius usquam in carminibus Octavianum cum laude et honore memoravit. Jam fac, hanc Satiram exaratam esse anno demum U. C. 726., nihil video inde redire

pore, quo Horatius in flore aetatis constitutus Satiras scripsit, Furius Bibaculus, quem a. U. C. 651. natum esse vidimus, senex jam fuit septuagenarius. Fuerit necesse est robustae Furius naturae, cui neque edacitas neque bibacitas obfuit, quo minus vitam ad longam annorum seriem produceret, ut ille L. Calpurnius Piso, qui, cum noctem continuumque biduum epulando potandoque cum Tiberio Urbis praefecturam meruisset (v. Sueton. Tib. 42.), ad octogesimum aetatis annum vixit: cf. Dio Cass. Lib. LVIII. 19. et Tacit. Annal. VI. 11. Ex hoc autem aetatis discrimine vide quae conjiciendo deducam. Horatius cum illa in Furium scriberet, vegeta adhuc fuit aetate, necdum illo, de quo Augustus jocatur, ventriculo instructus, ita ut projectum Furii ventrem, qui senectutis post vitam in frequentibus conviviis et compotationibus transactam comes esse solet, tuto posset irridere. Dispuderet hercle me curae atque operae in tam putida re positae, nisi mea interesset, ut haec praemitterem, quo melius asperitas verborum atque irrisionis, qua Horatius in Furium utitur, vis et acumen perspiciantur, et ea, quae ego, tamquam consectaria, infra positurus sum, majorem accipiant probabilitatis commendationem. Ecce enim, quam petulanter et amare poeta juvenis in senem vatem insultet! Furius, inquit, gulae deditus ideoque corpulentior et habitior conspuit Alpes cana nive h. e. sputo, dum os aperit, ebulliente conspergit quasi Alpes, quas nimirum carmine describit. Non equidem diffiteor, dignum fuisse Furium, qui ab Horatio ludibrio haberetur ob tam putidum orationis tumorem et *ληκύθους*, quales tum in hoc versu deprehendimus, tum etiam in verbis *infantes statuas* agnoscimus: quae verba non dubium est quin ipsius quoque Furii sint, quaeque cum Schol. Cruq. *mutas*, *quae loqui non possunt*, interpretari malim, quam cum Heindorfio: *recens factas*, *ex viridi fabricatas ligno:* qua explicatione, nisi me omnia

impedimenti, quo minus illo tempore M. Furium Bibaculum, senem quamvis grandem, vixisse adhuc putemus. Cf. Comment. *d. Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 2. N. 6. et quae infra §. 6. de Orbilio, quem Bibaculus epigrammate quodam irrisit, disputabimus.

fallunt, evanescit aliqua irrisionis vis et acrimonia [12]). Verum, quis serio sibi persuadeat, Horatium potuisse animum inducere, ut poetam senectute venerabilem et ab aequalibus laurea Apollinari haud immerito, ut deinceps videbimus, donatum tam inhumana et propemodum spurca ludificaretur ratione, nisi gravis offensio et injuria fuisset praegressa? Nam qui utriusque illius loci sensum diligentius inspexerit, totiusque Satirae decimae Libr. I. consilium apud animum attente reputaverit, non poterit, credo, acquiescere in eo, quod Horatio irridendi ansam dederit ridicule turgens sordidisque pigmentis exuberans Furii oratio, sed mecum singularem justioremque suspicabitur fuisse caussam, quae ejus stomachum ac bilem tanto opere moverit. Ad quam caussam cognoscendam plurimum faciet accuratior ipsius Furii ejusque carminum notitia, quam ut nobis comparemus, aliorum scriptorum testimonia de eo in medium producantur et examinentur necesse est.

§. 4.

Enim vero cum plures fuerint Furii, nominis claritatem belli pacisque artibus adepti, neque tamen ubique cognominibus satis ab auctoribus distincti, haec quaestio lubrica admodum est multisque impedita difficultatibus. Vide Glandorpii Onomast. p. 364 sqq. Ut eos tantum, quos litterarum studiis inclaruisse certo constat, curemus, a G. Jo. Vossio de Poet. Lat. Cap. I. p. 235. Vol. III. Opp. duo consignatos invenimus Furios, alterum M. Furium Bibaculum, quem Hieronymus Cremonae Ol. 169. 2. natum esse dicit, alterum Aulum Furium Antiatem. Ab his diversum esse monet Vossius illum M. Furium Bibaculum, quem Horatius derideat, eumque malum poetam fuisse ideo negat, quod Virgilius, teste Macrobio, eum imitari dignatus fuerit. Eadem est sententia Lambini ad Horat. Sat. II. 5. 41. p. 122. et uterque ex Gellii N. Att. XVIII. cap. 11.

12) Heindorfii interpretationem praeivit Forcellinius in Lex. s. h. v., ubi ex Plinii N. H. Libr. XXII. c. 22. confertur *boletus infans* i. e. recens editus. Elegantem illius vocis usum ap. poetas copiose illustravit N. Heinsius ad Ovidii Heroid. IX. v. 86.

hoc fragmentum carminis, tamquam hujus M. Furii Bibaculi, afferunt:

Sanguine diluitur tellus. Cava terra lutescit.
Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae.
Increscunt animi, virescit vulnere virtus.
Hic fulica levis volitat super aequora classis.
Spiritus Eurorum viridis quum purpurat undas.
Quo magis in patriis possint opulescere campis.

Caesellius Vindex, Grammaticus, Furium, veterem poetam, ut Gellius ait, reprehenderat, quod linguam Latinam vocum fictionibus dedecorarit; quod terram in lutum versam *lutescere;* tenebras in noctis modum factas *noctescere;* pristinas reciperare vires *virescere;* quod ventus mare caeruleum crispicans nitefacit, *purpurat*, et opulentum fieri *opulescere* dixerit. Contra quam Grammatici illius censuram Gellius Furium defendit easque voces neque a poetica facultate abhorrere neque dictu tetras insuavesque esse contendit. Quo facto illos, quos dedimus, versus ex Furianis poematis adscripsit: quos igitur, propter illa verba, singulatim ex aliquo poemate excerptos, neque junctim et continuo loco lectos fuisse liquet: id quod etiam Nonius Marcellus attestatur, qui hos versus tantum non omnes rariorum vocabulorum gratia notaret. Nam versum 1. sine poetae nomine citat p. 133, 24. „*Lutescit honeste dictum in poematis, tametsi auctoritatis sit ignobilis.*“ in quo Furium poetam respici, intellexit jam Mercerus p. 126. Legitur haec vox etiam ap. Columellam Libr. VIII, c. 17. §. 9., ubi tamen Schneiderus Vol. II. P. 2. p. 465. lectionem Cod. Sang. *lita sunt* praeferri maluit. De versu 2. idem s. v. *noctescere* p. 145, 11. „*Furius poematis, etsi est auctoritatis incertae.*“ Versu 3. C. Barthius ad Statii Theb. Libr. V. v. 654. T. III. p. 304. legit: *virescunt vulnere vires*, et pro *virescunt* maluit *virgescunt*. Temere! Nonius s. h. v. p. 188, 8. *virescit* explicat: *majorum virium fit. Furius Poematis: Crescunt* (sic!) *animi, virescit vulnere virtus.* Gronovius probat *virescunt*, et *virtus* accipit pro *virtutes*. Alii ediderunt: *virescunt vulnere vires:* H. Stephanus in Nonii exemplo legit: *Excre-*

ecunt animi. Versum 4. eo, quo fecimus, modo post H. Stephanum edidit Gronovius, quem corruptum esse patet. Codd. *Sicut fulica:* quo metrum claudicat. Hinc alii ediderunt: *Sicut hiulca.* Pontanus: *Sicut fulca* per Syncopen pro *fulica:* quod stabilire non ausim. Fortasse scripsit Furius: *Sic, fulica levior, volitat super aequora classis.* Versus 5. est classicus locus de eleganti usu v. *purpurare*, quem, praeter Oudendorpium ad Apuleji Metam. Libr. VI. §. 25. Vol. I. p. 426., illustrarunt Mitscherlichius in Lection. Catull. et Propert. p. 128. et Jo. H. Vossius ad Virgil. G. IV. v. 373. p. 855., qui hunc versum convertit:

Wenn des Ostes Orkan die grünlichen Wogen bepurpert.

Versus 6. affertur a Nonio p. 148, 18. *opulescere ab opulento dictum decore. Furius Poematis: Quo magis in comtis possint opulescere campis:* ubi *comtis* pro vulg. *patriis* recte improbat Delrius ad Senecae Medeam v. 322. in Syntagm. Trag. Vol. III. p. 40.

Primo adspectu quilibet facile induci potest, ut hos versus, qui turgidi Alpini dictionis colorem referunt, M. Furio Bibaculo attribuat, uti fecerunt G. Jo. Vossius et Lambinus, quos Heindorfium quoque secutum esse valde miror. Mirifica sane est nominatim Vossii ea in re incuria, qui, cum nos Furium Antiatem a Bibaculo probe distinguere juberet, neutri tamen sua adscripsit, neque lemma, quod huic Gellii capiti praefixum legitur, attendit: *Verba ex carminibus Furii Antiatis inscite a Caesellio Vindice reprehensa.* Igitur Furio Antiati, non Bibaculo, isti versus erant tribuendi, uti etiam fecit, illius inscriptionis auctoritatem secutus, Henr. Stephanus in Fragm. Poet. Vet. Lat. p. 137. Magis etiam miror, quod idem Vossius illos versus, quos Macrobius a Virgilio imitatione expressos esse notat, ejusdem Bibaculi esse censuit, non animadvertens diversum orationis colorem. Quo melius ipsi Lectores judicare queant, haud alienum fuerit, paucos illos versus, qui sparsim cum apud alios, tum maxime apud Macrobium leguntur, certo ordine huc transscribere, praesertim

cum eos ab Henrico Stephano non omnes collectos esse intelligam.

Ille Furius, a quo nonnulla mutuatus est Virgilius, scripsit Annales undecim saltem librorum, ex quibus hi adhuc superstites sunt versus:

I. Paulus Merula ad Ennii Annales p. XLI. ex L. Calpurnii Pisonis de Continentia veterum Poetarum Libro I, hoc initium Annalium Furii Antiatis profert:

Res mihi Romanas scripturo, Marspiter, adsis,

uti Merula p. XLVI. hunc versum pro vulg. *Ante has res mihi* legendum censuit. Illud Pisonis opus, quod Merula Lutetiae in Cod. Msto invenit et in Praefat. Ennii sui p. 2. descripsit, magno cum rei litterariae detrimento deperditum esse, queritur N. Heinsius ad Ovidii ex Pont. Libr. IV, Epist. 16. v. 31. — Quae sequuntur Fragmenta, ad unum omnia sumpta sunt ex Macrobii Saturn. Libr. VI. c. 1. 3, et 4.

II. Furius in primo Annali: cf. Virgil. Aen. IV. 585.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

III. Furius in primo: cf. Virgil. Aen. I. 695.

Mitemque rigat per pectora somnum.

IV. Furius in primo: cf. Virgil. Aen. XI. 500.

Ille gravi subito devinctus vulnere habenas
Misit equi, lapsusque in humum defluxit, et armis
Reddidit aeratis sonitum.

V. Furius in quarto: cf. Virgil. Aen. X. 361.

Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

VI. Furius in sexto: cf. Virgil. Aen. I. 543.

Quod genus hoc hominum Saturno sancte create?

VII. Furius in decimo: cf. Virgil. Aen. XII. 228.

Rumoresque serunt varios et multa requirunt.

VIII. Furius in undecimo: cf. Virgil. Aen. XI. 731.

Nomine quemque ciet; dictorum tempus adesse
Commemorat.

IX. Furius ex eodem libro Annalium:

Confirmat dictis simul atque exsuscitat acres
Ad bellandum animos, reficitque ad proelia mentes.

Tametsi Macrobium in expiscandis Virgilii imitationibus

aliquoties hallucinatum esse constat; tamen illis, quos apposui, Virgilii locis tam manifesta imitatricis operae impressa sunt vestigia, ut nemo, nisi cujus animus paulo sit contumacior et praefractior, assensum cohibere queat [13]). Et sane illi versus Furii fuerunt imitatione perdigni, quippe elegantia et mascula dictione conspicui, quibuscum isti apud Gellium comparati jacent. Quare omnes mihi assentientur contendenti, errare eos, qui haec fragmenta et illos apud Gellium versus uni eidemque auctori adscribant. Quaeritur autem, utrum tres Furii poetae cum G. Jo. Vossio sint statuendi, an duo? et si duo tantum fuerunt, utri horum illa sint tribuenda [14]).

Equidem cunctis, quae partim jam allata sunt, partim deinceps apponentur, auctorum testimoniis rite et cum cura expensis, in eam deductus sum opinionem, ut statuam, non nisi duos Romae vixisse hujus nominis poetas, alterum A. Furium Antiatem, alterum M. Furium Bibaculum, Cremonae natum, qui posterior saepe simpliciter *Bibaculus* a scriptoribus laudetur.

Prior ille *Aulus Furius*, Antii, ut cognomen docet, natus, floruit jam eo tempore, quo Bibaculus vitae lucem adspexerat. Fuit familiaris L. Lutatii Catuli, docti et diserti viri, qui a. U. C. 652. C. Marii in Consulatu collega, cum hic ad Aquas Sextias Ambrones et Teutonos ingenti proelio devinceret, castris ad Athesin fluvium positis, Italiae fines contra Cimbros tuebatur, et de hoc Consulatu et rebus a se gestis ad hunc A. Furium poetam Xenophonteo genere sermonis scripsit, ut gravissimus auctor

13) Haec Fragmenta ad historiae veteris ordinem revocavit Merula ad Ennii Annales p. XLVI sq. Fragmentum V., ab H. Stephano omissum, adjecit Burmannus ad Anthol. Lat. Libr. II. Ep. 288. Vol. I. p. 420. ex Macrobii Saturn. Libr. VI. c. 3., qui a Virgilio Homerum Iliad. XIII. v. 130. parum feliciter expressum esse notat, reprehensus ideo a Scaligero in Poet. Libr. V. c. 3. Homerum certatim in hoc aemulati sunt Latini poetae et scriptores, quorum locos congesserunt Raderus et Freinshemius ad Q. Curtii Libr. III. c. 11. p. 125. Schn.

14) Tres hujus nominis poetas G. Jo. Vossius etiam in libro d. Histor. Lat. L. I. c. 12. statuit, et a Furio, Annalium auctore, differre ait Antiatem et Bibaculum: quo nomine eum castigavit jam Burmannus ad Anthol. Lat. Libr. II. Epigr. 238. Vol. II. p. 420.

Cicero in Bruto c. 35. tradit: cf. Ellendti Prolegom. p. LVI sq. Ad hunc Furium illos apud Macrobium versus cum Henr. Stephano et P. Merula ad Ennii Fragm. p. XLVI. referendos esse et in his Annalibus Catuli res per consulatum gestas traditas expositasque fuisse puto. Tam doctum autem cultumque poetam, qualem hunc Furium fuisse illa fragmenta produnt, quid mirum si Virgilius dignum censuit, quem passim imitatione redderet? Et si forte alicui illorum versuum oratio limatior cultiorque videatur, quam quae in istam cadere possit aetatem, is memento, esse haec poematum fragmenta illas margaritas, quas Mantuanus vates, ut ex Ennii stercore, ita in universum ex veterum poetarum operibus sublegere consuevisset. Cf. Comment. *d. Hostio Poeta* §. 6. et §. 9. N. IV.

Verum enim vero quis sibi persuaderi patiatur, eumdem Furium, viventem adhuc ea aetate, qua uti reipublicae robur, ita ingeniorum vis nondum elanguerat, nec nervosa sermonis Latini gravitas luxu et deliciis fracta erat, tales scribere potuisse versus, quales a Gellio ei adscribantur, molles, elumbes et verborum ampullis diffluentes? Quis non lubentius mecum eorum auctorem faciat illum poetam, qui ob dictionis tumorem ab Horatio acerbe perstringitur? Attamen hanc quo minus sine haesitatione sequamur opinionem, non tam illud obstat, quod Gellius eum *veterem poetam* appellat, si quidem etiam Bibaculus jure a Gellio hoc nomine cohonestari potuit, quam illa, de qua diximus, Capitis inscriptio. Cujus tamen auctoritatem et pondus pronum esset ita elevare, ut a seriori eam manu adjectam esse diceremus, nisi ipse Gellius refragaretur, qui in fine Praefationis suae T. I. p. 15. ed. Conr. haec: *Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic universa: ut jam statim declaretur, quid quove in libro quaeri invenirique possit.* Hoc de illis lemmatis testimonium Gellii, quod Henr. Stephanus et Salmasius in *νοθείας* suspicionem adduxerant, aspere contra utrumque defendit Gronovius in Not. ad h. l. et ex ipso Gellii archetypo propagatum esse contendit [15]). Mihi,

15) Haec Capitum summaria ipsius Gellii esse, docere conatus est

fateor, praesertim cum ea, quae proxime praecedunt, attente perlego, nondum ita persuasit, ut nulla supersit dubitatio necdum amplius credam, profecta illa esse a librario, qui hic suum studium, inserviendi istis lemmatis lectorum commodo, voluerit jactare. Verum ut concedam, quae ad Praefationis Gellianae calcem legantur, ea esse vere a manu auctoris, ideoque genuinum etiam Capitis illius titulum, tamen ei fidem habere nequeo, et, quin Gellius Furium Antiatem cum Cremonensi confuderit, non dubitandum esse arbitror: nam his in titulis esse, quae vituperari possent, docuit Stephanus in Admonitt. de Titul. Capp. p. 35 sq. Commisit similes errores etiam alibi Noctium Atticarum scriptor, et quomodo Nonius Marcellus vocabula *lutescere* et *noctescere* incertae atque ignobilis auctoritatis dicere et habere potuisset, si iis usus fuisset Furius Antias, tam antiquus et doctus poeta? Itaque aut fallor, aut isti apud Gellium versus auctorem habent Furium Bibaculum, qui ob orationis tumorem et verborum insolentiam male apud veteres audiret, et sunt haud dubie deprompti ex iisdem epici generis poematis, ex quibus Horatius nonnulla notavit.

§. 5.

Verumtamen, licet sex istos versus, de quorum auctore quaerimus, ob dictionis indolem Bibaculo tributos malim, tantum tamen abest, ut omnia ejus carmina hoc tumoris vitio infecta fuisse contendam, ut acerbam Horatii censuram ad epica modo ejus carmina restrictam velim. Namque haud malum eum fuisse Iamborum scriptorem, partim locupletissimi testantur antiquitatis auctores, partim aliquot, quae aetatem tulere nostram, Epigrammata ejus nobismet ipsis faciunt judicandi copiam. Inter testes primo loco producendus est Quintilianus I. Or. X. 1. §. 96. „*Iam*

Ptolem. Flavius in Observatt. c. 95. eisque fidem et auctoritatem tribuerunt Ever. Otto in Vita Servii Sulpicii Icti Cap. IV. §. 4. in Thesaur. Jur. Rom. T. V. p. 1536. et Aug. Majus in Not. Crit. ad Cicer. d. Republ. Libr. III. c. 21. p. 249. R. reprehendens Forcellinium, qui in Lex. L. L. s. v. *simulqueentium* de illorum lemmatum fide dubitat.

bus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus; quibusdam interpositus: cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quamquam illi (i. e. Horatio) *epodos interveniat, reperietur:* ut ego, Hermanni felicissimam emendationem adoptans, hunc locum scribendum esse censeo. Cf. Frotscherus ad h. l. et in Addend. p. 266 sq. Qui igitur Bibaculi versum ex Pragmatia belli Gallici ob vitiosam metaphoram reprehenderat Libr. VIII. 6. §. 17., is hoc loco eum perhonorifice inter Iambographos memorat. Atque sicut Catullus, teste Suetonio c. 73., Julium Caesarem maledicentissimis insectatus est Iambis, ita Bibaculum idem aut in eumdem virum, aut, quod probabilius est, in Augustum fuisse ausum, constat ex nobilissima Cremutii Cordi oratione apud Tacitum Annal. IV. 34., ubi haec: *Carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Caesarum, leguntur: sed ipse D. Julius, ipse D. Augustus et tulere ista et reliquere; haud facile dixerim moderatione magis, an sapientia.* In quo loco peridoneo observandum est, quo uterque poeta ordine a diligentissimo scriptore ponantur, ex quo haud scio an non indicare eum voluisse statuamus, Furium Bibaculum Catullo aetate paulum antecessisse: quod etiam temporis ratio evincit, cum Catullus Ol. 173. 2. a. U. C. 667. natus esset. Quintilianus contra utrumque inverso posuit ordine, ratione, ut videtur, habita acerbitatis Iamborum, tertiumque iis addidit ob Epodos Horatium. Cumque Furius Bibaculus et Catullus aequales fuerint iisdemque litterarum studiis sese dediderint, a vero quidem non abhorret, quod Jo. Vossius ad Catull. p. 32. opinatur, utrumque poetam familiaritate fuisse junctum et Catullum ad hunc Furium scripsisse Carm. XI., neque tamen pro certo affirmare ausim. Certum autem est, Bibaculum Catullo, qui in aetatis flore obiit, fuisse superstitem. Propter Iambos utrumque etiam composuit Diomedes L. III. c. 6. de Iambico p. 482. Putsch.: *Cujus Carminis praecipui scriptores apud Graecos Archilochus, Hipponax; apud Romanos Lucilius et Catullus, et Horatius et Bibaculus.*

Qua occasione etiam notandum est, neque Quintilia-

num, neque Diomedem, de Romanorum Iambographis agentes, aliquam *Licinii Calvi* mentionem injecisse: quod eo magis mirum videatur, quo ampliorem laudem Calvus hoc carminum genere adeptus erat, ita ut ab haud paucis auctoribus eo nomine praedicetur, plerumque cum Catullo junctus. Ita Propertius II, 19, 40. *Ista meis fiet notissima forma libellis: Calve, tua venia, pace, Catulle, tua;* et Ovidius Amor. III, 9, 61. *Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo:* quibus adde Gellium N. Att. Libr. XIX. c. 9. Quod tamen non amplius mirum videbitur, si horum scriptorum perspectum habes consilium: Catullum enim cum memorant Quintilianus et Diomedes, respiciunt Iamborum ejus acerbitatem et mordacitatem, qua ratione ei adjungendus erat Bibaculus; Propertius vero, Ovidius et Gellius praecipue ejus carminum lasciviam et nequitias amatorias considerabant ideoque Calvum ei socium addere debebant, licet et hic famosa et maledica scripserit epigrammata, ut discimus ex Sueton. Jul. Caes. c. 49 et 73. Illud si tenes, haud difficile factu erit statuere de Jo. Mich. Heusingeri conamine, qui in Plinii L. I. epistola 16. §. 5. ed. Schaef. *Praeterea* (Pompejus Saturninus) *facit versus, quales Catullus aut Calvus. Quantum illius leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! Inserit sane — duriusculos quosdam: et hoc, quasi Catullus aut Calvus:* utroque loco ex Rom. *Bibaculus* pro *Calvus* scriptum et repositum voluit: quod, cum Calvus eodem modo eodemque consilio a Plinio componatur cum Catullo, quo hoc amicorum par memorarunt supra laudati scriptores, nullo pacto probari potest. Huc referas, quae disputata sunt in Comment. *d. C. Licinio Calvo Poeta* §. 8.

§. 6.

Vidimus igitur, Bibaculum ob iambica poemata apud Romanos in aliqua fuisse dignatione ac laude, neque immerito, quantum quidem nos epigrammata docent a Suetonio servata, quae, ut omnia, ad hunc poetam spectantia, hac Commentatione complectamur, hic adscribere et illustrare placet.

Suetonius d. Illustr. Gr. c. 9. tradit, Orbilium Pupillum, notissimum illum Horatii magistrum, aetate sua prope ad centesimum annum producta, memoriam jam pridem amisisse: cui narrationi fidem facit hoc Bibaculi versu:

Orbilius ubinam est, litterarum Oblivio? [16])

Haec dubitari vix potest quin a M. Furio Bibaculo scripta sint post mortem Orbilii. Jam vero Orbilius Pupillus Beneventanus, auctore Suetonio de Illustr. Gr. c. 9., quinquagesimo aetatis anno, Cicerone Consule a. U. C. 691., Benevento transiit Romam, ibique in summa paupertate prope ad centesimum annum aetatis vixit. Cum igitur Orbilius post annum U. C. 691., quo anno quinquagenarius Romam venerat, totidem fere annos ibidem transegerit; consequitur, eum superstitem fuisse Virgilio, a. U. C. 735. mortuo. Fortasse Furius Bibaculus ista: *Orbilius ubinam est, litterarum Oblivio?* scripsit, simulac fama de ejus obitu Romae percrebruerat. Sed utcumque est, inde saltem id conficitur, vehementer falli eos, qui ipsum Bibaculum eo tempore vita jam excessisse opinantur, quo Horatius Libri II. Satiram quintam a. U. C. 726. scriberet. Confer §. 3. N. 11.

Porro idem Suetonius de Illustr. Gr. c. 11. duo Bibaculi profert epigrammata, ironiae et aculeatae ambiguitatis plena, quibus probet, Valerium Catonem, Grammaticum, ad extremam usque senectutem in summa paupertate vixisse, postquam ejus villa Tusculana creditoribus cesserat. Prius ita se habet:

Si quis forte mei domum Catonis
Depictas minio assulas, et illos
Custodes videt hortuli Priapos,
Miretur, quibus ille disciplinis
Tantam sit sapientiam assecutus,

16) Vocabulum *oblivio* scribendum erat littera initiali majuscula, quandoquidem eodem sensu accipi debet, quo, teste Suetonio d. Ill. Gr. c. 20., C. Julius Hyginus dictus est *Historia*: ad q. l. cf. Burmann. T. II. p. 383. Caeterum in hoc versu acerba inest senilis infirmitatis exprobratio, quae de mordaci Bibaculi animo luculentum dat testimonium. Habet hunc versum H. Stephanus in Fragm. P. V. L. p. 419.

Quem tres cauliculi, et selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una
Ad summam prope nutriunt senectam [17]).

et alterum, quod huic statim subjectum legitur:

Catonis modo, Galle, Tusculanum,
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum magistrum,
Summum Grammaticum, optimum poetam,

---

17) Hoc et sequens Epigramma editum est ab H. Stephano in Fr. P. V. L. p. 410., Pithoeo Libr. I. p. 36., Scaligero Libr. I. p. 194. et Burmanno Sec. in Anthol. Lat. Libr. II. Ep. 238. et 239. Vol. I. p. 420 sq. Vers. 3. Ach. Statius, Scaliger et Heinsius legebant *Custodis videt hortulos Priapi*, quod nuper edidit Baumgarten-Crusius. Priapus saepe *hortorum custos* in monumentis antiquis, ut ap. Gruter. p. XCV. 3. et 4. Sed pl. Codd. et Editt. vett. *custodes*, et cum Valerii Catonis paupertati vix conveniant multi hortuli, recte Pithoeus et Scaliger ediderunt *Custodes videt hortuli Priapos*, quod Burmannus Maj., Oudendorpius et Wolfius ad Sueton. l. c. et Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. l. c. probant. Iste Grammaticus unum habebat hortulum, quem variis Priapi imaginibus non sumptuosis, sed ex assulis vel minio depictis vel ex arbusculorum stipitibus in formam Lampsacii dei recisis ornaverat. Baumgarten-Crusius *hortulos* ex poetarum usu de *uno* accipit *hortulo*: quod quo minus h. l. probem, obstat Deminutivi vis et ratio. Deinde non video, quomodo recepta illa lectione aliqua leporis pars possit perire. Pessime edidit H. Stephanus: *et illos custodes videt, hortulos Priapi.* — V. 4. pro vulg. *miratur* recte ex Guyeti et Heinsii conjectura *miretur* dederunt Oudend., Wolfius et Baumgarten-Crusius. — V. 5. mihi videtur Burmannus ad Sueton. v. *sapientiam* verissime accipere de intellectu artium, ut picturae, statuariae, operis topiarii, quibus domus et hortulus Catonis instructi erant. Ita *intelligere* est oculos habere eruditos in imaginibus aestimandis, ut docuit, praeter Gronovium in Diatr. Statii Cap. 18. p. 441. Hd., Burmannus ad h. l. et ad Petron. c. 52. Atque hoc ipsum est, quod commendat Pithoei et Scaligeri lectionem, qua totus locus plus leporis accipit, quam amittit. Catonis hortulus quamvis exiguus plurimis ornatus erat Priapi simulacris: quem artis statuariae amorem et scientiam miratur Bibaculus in homine tam paupere. — Vers. 6. *calculi* edidit H. Stephanus; Scaliger *coliculi;* Faernus recte *cauliculi*, quod inde a Casaubono receperunt omnes. Intellige vel brassicam vel cujuscumque herbae, ut lactucae, caules: vid. Intpp. ad Sereni Sammonici v. 252. Juvenalis Sat. V. 87. *pallentes caules* inter miserorum alimenta refert. Cf. Turnebi Adversar. Libr. XIII. c. 11. — *Selibra farris* maxime auget, ut Burmannus Sec. ait, paupertinum Catonis in tenui gurgustio habitantis victum, cum libra farris modicum et pusillum servi esset demensum, vel *στρομέτρισον:* cf. Horat. Libr. I. Sat. 5. v. 69. — Vers. 7. offendit *una* sub tegula, pro qua Gronovius *ipsa*, Guyetus *ima* conjecerunt. Illud languet, hoc rei adversatur, si quidem coenacula in altiore aedium parte erant. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. 3. §. 64. „*Galba penulam roganti*, „*Non possum commodare, domi maneo;*“ *cum coenaculum ejus perpluveret:*“ quo loco verisimilis redditur ingeniosa Heinsii correctio *tegula sub uda*, quae perpluebat. Hyperbole, quam in Vulg. Gronovius invenit, admodum friget. Suetonius c. 9. de Orbilio: *Et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur.*

Omnis solvere posse quaestiones,
Unum deficere expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis [18]).

P. Burmannus Sec. in Anthol. Lat. L. II. Ep. 240. Vol. I. p. 422. eidem Furio Bibaculo tribuit hos duos de Valerio Catone versus:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

quos Suetonius d. Illustr. Gr. c. 11. sine auctoris nomine laudat. Nescio, qua auctoritate id fecerit Burmannus, licet nihil dubitem ei adstipulari [19]).

---

18) Gallus, cui hoc Epigramma inscriptum est, quis sit, vix conjectura definiri potest. Non nego, Cornelium Gallum per aetatem posse intelligi: hinc haud dubie Glandorpius in Onomast. p. 367. familiaritatem Bibaculi cum Cornelio Gallo, Forojuliensi, finxit: vid. supra §. 3. — V. 5. elegans ab ambiguitate aculeus hoc loco consistit in *solvere quaestiones*, grammaticales: quod vocabant *quaestiones positas solvere*, ut docet Burmannus ad Phaedr. Libr. III. 14. v. 8. Tum *expedire nomen*, quod Grammatico convenit, et de eo etiam, qui aere alieno pressus est, pro expungere mala nomina seu debita, quibus solvendis non erat Cato: vid. Intpp. ad Phaedr. Libr. I. 16. v. 1. Pro *expedire* Vir Doctus *explicare*, et Ach. Statius *nodum* pro *nomen* scribi jussit. Vulg.: *Unum difficile expedire nomen*, ubi ambiguum est, sitne jungendum *difficile nomen*, an *difficile* sc. est, *expedire unum nomen*. Hinc tentabat Heinsius: *Unum huic difficile*, et Burmannus: *Unum at difficile*. Equidem recepi correctionem Toupii in Emendatt. ad Suidam T. III. p. 174. (p. 453. Lips.), probatam Ruhnkenio ad Rutil. Lup. p. 132. et Wolfio ad h. l. Eamdem recepit Franckius in Exam. Crit. de Vit. Juvenalis p. 44. — Vers. 7. intellige Cratetem Mallotem, de quo Valesius Emendatt. Libr. V. 17. Vulgo *cor* et *jecur* de sapientia et prudentia exponitur: prius vocabulum ita saepenumero, non item posterius dicitur, ut acute observat Burmannus ad h. l. Is *jecur* vel de libidine et prurigine in Venerem vel de iracundia accipi jubet. Burmannus Sec. ad Anthol. Lat. l. c., cum veteres in jecinore sedem vaticinandi augurandique statuerent, *jecur Cratetis* ita accipit, ut tamquam vates aut hariolus solveret quaestionem illam difficilem de expediendo *nomine*, non orationis parte, Grammatico notissima, sed *nomen* malum seu aes alienum deleret. Haec interpretatio caeteris ut acutior, ita etiam probabilior mihi videtur.

19) Pithoeus edidit *solos*. Male! Heinsius pro *facit* tentabat *capit* i. e. intelligit. Temere! *Legere* h. l. est, ut docet Burmannus ad h. l., explicare et exigere ad trutinam judicii Critici, ut Sueton. d. Ill. Gr. c. 2. *ut carmina parum adhuc vel defunctorum amicorum aut si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam nota facerent.* Ovidius Trist. Libr. II. v. 370. de Menandro: *Et solet hic pueris virginibusque legi.* Sicut autem hic Cato Grammaticus dicitur *solus legere poetas*, ita Gellius N. Att. Libr. XVIII. c. 4. de jactatore vano Sallustianae lectionis: *cum ille se unum et unicum lectorem esse enarratoremque Sallustii diceret*: ubi *lector* est, qui praelegendo explicat, ut ap. Sueton. d. Illustr. Gr. c. 16. *primusque Virgilium et alios poetas novos*

Jam quod ad haec carmina attinet, sunt sane, si orationem spectas, culta atque elegantia, et, sensus habita ratione, minime inficeta, neque urbanitate atque acumine destituta, et, quo propius ea inspicio eorumque sensum perpendo, eo major animum meum subit miratio, quo pacto Furius Valerii Catonis, amici sui, in re domestica difficultatem, sine ejus offensione, potuerit palam deridere. Profecto qui animum inducere potuit, ut amicum miserum tali modo epigrammatum aculeis pungeret, eum noli mirari tum Caesares carminum maledicentia et contumeliis proscidisse, tum alios, a quibus aliquapiam in re dissideret, procaci lingua esse insectatum, eosque irritasse. Amicitiam autem Bibaculum inter et Catonem intercessisse, ex principio Epigrammatis primi patet. Jam cum non dubium sit, quin hic Valerius Cato idem sit, quem Horatius in notissimis illis versibus, qui dubia licet fide Satirae 10. Libri I. praepositi sunt, tamquam Lucilii defensorem et emendatorem carminum ejus notat et perstringit; observatu dignissimum est, Furium Bibaculum in eadem Satira, quae tota de Lucilio agit et contra stultos ejus patronos scripta est, ab Horatio carpi et derideri. Nam, etsi mihi persuasum est, illos versus non pertinere ad Satiram decimam, qualem nunc habemus, tamen certissimum est, eos esse a manu Horatii et Satirae consimilis plane argumenti exordium, quam certa de caussa ad finem pertexere noluerit.

In utroque Suetonii loco, quem paulo ante attulimus, simpliciter *Bibaculus* appellatur; plenius vero nomen in eodem Suetonii libro c. 4. legitur, ubi haec: *Eosdem litteratores vocitatos, Messala Corvinus in quadam epistola ostendit, „Non esse sibi, dicens, rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut litteratore Catone:“ significat enim haud dubie Valerium Catonem, poetam simul grammaticumque notissimum.* Utrum

---

praelegere coepisse dicitur. Jam Cato Grammaticus poetis legendis i. e. enarrandis, explicandis, etiam *facit poetas* i. e. excolit, instituendo fingit: quo significatu h. v. malim cum Burmanno ad Sueton. d. Illustr. Gr. c. 11. accipi, quam de veterum poetarum emendatione, quam memorat de Catone Horatius Libr. I. Sat. 10. v. 3.

Messala [20]), de usu voc. *litterator* in illa, ex qua Suetonius haec hausit, epistola disserens, certum quemdam Bibaculi librum respexerit, an fando tantum ejus sententiam acceperit, incertum est, licet prius mihi verosimilius videatur; et, si conjecturae conceditur locus, suspicor, id propositum fuisse a Bibaculo in opere prosae orationis, quale haud dubie illud fuit, quod Plinius Major *Lucubrationum* nomine citat. Ad idem opus, nisi egregie fallor, referendum erit etiam illud, quod Macrobius Sat. II. c. 1. p. 346. Z. de jocis et dicteriis veterum exponens habet: *Atque ego, ni longum esset, referrem, in quibus causis, cum nocentissimos reos tueretur* (Cicero), *victoriam jocis adeptus sit; ut ecce, pro Flacco: — is jocus in oratione non*

---

20) Intelligendus est *M. Valerius Messala Corvinus*, natus a. U. C. 685., qui, venia post proelium Philippense impetrata, cum Augusto Consul fuit a. U. C. 723. belli aeque ac pacis artibus nobilissimus et orator clarissimus, cujus honorificam mentionem injicit Horatius Sat. I, 10, 29. et 85. A. Poet. 371. Vide, praeter Harlesii Notit. Scr. Latt. T. II. p. 346., Heynii Observatt. in Tibull. I. 3. p. 55 sq. Wund., Jo. H. Vossium ad Virgil. Ecl. VI. 74. et Spaldingium ad Quintil. I. 5. 15. cl. Ellendti Proleg. in Cicer. Brut. p. CXXXI. — Pro *Sigida*, quod manifesto corruptum est, Jo. Wouverius Hamb. de Polym. c. 4. correxit *Sedigito*, Volcatium Sedigitum intelligens, quem de poetis scripsisse scimus ex Gellio N. Att. I. XV. cap. 24.; sed mihi sub hac corruptela nom. *Ticida* latere videtur, uti jam Gyraldus suspicatus est in Hist. de Poet. Dial. X. p. 372. Opp. *Ticidas* poeta ob carmina amatoria ab Ovidio Trist. II. 433.:

Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quos
Rebus abest nomen nominibusque pudor,
Et quorum libris modo dissimulata Perillae
Nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.

laudatur, in quibus, auctore Apulejo in Apolog. p. 279. Elm., *Perillam* i. e. *Metellam* celebraverat, et Suetonius d. Ill. Gr. c. 11. ejus versum:

Lydia, doctorum maxima cura liber,

affert, ex quo patet, fuisse eum Valerii Catonis, ad cujus carmen, *Lydia* inscriptum, ille versus spectat, et Bibaculi aequalem. In Prisciane L. V. p. 673. Putschius edidit: „*Sole quoque Atticidas dixit Hymenaeo: Felix lectule talibus sole amoribus.*“ In quo loco Casaubonus ad Sueton. d. Ill. Gr. c. 11. T. IV. p. 804. ed. Wolf. acute suspicatus est, esse legendum C. *Ticidas* sive aliud praenomen, quod huic viro fuerit. Hoc praeteriit Krehlium, qui edidit: *Sole quoque. Atticidas in Himeneo* etc. Equidem illud prorsus assentior Casaubono, quod de nomine *Ticidas* monet, non item de praenomine: nam Priscianum scripsisse puto: *Sole quoque, ut Ticidas in Hymenaeo.* Facile *ut* in *at* transire potuit librariorum oscitantia, et in unam vocem *Atticidas* coaluit. Caeterum latuit Casaubonum, hunc ap. Priscianum versum Ticidae jam tributum esse ab Hear. Stephano in Fragm. Poet. Vet. Lat. p. 423. Cf. Comment. d. *Titio Septimio Poeta* §. 3. N. 8.

exstat: mihi ex libro Fusii Bibaculi notus est. In quo Macrobii loco nostrum Furium Bibaculum esse intelligendum, nemo, opinor, infitiabitur. Quid enim? an improbabile est, Furium, hominem litterarum amantem atque industrium, otium suum, fortasse subsecivas noctis horas ita collocasse, ut dictis sententiisque clarorum virorum aliisque rebus ad litterarum studia pertinentibus in unum corpus colligendis, cui *Lucubrationum* titulum fecit, navaret operam? Similem argumenti farraginem complexi sunt C. Melissi, Grammatici, libelli, quos *Ineptiarum* et *Jocorum* nomine inscriptos fuisse, scimus ex Sueton. d. Ill. Gr. c. 21. Cf. N. Heinsius ad Ovidii ex Pont. Libr. IV. 16. v. 30. Quae Sosipater Charisius L. I. Inst. Gr. p. 102. P. s. v. *duplici: Bibaculus*, „*Duplici*, *inquit*, *toga involutus*," *non duplice:* affert, haud dubie ex uno epigrammatum ejus Iambicorum desumpta sunt. Incertum vero est, in quo Furii Bibaculi carmine lectus fuerit versus prolatus a vet. Scholiasta Juvenalis ad Satir. VIII. v. 16. „Catina oppidum Siciliae, usque ad probra dissolutum, notatur, unde et Bibaculus:

Osce senex, Catinaeque puer, Cumana meretrix."

In Scholiastae verbis adoptavi Wesselingii ad Vet. Rom. Itiner. p. 87. correctionem *unde et* pro vulg. *ut et* seu *ut Bibaculus.* Versum Bibaculi ex correctione Pithoei dedimus pro vulg. *Oste senex* et *Cuna meretrix* cum asterisco, lacunae indice. Schrevelius in Cod. Ms. legerat: *Tusce senex* et *Cymana.* Videsis Crameri Adnot. ad h. l. p. 310 sq.

Haec fuerunt, quae mihi de M. Furio Bibaculo ex veterum scriptorum monumentis innotuerint: quibus hoc tantum adjiciam, fuisse, qui Bibaculum inter Virgilii et Varii magistros referrent, ut didici ex Nota Heynii ad Donati Vit. Virgil. c. 2. §. 7., qui laudat Arisii Cremonam litteratam T. I. p. 17. 28., cujus tamen nulla mihi facta est copia.

§. 7.

Jam superest, ut, quae nobis inimicitiarum et acerbitatis, qua Horatius Furio Bibaculo, aequali poetae, il-

lusit, esse videatur origo et caussa, probabili modo investigemus atque explicemus. Qua quidem in re illud imprimis tenendum urgendumque esse arbitror, quod Horatius in illa Satira, quam totam contra Lucilii patronos et admiratores et suarum obtrectatores Satirarum exaravit, hunc quoque poetam, primum ficto nomine, memoraverit et amariori deriserit urbanitate, turgidisque ejus poematis suos opposuerit sermones. Quod quis est qui casu factum esse opinetur, aut huic irrisioni aliam quamcunque caussam et offensionem subesse suspicari malit [21]), quam idem illud Lucilii patrocinium et, quae cum eo conjuncta esset, Horatii Satirarum obtrectationem et contemptionem, quae eum, ut contra Hermogenem Tigellium, Fannium, Demetrium et Pantilium, ita etiam contra Furium exasperaverint atque armaverint? In hac suspicione habeo praeterea quae me confirment. Fuit Bibaculus illo, quo Horatius Satiras scribere coepit, tempore senex atque ad ea constitutus aetate, in qua non tantum difficile est, earum, quas contracta a teneris annis consuetudine semper exoculati sumus, rerum deponere amorem, sed etiam offensionis plenum, si, quod nobis a pueritia per longum vitae spatium probatum est, a quopiam impugnatum contemptumque videmus. Atqui Bibaculus, cum antiquorum Latii vatum studiis esset innutritus, non dubium est, quin etiam magnus Lucilii admirator et, quae esse solet senectutis morositas, actorum temporum laudator et osor recentiorum fuerit. Quid igitur mirum, si idem senex et rudo jam donatus poeta judicium Horatii, poetae novelli et crescentis, de Lucilio Sat. 4. L. I. propositum, ut inverecundius atque arrogantius, indigne ac moleste acciperet, et sicut hujus Satiras, quantumvis rudes et lutulentas, coeco amore ac laude efferret, ita illius Sermones cupido judicio malignoque animo deprimeret viliusque iis statueret pretium? Jam

21) Jahnius ad Horatii Libr. I. Sat. 10. v. 36. p. 260. existimat, Furium Bibaculum sibi Horatii iram concitasse, quod inter alios etiam Orbilium laeserit: vid. supra §. 6. At Horatio, qui ipse haud veritus est Libr. II. Epist. 1. v. 70. illudere in magistrum vita defunctum, magnopere dubito num ista Orbilii mortui irrisio sat gravis fuerit caussa irae atque inimicitiarum cum Furio Bibaculo suscipiendarum.

haud vereor, ne verecundiae in conjectando fines migrasse et mera somnia venditasse arguar, si tamquam certum exploratumque sumo, Horatium, audito sive lecto illo Bibaculi judicio, indignatum, primum paulo lenius tectoque nomine eum Sat. 10. Libri I. carpsisse, quandoquidem pari in loco ac numero, quo caeteros obtrectatores suos, eum habere neque vellet neque posset. Eccui autem probabile est, Furium non intellexisse, quis sit ille turgidus Alpinus, qui Memnona jugulet et luteum Rheni caput defingat? Et quis sibi persuadeat, talem jocum sive potius inurbanam irrisionem aequo animo acceptam patienterque fuisse latam ab homine, quem ipsa Natura mordaci lingua instruxerat et ad maledicentiam ita finxerat, ut ne amicis quidem suis miseris parceret? Idcirco mihi admodum veri simile esse videtur, Horatium, a Bibaculo remorsum, adeo excanduisse animo, ut in eum Sat. 5. Libri II. dicto nomine, illiberali prorsus petulantia et acerbitate inveheretur. Non defuit hercle Furio Bibaculo ingenium facetum, neque aculei, quos in Horatio, suorum poematum irrisore, defigeret, et, cum uterque suapte natura ad risum et cavillationem propensior esset, quam ad pacem et reconciliationem, fieri non potuit, quin gliscentes ab initio dissensionis mutuarumque offensionum igniculi ad extremum in apertam indignationis ireaeque flammam erumperent. Et Horatius durum illud malignumque judicium, quod sine dubio Bibaculus de ejus Sermonibus sive ore sive scripto protulisset, tam alta mente repostum habuisse videtur, ut in Epistola ad Pisones, quam, ut N. 3. dixi, cum Reenenio a. U. C. 730. s. 731. scriptam esse statuimus, eum denuo tecte carperet ejusque poematum παρενθύρσους et pigmenta notaret et traduceret.

DE

TITIO SEPTIMIO POETA.

§. 1.

Horatius Epistola tertia Libri primi, quae Julio Floro cuidam inscripta est, cum alios commemorat viros, aliunde nobis non notos, tum imprimis Titium quemdam, tamquam poetam lyricum et tragicum, his usus verbis v. 9—14.:

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desaevit et ampullatur in arte?

Qui locus ut recte intelligi possit, nonnulla de hujus Epistolae consilio ac tempore, quo scripta sit, et de ipso Julio Floro a me praemittantur, necesse est.

Julius Florus, de quo inter Viros Doctos non convenit, mihi videtur inter eos Horatii familiares fuisse, quos ob ingenium doctrinaeque studium haud parvi aestimaret. Namque ad eumdem scriptam esse etiam Epistolam secundam Libri II., recte statuunt Intpp. omnes: cuius Epistolae argumentum, totum illud ad poetica illius temporis studia spectans, clarissime nos docet, hunc Florum fuisse virum ingeniosum doctumque, et dignum Horatio visum, quocum, quae de suae aetatis scriptoribus et poetis sentiret ac cogitaret, ingenue candideque communicaret. Sed quid quaerimus amplius? Horatius ipse v. 20. ad eum scripsit:

— — — — *Ipse quid audes?*
Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum

Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum:
Seu linguam caussis acuis, seu civica iura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima feres hederae victricis praemia.

ex quo loco discimus, Florum et oratorem, et juris peritum, et poetam fuisse.

§. 2.

Jam videamus, quae Scholiastae nobis de eo referant. Porphyrion p. 402. ed. Basil. ait: *Hic Florus fuit Satirarum scriptor, cujus sunt Electae ex Ennio, Lucilio, Varrone.* Omisit hunc Julium Florum, Satirarum scriptorem, G. Jo. Vossius de Poetis Latinis; sed Satirographis poetis eum accensuit primus, quod sciam, Wernsdorfius Poet. Lat. Min. T. III. p. XV. et illum secutus Rupertius in Dissert. de Satiricis Rom. Poetis in edit. Juven. sec. T. I. p. LXX., itemque nuper Baehr. in Histor. Litter. Roman. Libr. II. c. 7. §. 104 et 118., qui omnes ad Porphyrionis testimonium provocant. Equidem vero admodum dubito, num jure meritoque Julius Florus Satiricis Latii poetis adnumerari queat, cum, qui *Electas* ex aliis poetis instituit et in lucem edit, veri poeta nominis neque dici neque haberi possit. Ita enim Scholiastae verba intelligenda esse puto, ut Florum ex Ennio, Lucilio et Varrone, quos constat scripsisse Satiras, praestantiora carmina elegisse, eaque fortasse antiquitatis rigore sordibusque abstersis, et emendatiora et elegantiora edidisse statuamus, uti Horatii aetate Valerium Catonem, Grammaticum eumdemque poetam optimum, Lucilii versus male factos emendasse comperimus ex notissimis illis Horatii versibus Satirae X. Libri I. praefixis [1]). Hinc igitur fortasse factum

1) Cum Julii Flori Electis scl. Satiris comparari quodammodo possunt *Electorum Commentarii*, quos ab avunculo relictos esse scribit Plinius Libr. III. Epist. 5. §. 17. In illos Commentarios Plinius major contulerat loca insigniora ex variis excerpta scriptoribus, eaque appellaverat *Electa*. Quae a Floro communi nomine dictae sunt *Electae* i. e. selectae ob praestantiam Ennii, Lucilii et Varronis Satirae, poterant etiam Graeco vocabulo nominari *Eclogae*: vid. Comment. *d. Laevio Poeta* §. 2. N. 1. Referri huc potest locus Ciceronis ad Attic. Libr. XVI. Ep. 2. „*De Gloria mihi tibi. Custodies igitur*, ut soles: sed notentur eclogarii,

est, ut Florus ipse Satirarum scriptor appellaretur? nam si Satiris proprio Marte scriptis aliquam nominis claritatem Romae fuisset consecutus, permirum esset, si a Quintiliano aliisque scriptoribus silentio plane praetermissus fuisset. Ex laudibus, quibus hac Epistola eum ornat Horatius, nihil firmamenti accipit Porphyrionis nota et traditio. Verisimilior est Casauboni de Satir. Rom. Poes. p. 230. ed. Ramb. suspicio, a Floro scripta fuisse Ἐρωτικά, quoniam Horatius v. 24. de eo praedicet: *seu condis amabile carmen.* Casaubono assentitur Wielandus T. II. p. 129. Verum tamen fortasse his etiam verbis nihil aliud, quam amica et blanda studiorum elegantiorum, imprimis poeticorum, quibus Florus per otium et animi caussa vacaret, significatio continetur, ita ut nesciam, an non poetarum numero et ordine prorsus sit eximendus. Nam illo tempore nemo non Romanorum, qui modo cumque ingenii doctrinaeque laudem affectaret, versus scriptitavit, et licet in laude, qua Horatius Flori indolem doctrinamque effert, nulla insit ironia, tamen inde non sequitur, eum amatoria scripsisse carmina iisque excelluisse, nedum fuisse poetam Satiricum.

At indagantibus nobis Julii Flori natales, gentem et fata, haud exiguae obiiciuntur difficultates, praesertim cum cognomen Florus, uti Massonus in Vit. Horatii p. 290. docet, gentis *Aquiliae* esset et in nummis nomina inve-

---

quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dantaxat legat: ubi Turnebus in Advers. Libr. IX. c. 22. aliique *eclogarios* interpretantur de servis, qui ex libro, qui recitabatur, κατὰ τάχος excipiebant, quae observatu maxime digna videbantur, vel, ut Rappoltus in Comment. in Horat. Sat. et Epist. p. 854., de hominibus eruditis, qui, quidquid librorum legebant, ex iis excerpebant. Huic autem interpretationi obstat v. *notentur.* Hoc sentiens Gronovius legendum esse censuit *sed notent eclogarii* i. e. partim interpungant distingnantque membra orationis, partim nomina interloquentium rubrica picta interponant ad faciliorem lectionem. Sed haec quoque ratio, probata quidem Ernestio, non satis facit. Schützius in Cicer. Epist. ord. chronol. disp. Tom. VI. p. 168. et in Clavi s. h. v. merito adoptavit interpretationem Mongaltii *eclogarias* de locis insignioribus accipientis; eamque firmavit alio loco Ciceronis ad Attic. Libr. XVI. Ep. 11., ubi ille idem de Gloria opus respiciens scribit: „*Nostrum opus tibi probari laetor: ex quo ἀνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora visa sunt tuo judicio.*" Denique Ausonius *Eclogarium* inscripsit unum ex libris, in quo breviora poëmata selecta ex pluribus, illae ipse partim composuit partim ex Graecis convertit, collegit atque edidit.

niantur: *Manius* ac *Lucius Aquilius Florus:* quare jam Marcilius ad h. l. v. 1. pro *Juli Flore* legi maluit *Luci Flore.* Quam ipse Massonus p. 292. in medium profert coniecturam, qua hunc Horatii Florum ex gente Aquilia, in quam Augustus, Antonio victo, crudeliter saevierit, fuisse unum superstitem putat, qui praenomen *Julius* assumpserit, ut se Augusti beneficentia vivere significaret, ea adeo incerta et vana est, ut vix fidem invenire queat [2]). Ridicula paene est sententia Dacerii opinantis, hunc Julium Florum esse Postumum, cui inscripta sit ab Horatio Libr. II. Oda 14. et a Propertio Libr. III. eleg. 12., quandoquidem Postumi cognomen Juliorum familiis frequentissimum fuerit. Hanc opinationem satis confutarunt Massonus in Vit. Horat. p. 292 sq. et Sanadonus ad Horatii Odam cit. T. III. p. 175 sq. Neque pluris facienda est hariolatio Fr. Nic. Titzii, qui, quae L. Annaeo Floro tribui solet Epitome Rerum Romanarum, eam Horatiano Julio Floro vindicare connisus est in Prolegom. in Florum (Pragae 1819.): sed ejus temeritatem docte et subtiliter demonstravit Vir Doctus in Annal. Litt. Viennens. Vol. XXVIII. 1824. p. 169 sqq. Cf. Baehr. in Histor. Litt. Roman. Libr. III. c. 14. §. 219. Pergamus ad certiora. A Seneca patre Controvers. Lib. IV. 25. p. 283. Bip. memoratur quidam Florus Latronis auditor seu discipulus. Intelligendus est M. Porcius Latro, celeberrimus Augusto regnante rhetor, de quo videatur Spaldingius ad Quintil. I. Or. IX. 2. §. 91. Illum Florum Seneca audivit declamantem et ex ejus Flaminino (haud dubie declamatione quadam) locum attulit, in quo mollem compositionem figurarumque audaciam reprehendit. Jam etsi Seneca praenomen *Julius* non addidit, tamen, quia aetas convenit, Viri Docti haud temere opinantur, illum Senecae Florum esse eumdem, ad quem

2) Aquilius Florus pater et filius pro vita rogantes ab Octaviano jussi sunt sortiri et dimicare, ut alterutri concederetur: sed patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque, dolore rei permotus, sibi ipse manum illico intulit, ut tradunt Dio Cassius Libr. LI. c. 2. Suetonius c. 13. Uterque ille Florus adjuverat in bello M. Antonium, ideoque ab Octaviano morte mulctati sunt.

Horatius hanc Epistolam scripserit, utpote in qua de eo praedicet v. 23. *Seu linguam caussis acuis.* Hanc VV. DD. coniecturam amplectitur etiam Spaldingius ad Quintil. I. Or. X. 3. §. 13.: quo in loco Quintilianus Julium Secundum quemdam, familiarem suum memorans, simul ejus patrui mentionem iniicit his verbis: *is*, inquit, *fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum eam exercuit, princeps.* Atque Spaldingius verissime, si quid video, coniicit, hunc Julium Florum, Julii Secundi patruum, esse Horatianum, nec temere eumdem intelligendum esse putat apud Tacitum Annal. Lib. III. c. 40. „*Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem aeris alieni rebellionem coeptavere: cujus exstimulator acerrimus inter Treveros Julius Florus, apud Aeduos Julius Sacrovir.*“ Haec Galliarum rebellio accidit a. U. C. 774. et octavo Tiberii imperantis anno. Jam cum constet, Gallias illo tempore eloquentiae studio et laude floruisse [3]), haud alienum erit statuere, illum Julium Florum, rebellem Treverorum exstimulatorem, esse Horatii familiarem, qui in Gallias, seu eloquentiae, quae ibi viguit, aliarumque artium studio excitatus, seu Tiberii consuetudinem vitaturus, Roma secesserit, Treverosque ad defectionem exstimulaverit, licet antea in Tiberii familiari comitatu fuisset [4]).

---

3) Confer Morhofium de Patavinitate Liviana Cap. X. Vol. XV. P. 1. p. 118. Drak.

4) In Ael. Spartiani Hadriano c. 15. p. 18. ed. Lips. haec scripta leguntur. „*Floro poetae scribenti ad se*

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

rescripsit n. Hadrianus:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.“

Utrumque epigramma Burmannus in Antholog. Latin. Libr. II. Ep. 97. et 98. edidit et priori, Pithoeum et Scaligerum secutus, *Julii Flori* nomen praefixit. Id si idonea niteretur auctoritate, non rejicienda esset conjectura Obbarii, viri eruditissimi, in Seebodii libro: *Archiv für Philol. u. Paedag.* Vol. II. p. 459. 1825. dicentis, hunc Julium Florum fuisse ex posteris familiaris Horatiani.

Nam recte Schol. Cruq. ad hanc Epist. v. 1. p. 525. *Julius Florus, ad quem haec scripta mittuntur, fuit in cohorte, id est, inter comites Claudii Tiberii Neronis, qui ab Augusto imperium accepit.* Videlicet, occiso per dolum propinquorum Artaxia, datus ab Augusto Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Claudio Tiberio Nerone, ut narrat Tacitus Annal. Lib. II. c. 3. ibiq. Lips. cf. Interpp. ad Vellei. Paterc. II. c. 94. p. 429. ed. Kraus. Hoc est illud imperium, quod respicit Scholiastes Cruq., Neronisque res praeclare in Oriente gestas tangit Horatius Lib. I. Ep. 12. v. 26. et Oda 9. Libri II. Jam magistratus in provincias abeuntes sequi solebat satellitium quoddam, *cohors* dictum, fuitque illud compositum partim ex hominibus officialibus, partim ex voluntariis sine officio: hi erant adolescentes nobiles, qui magistratus comitabantur, quo peritiores rerum usu domum redirent [5]). Qui sine officio erant, appellabantur etiam *amici:* cf. Ernestii Excurs. XV. ad Sueton. Tiber. c. 46. T. II. p. 329. ed. Wf., a quibus differebant *contubernales*, de quibus Cortius ad Sallust. Jug. c. 64. egit. Ambitiose autem nonnulli magistratus ejusmodi adolescentium, imprimis ingeniosorum doctorumque comitatum quaerebant, sperantes, aliquid laudis splendorisque ad se ipsos inde redundaturum esse. Ita Tiberius quoque, qui, teste Suetonio c. 70., artes liberales studiosissime coluit, tales comites eduxerat, qui ab Horatio *studiosa cohors* appellantur. Accepit autem Claudius Tiberius Nero illud imperium anno U. C. 734., quo simul tempus definitur, quo tum haec epistola, tum epistola octava et duodecima Libri I. scriptae sint [6]). Cum igitur Julius Florus, adolescens erectioris ingenii bonarumque

5) Homines officiales dicebantur etiam *sectatores* et *assectatores*, ut docet Ernestius ad Taciti Annal. Libr. XI. c. 21. cl. Intpp. ad Plinii Libr. VII. Epist. 27. §. 2.

6) Ex duabus, quae in Horatio msto Bibliothecae Palatinae a Cl. Casp. Pallavicinio repertae et hodie in editt. Jaekii p. 49. et Jahnii p. 28. Libro Odarum primo adjectae leguntur, Odis Horatii, prior inscripta est Julio Floro; sed sunt suppositiciae, ut omnes fatentur editores, ex quibus imprimis consulas Vanderbourgium Vol. I. p. 356 — 361. cl. Bothii ad Fesc Horat. Vol. I. p. 20 sq. et Jahnii Adnotatt. p. 228.

artium amantissimus, Roma abesset Neronemque in illa comitaretur expeditione, scripsit ad eum Horatius hanc Epistolam, prudentiae, humanitatis atque urbanitatis plenissimam, in qua simul, admirabili usus arte, duo alios Neronis comites, qui Apollinis lauream affectarent, *Titium* et *Celsum*, sale et facetiis tangit et perurbane carpit.

Ex his animum nostrum imprimis advertit *Titius*, de quo primum audiamus Scholiastas: Acron p. 403. ed. Bas. *Deridet Titium poetam, qui Pindarum Graecum, profundissimi sensus et eloquentiae, in Latinum sermonem conatus est transferre. Nam tragoedias et lyrica carmina scribere coepit temporibus Augusti, sed libri ejus nullius momenti erant.* — Porphyrion haec adnotavit: *Titius poeta hic voluit Pindarum sermone Latino vertere. Deridet autem hunc Horatius, quod ausus sit sacrum opus contaminare. Potest tamen et vere laudari: nam Tiberii comes et doctissimus fuit et lyrica conscripsit.* Igitur uterque Scholiastes Titium Pindari interpretem fuisse ait, sed et ipsum lyrica scripsisse carmina et, Acrone teste, etiam tragoedias: hinc a G. Jo. Vossio de Poet. Lat. Cap. II. p. 241. T. III. Opp. *Titius Septimius* quidam lyricis et tragicis accensetur poetis, itemque a Langio in Vindic. Tragoed. Rom. p. 8. *C. Titius Septimius* inter eos memoratur, qui Romae tragoediis scribendis operam navaverint. Uterque Vir Doctus ad hunc Horatii locum nos ablegant, ex quo sane discimus, Titium et in lyrico et dramatico poeseos genere ingenii sui vires esse periclitatum: quo successu, Horatione probante an improbante, infra videbimus. Cum Acrone et Porphyrione fere consentit Scholiastes Cruq. p. 525. *Titius Septimius lyrica carmina et tragoedias scripsit, Augusti tempore; sed libri ejus nulli exstant. Hujus autem insigne monumentum est infra Ariciam.* In qua nota memoratu dignissimum est, quod poeta, qui ab Horatio duobusque ejus enarratoribus simpliciter *Titius* vocatur, *Titius Septimius* appellatur, quod nomen G. Jo. Vossius l. c. recepitet Torrentius, quem Langius videtur secutus esse, eidem Titio praenomen *Cajus* tribuit, quod nescio qua fecerit auctoritate.

§. 8.

Operae pretium me facturum arbitror, si, quae mihi de hocce Titio innotuerunt partim ab antiquis tradita scriptoribus, partim a Viris Doctis recentioris memoriae disputata, in unum collecta locum hic cum aliis communicavero, et quae mihi, ponderatis singularum rerum sententiarumque momentis, vera et certa esse videantur, breviter proposuero. Jam primum hic Titius probe distinguendus est ab antiquiore oratore et poeta tragico, Cajo Titio, cujus mentionem fecit Cicero in Brut. c. 45. „*Ejusdem fere temporis* (circa a. U. C. 660.) *fuit eques Romanus C. Titius, qui, meo judicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Graecis literis et sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. Easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit.*“ Utrumque recte jam distinxerunt G. Jo. Vossius et Langius. Alius Cajus Titius L. F. Rufus est is, ad quem Ciceronis Epistola 58. Libr. XIII. ad Divers. a. U. C. 703. scripta est et quem ex Epist. ad Div. XII. 15. Dolabellae in Asia legatum a. U. C. 710. fuisse comperimus. Plures vixerunt Ciceronis aetate Titii, in ejus scriptis passim memorati, quos quanta fieri potuit maxima diligentia collegit et distinguere studuit Ernestius in Clav. Cicer. Histor. T. XVII. p. 398. ed. Schütz.: a quo tamen in nonnullis discessionem fecit B. F. Schmiederus in libr. *Historisch-Philol. Bemerk. z. d. Brief. Cicer.* p. 344 — 46. et hujus iterum errores arguit Martyni-Laguna in Argum. Cicer. Epist. 17. Libr. V. p. 265. Quorum tamen Titiorum cum nullus ingenio doctrinaeque laude inclaruerit, excepto fortasse Sexto Titio, quem Cicero in Brut. c. 61. hominem appellat sane loquacem et satis acutum, sed tam solutum et mollem in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi *Titius* nomen esset, eos non opus est ut hic recenseamus [7]). Porro memoratur Titius quidam a Tibullo Lib. I. El. 4. v. 73.:

7) Wetzelius ad Cicer. Brut. l. c. p. 118. putat, C. Titii tragoe-

Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore. in quo loco Scaliger et Menagius (vid. N. Heinsii Advers. II, 8.) nomen *Titius*, tamquam Jurisconsultorum personam *ὑποθετικὴν* sumpserunt, uti illud invenitur ap. Juvenal. Sat. IV, 13.; sed horum opinationem tantum abest, ut ego amplectar, ut prorsus assentiar Broukhusio ad Tibull. p. 92., Heynio ad eumd. p. 102. P. II. ed. Wunderl. et Wernsdorfio P. L. M. T. III. p. XXX., qui Horatii et Tibulli Titium unam eamdemque personam et communem utriusque amicum esse statuunt, eorumque sententiam valde probabilem secutus est etiam Jo. H. Vossius ad Tibull. Libr. I. El. 5. v. 73. Ep. 63. Jam hi omnes Viri Docti, Scholiastae Cruq. fidem secuti, Horatii Tibullique amicum et familiarem *Titium Septimium* appellant, et *Septimium* illum, cui ab Horatio inscripta est Oda 6. Libri II., quemque Epist. 9. Libri I. Claudio Neroni commendat, nostrum *Titium*, Pindari interpretem Latinum et tragicum poetam esse, pro certo exploratoque sumunt. Hoc si verum est, Epistola nona, in qua Septimius Neroni commendatur, prius scripta sit necesse est, quam tertia. Eumdem quoque Titium deprehendere sibi visus est Broukhusius ad Tibull. l. c. in Scholiastae ad Horatii Lib. I. epist. 13. v. 14.

„*Ut vinosa glomos furtivae Pyrrhia lanae.*“

adnotatione, quam edidit C. Barthius Advers. Lib. XXXVII. c. 22. „*Apud Titium poetam introducitur Pyrrhia ancilla, furans lanam dominae suae:*“ atque inde colligit Broukhusius, Titium Septimium etiam Comoedias scripsisse, graviter succensens C. Barthio, qui mendum odoratus pro: *apud Titium* scribendum esse coniecit: *apud Licinium* [8]). Sed quam egregie falsus sit Broukhusius,

---

dias togatas fuisse, quia sine litteris Graecis fuerit nec ex Graeco convertere aut imitari potuerit: quod judicium praeceps esse dicit Ellendtus, si quidem Titius de Ennii, Pacuvii, Attii fabulis potuerit aliquam de sumptam suo modo informare et ornare. Ejusdem meminit Fronto Epist Libr. I. 6. „*Quid tale M. Porcio, aut Quinto Ennio, aut C. Gracche, aut Titio poetae?*“ ubi p. 15. Ang. Majus monet, distinguendum eum esse a *Titio Septimio*, quem Horatius Libr. I. Ep. 3. memoraverit.

8) Hoc C. Barthii Scholion protulit etiam Pricaeus ad Apuleji Apolog. Vol. II. p. 405. ed. Bossch. ita: „*Apud Ticium poetam introducitur Pyrrhia ancilla*“ etc., ibique, rejecta correctione Barthiana, ipse *apud*

in promptu est videre: nam Titius noster, uti Horatii verba v. 9. *brevi venturus in ora* declarant, erat nullius dum inter poetas gloriae, ita ut veri dissimillimum sit, Horatium ex aliqua ejus Comoedia Pyrrhiae exemplum sumpsisse. Verum Barthii quoque coniecturam falsam esse, docet Scholiastes Cruq., qui ab Horatio fabulam quamdam *Titinii* respici ait. De *Vectio* s. *Vettio Titinio*, Togatarum scriptore, vide Fabricii Biblioth. Lat. Lib. IV. c. 1. T. III. p. 240. Ern. et Bothii Poet. Lat. Scenicor. Fragm. Vol. V. P. 2. p. 58—76. De Horatiano igitur Titio in illo, quod C. Barthius edidit, Scholio cogitari non potest; sed item dubitari potest, num Broukhusius, quem plurimi VV. DD. secuti sunt, illum Tibulli Horatiique amicum recte *Titium Septimium* cum Scholiasta Cruq. nominaverit eumdemque esse censuerit, quem Horatius Epist. 9. Libri I. Claudio Neroni commendavit, cuique Odam 6. Libri II. inscripsit. Hanc VV. DD. sententiam primus, quod sciam, impugnavit Massonus in Vit. Horat. p. 259., cui nostra memoria accessit Vanderbourgius in Arg. Od. 6. Libr. II. T. I. p. 232.

Eruditissimus hic Horatii editor et interpres Septimium, Cl. Tiberio Neroni ab Horatio commendatum et eum, ad quem scripta est Oda 6. Libri II., unam eamdemque personam esse cum Massono aliisque statuit. Hic autem Septimius fuit, Acrone, Porphyrione et Schol. Cruq. testibus, eques Romanus, amicus et commilito Horatii et summa gratiae necessitudine ei adstrictus, cujus mentionem sunt qui ab Horatio etiam Epistol. 5. Libri I. injectam esse putent. Videlicet in illa Epistola Torquatum quemdam ad coenam invitat valde frugalem additque exposito coenae apparatu v. 26.

Butram tibi, Septicumque
Et, nisi coena prior, potiorque puella Sabinum
Detinet, adsumam.

Ita h. l. ediderunt Bentlejus et Fea pro vulg. *Brutum tibi Septimiumque*, quam lectionem inter nostrates Wetzelius

---

Ticidam legendum censuit: cf. Comment. d. *M. Furio Bibaculo Poeta* §. 6. N. 22.

revocavit et Septimium, equitem illum Romanum et Horatii amicum, intellectum voluit: a quo non possum quin plane dissentiam et Bentleji Feaeque lectionem sequar, Codicum plurimorum et optimorum auctoritate munitam. Illud autem veri haud dissimile est, hunc Horatii Septimium esse eum, de quo Augustus, teste Suetonio in Vit. Horat. p. 49. T. III. ed. Wf., ad Horatium scripsit: „*Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire.*“ Ita etiam videtur Vanderbourgio l. c. p. 233., ubi pergit: *Je ne crois pas qu'on doive le confondre avec le Titius de l'épître 3. du Liv. I. quoique le Scholiaste de Cruquius donne à celui-ci le surnom de Septimius.* Etenim inter Franco-Gallos hanc sententiam imprimis Dacierus proposuit ac tueri studuit, contra quem disputavit Massonus, his potissimum usus argumentis: primum Titius et Septimius diversarum sunt gentium nomina, ita ut neutrum alterius cognomen dici haberique possit: alia fuit gens *Titia*, alia *Septimia*; deinde Titius ab Horatio laudatur ob poeseos studium et lyrica et tragica carmina, quibus scribendis operam det; Septimii autem poetices studium neque in Oda illa, neque in Epistola ad Cl. Neronem ne verbo quidem significatur, quod, si coluisset Septimius, vix omisisset Horatius Neroni eum commendaturus.

Haec Massoni argumenta quam levia sint, nemo, opinor, erit, quin intelligat. Nam quod ad primum attinet argumentum, inter omnes constat, quantum confusa fuerint Augusti aetate gentium nomina: cujus rei exempla non opus est ut afferam [9]). Alterum autem argumentum a silentio petitum facili opera sic elevari potest, ut dicamus, Septimium serius demum poesi vacare coepisse et cum magna statim et grandia tentaret, Pindarum aemularetur et cothurno incedere vellet, hac in Epistola ab Horatio, qui illud comperisset, amice moneri, quam vanum et

9) Multo copiosius quam Drakenborchius ad Livii Libr. XXII. c. 42. §. 4. et Gronovius ad ejusdem Libr. I. c. 49. §. 9., de hac nominum permutandorum lubidine, quae Romae sub Caesaribus maxime invaluit, egit Henr. Cannegieterus de Mut. Rom. Nom. Ratione Cap. 2. p. 6 sqq.

irritum sit ejus conamen Pindarum aemulandi. Nam id manifestum est, poetica Titii studia ab Horatio hoc loco perurbana irrisione perstringi potius, quam vere laudari. Hoc perspexerunt jam partim veteres Scholiastae, a quibus nonnullos nostrae aetatis interpretes Horatii discessisse miror, partim nos diligentior totius loci consideratio singulorumque verborum explicatio deinceps docebit [10]).

Mihi nequaquam a vero alienum videtur, quod Scholiastes Cruq., veteres haud dubie et fide dignos secutus auctores, tradit, lubensque accedo iis, qui Titium et Septimium unam eamdemque personam esse statuunt. Atque

---

10) Huic disputationi controversiam movit Obbarius in Seebodii libr. *Archiv f. Philologie u. Paedagogik* Vol. II. p. 458 sq. et Titium a Septimio distinguendum censuit, quod Scholiastes Cruq., qui solus *Titio* cognomen *Septimii* tribuit, monere omiserit, hunc eumdem Titium Septimium commemorari ab Horatio Od. II. 6. et Epist. I. 9. Quod quidem silentium Vir ille egregius tanto pluris facit, quanto accuratius ea in re Scholiastes iste alibi consueverit versari, ut Epist. I. 5. cl. Od. IV. 7. Epist. I. 12. v. 23. cl. Od. II. 16. et conferas Vanderbourgium ad Od. II. 7. Inde colligit Obbarius, ipsum Scholiastem distinxisse Titium Septimium a Septimio, quem Horatius Epist. I. 9. Tiberio commendaverit. Hoc argumentum plus apud me haberet ponderis, si isti Commentarii ad nos pervenissent integri. Cf. Comment. *d. C. Valgio Rufo Poeta* §. 6. Epistola Libri I. nona ab Horatio scripta est, ut alias probabo, per autumnum a. U. C. 732., in qua ut Tiberium celaret de Septimii poetica facultate ac studiis, fortasse ei nulla alia fuit caussa, nisi quod in epistola ad Augusti privignum nollet amicum veterem et carum ludificari. Illi Principi commendat Horatius Septimium ut virum fortem bonumque; sed in epistola ad Julium Florum, qui et ipse artis poeticae studiosus esset, jactatur de ejusdem studiis poeticis. Numquam enim mihi persuaderi patiar, ut Titium Septimium vere hic laudatum esse credam ut poetam magni ingenii et optimae spei. Sicut omnis, qua Titius Septimius mactatur, laus perperam est salibus, ita etiam ipsa illa verba v. 9. *Romana brevi venturus in ora*, cum leni quadam et amabili scripta sunt irrisione: vid. §. 5. Neque quidquam hic video, quod nos de adolescente, artis poeticae studioso et magna ac praeclara minante, jubeat cogitare; quid? quod verba v. 12. *Ut valet? ut meminit nostri?* attestari videntur familiaritatem vetustam multorumque officiorum necessitudine firmatam, quam Horatio cum Septimio intercessisse docet Od. II. 6. Omnia, opinor, plana erunt, si statuerimus, Titium Septimium, virum jam factum, subito coepisse animi caussa in poesin incumbere et statim lyrica tentasse carmina et tragoedias, subridente Horatio, amico et quondam commilitone. Jam cum Horatius Tiberio illum commendaret, tum turpe esse sensit tum offensionis et invidiae plenum, illius rei facere mentionem. Itaque de poeticis Titii Septimii studiis tacuit; at in epistola ad Julium Florum amicum licuit Poetae Venusino esse jocoso et irrisori veteris amici sui et jam poesi lyricae et tragicae in castris per otium pingui Minerva studentis. Haec fere habui, quae doctissimo Obbario, cui sciebam unice caram esse veritatem, responderem.

cum in hac Epistola v. 31. *Munatius* quidam memoretur, subnata mihi est coniectura, quam hic ea, qua par est, modestia in medium proferre liceat. Disputant VV. DD., quis sit hic Munatius, quocum ut in gratiam Julius Florus redeat amicitiamque constanter colat, Horatius optat. Ille, cui inscripta est Od. 7. Libri I., ob temporis rationem intelligi nequit. Etenim illa Oda scripta est ad *L. Munatium Plancum*, virum nobilem probabilemque oratorem, qui cum M. Lepido a. U. C. 712. consulatu functus est: docte de eo egerunt Intpp. ad Sueton. Octav. c. 7., Ruhnkenius ad Vellej. Paterc. II. c. 63. p. 127. ed. Clud. et Mitscherlichius ad Horat. Od. 7. Libr. I. p. 87. Ab Scholiasta Cruq. hic Munatius dicitur Julii Flori frater, quem miror sequi potuisse Lambinum, si quidem Scholiastes iste verbis v. 33. *indigni fraternum rumpere foedus* in hunc inductus est errorem, in quo versu v. *fraternum* proprie intellexit. Longe probabilior eorum est sententia, qui hunc Munatium Consulis filium esse contendunt. Namque L. Munatius Plancus apud Augustum multum gratia et auctoritate valebat, quare non mirum est, ejus filium fuisse in Tiberii cohorte. Jam Plancus Consul erat avunculus M. Titii cujusdam, qui, a Sexto Pompejo captus et patris gratia dimissus, ad Antonium transiit ejusque jussu Sext. Pompejum jugulavit, teste Plutarcho in Anton. c. 58. et Vellej. Paterc. II. c. 79. ibiq. Intpp., sed postea ab Antonio ad Augustum defecit, Planci avunculi sui exemplum secutus, ut ait Vellejus Pat. Lib. II. c. 83., idemque M. Titius, quem Glandorpius Onom. p. 841. perperam *Cajum Titium* appellavit, a. U. C. 723. ex Kalend. Maj. Consul factus est [11]). Jam suspicor, Marci Titii Consulis filium fuisse hunc nostrum Titium Tiberii comitem, de quo Horatii Epistola agit. Meram hanc esse coniecturam, nemo me melius sentire atque intelligere potest; sed nemo etiam alienos esse putabit a Tiberii comitatu et familiaritate filios eorum, qui ob bene merita Augusto gratiosi acceptique essent.

11) Confer Dion. Cass. Libr. XLVIII. c. 30. ibiq. Intpp. Vol. V. p. 557. Strz.

Tiberio regnante memoratum adhuc invenio apud Tacitum Annal. IV. c. 18. *Titium Sabinum* quemdam fortasse nostri Titii agnatum, Germanici amicum, qui in gratiam Sejani interemptus est a. U. C. 779. cf. Annal. VI. c. 4. Sed incerta est apud Tacitum lectio: vid. Oberlinus T. I. p. 386. et a Dione Cassio Lib. LVIII. c. 1. simpliciter Sabinus vocatur.

§. 4.

Jam, quod paulo ante promisimus, restat, ut recta loci, quem supra de Titio exprimendum curavimus, interpretatione doceamus, hunc hominem ab Horatio non tam laudari, quam derideri ob studium quod poesi navet. Id igitur agamus sic, ut et alia hujus Epistolae loca ὡς ἐν παρόδῳ explicemus. Admirabuntur, credo, mecum omnes artificiosissimam argumenti descriptionem totius Epistolae, in qua Horatius callide et prudenter primum ex Julio Floro quaerit, quid agat Claudius Tiberius Nero, et quo versetur terrarum loco, quasi sua potissimum intersit illud scire sibique illius, quem, nisi me omnia fallunt, de industria *Augusti privignum* appellat, salus et res maximae sint curae. Quae callida et ambitiosa amoris studiique in Tiberium testificatio non potuit non Augusto blandiri et grata acceptaque esse: nam qui veterum Interpretum Horatium Tiberii vere studiosum et amantem fuisse eique ex animo bene cupiisse ex Epist. 9. Libr. I. collegerunt, eos non dubium est quin prorsus lateret illius Epistolae ratio et consilium, quod acutius perspexit Wielandus nostras p. 173 — 176. Illam autem expeditionem Tiberius, teste Suetonio c. 14., fecit per Macedoniam et Thraciam: hinc v. 3. Hebri mentio et Hellesponti, quem in Asiam cum exercitu profecturus trajicere debuit. Hellespontum Horatius v. 4. ita designat:

An freta vicinas inter currentia turres?

in quo versu Bentlejus ex 3. Codd. *terras* i. e. Europam et Asiam, pro *turres* dedit contra Scholiastas, qui vulg. *turres* de Sesto et Abydo recte, mea sententia, interpretati sunt, atque jam Titius Locor. Controv. Lib. X. c. 2. p. 251. et Lambinus monuerunt, ab Strabone has urbes dici

πύργους. Bentlejum secuti sunt Cuninghamus, Sanadonus et Dorighellus, sed contra eum fuse acriterque disputavit Ouwens Noct. Hag. III. 6. pag. 402. itemque Wetzelius nostras monens, languere *freta currentia inter terras*, quasi mare aliud quid vicinum aliosque terminos habere possit, quam terras. Id quidem verum est: attamen cum Ovidio de Tanai fluvio dicere licuerit Epist. ex Ponto IV. 10. v. 56.

Quique duas terras, Asiam Catlmique sororem
Separat et cursus inter utramque facit:

quidni Horatius de Hellesponto, qui Homero ποταμὸς dicitur Iliad. II. 845. et XII. v. 30? etsi me minime fugit discrimen, quod inter Horatii Ovidiique locum intercedit. A Bentlejo, populari suo, dissensit etiam Wakefieldus ad Sophoclis Trachin. v. 274. p. 220. T. I. ed. Erf. et vulgatam tuiturus lectionem *turres* de montibus accepit, laudato Virgil. G. IV. 125., sicuti montes passim *arces* appellantur v. c. ap. Claudian. de Bell. Get. v. 385., Stat. Theb. IX. v. 807. et cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III. 565. Porro Haberfeldtus *turres* de altis littoribus, ἄκραις, interpretatus est contulitque Lucan. Phars. IX. v. 935.

Threiciasque legit fauces et amore natatum
Aequor et heroas lacrymoso littore turres:

qui quidem Lucani locus vulg. lectionem Horatianae Epistolae egregie tuetur, sed Haberfeldti interpretationi, ut deinde videbimus, neutiquam favet. Denique etiam C. Fea, Codd. opt. testimonio obsecutus, vulgatam lectionem servavit et cum Scholiastis de urbibus, Sesto et Abydo, seu de earum moenibus turritis, inter quae fretum currebat, explicuit, et ex Horat. IV. Od. 6, 7. *Dardanas turres*, ex Ovidii Amor. III, 8, 48. *moenia turrita* et Epist. ex Pont. III, 4, 105. *muros turritos* comparavit: quibus addi potest Virgil. G. IV. 125.

Namque sub Oebaliae memini me turribus altis;

uti ego h. l. pro *turribus arcis* legendum esse puto adductus et loci sensu et auctoritate duorum Codicum Saec. XV., quos ex Bibl. L. Santenii emptos possedit eorumque conferendorum copiam ante aliquot annos mihi fecit b. H. Fr. de

Diez, Berolinensis. Has, quas modo recensui, VV. DD. interpretationes non malas esse, in aprico est; sed easdem veras esse nego, quandoquidem Horatius *turres* quasdam proprie sic dictas intellexisse mihi videtur. Cum enim Bentlejus contendit, Sestiam turrim, Herus lucerna nobilitatam, memorari aliquoties a poetis, de Abydena autem ne verbum quidem apud scriptores inveniri, unde suspicatur, librariorum facinore suppositam esse lectionem *turres*, haud scio an non praestet, tum Horatii tum Lucani loco de iis cogitare turribus, quas de Hellesponti trajectu agens memorat Strabo Libr. XIII. §. 22. T. V. p. 298. Tz. *Ἔστι δὲ ἡ Σηστὸς ἐνδοτέρω κατὰ τὴν Προποντίδα ὑπερδέξιος τοῦ ῥοῦ τοῦ ἐξ αὐτῆς· διὸ καὶ εὐπετέστερον ἐκ τῆς Σηστοῦ διαίρουσι παραλλάξάμενοι μικρὸν ἐπὶ τὸν τῆς Ἡροῦς πύργον, κἀκεῖθεν ἀφιέντες τὰ πλοῖα συμπράττοντος τοῦ ῥοῦ πρὸς τὴν περαίωσιν· τοῖς δ' ἐξ Ἀβύδου περαιουμένοις παραλλακτέον ἐστὶν εἰς τἀναντία, ὀκτώ που σταδίους ἐπὶ πύργον τινὰ κατ' ἀντικρὺ τῆς Σηστοῦ ἔπειτα διαίρειν πλάγιον καὶ μὴ τελέως ἔχουσιν ἐναντίον τὸν ῥοῦν.* Sed quidquid est, id mihi omni exemptum esse videtur dubitatione, plur. Codd. lectionem *turres* unice veram, et de Sesto et Abydo urbibus explicandam esse, quas urbes etiam a Lucano l. c. *heroas turres* appellari manifestum est [12]).

Jam v. 6. Horatius pergit ex Julio Flòro quaerere, non, quid cohortes militares legionesque agant, sed, uti par erat, quid *studiosa cohors* h. e. Tiberii comites litterati doctique agant et quid operum struant? Cui interrogationi callide blandeque subjicit quaeritque, quis eorum res ab Augusto gestas scribendas et carminibus celebrandas sibi sumat. Cujus loci acumen quo melius perspiciatur et poe-

12) Huic interpretationi calculum suum addidit Obbarius l. c. p. 460. acute monens, urbes maritimas *κατ' ἐξοχήν* a poetis dictas esse *turres* ob aedificia eminentiora, quae simul speculis inservirent: hinc Tibullus Libr. I. Eleg. 7. v. 19. *Utque maris vastum prospectet turribus aequor Prima ratem ventis credere docta Tyros:* ibiq. Heynius: cl. Avieni Descr. Orb. v. 1076. et 1086. Prisciani Perieg. v. 858. Ovidius Heroid. XVIII. v. 12. *cum vincula prorae Solveret, in speculis omnis Abydus erat.* Cf. Wernsdorf. in P. L. M. Vol. V. p. 1104.

tae urbanitas et prudentia intelligatur, recordemur necesse est, Augustum iterum iterumque rogasse Horatium, ut ipsius res domi forisque gestas caneret carminibusque immortalitati traderet. Hanc autem provinciam Horatius numquam non declinaverat, suarum virium tenuitatem caussatus, ac si tanto tamque difficili operi impar esset suscipiendo. Huc spectant Satir. II. 1. v. 10 — 15. et Od. I. 6. 9—12., ubi L. Varium poetam eum esse ait, qui solus Augusti facta digne scribere possit; porro Lib. II. od. 12. v. 9., ex quo loco discimus, Horatium etiam a Maecenate invitatum excitatumque fuisse, ut Augusti res caneret: quibus adde Libr. IV. od. 2. v. 27 sqq. et quae Suetonius in Vit. Horatii T. III. p. 50. ed. Wf. narrat. Quapropter in hac ad Julium Florum Epistola scita et perurbana hac quaestione significat, sibi curae cordique esse, ut aliquis ex studiosa Tiberii cohorte, quod ipse suscipere, quantumvis vellet, non posset, suscipiat Augustique bella et paces carmine scribat et longum diffundat in aevum.

Ab hujus rei, tamquam dignissimi argumenti poetici, mentione extemplo ad Titium transit et quid agat quidve operum doctorum struat, interrogat. Quod et ipsum mihi ab Horatio non sine ratione factum esse videtur, sive quod ipse Titium pluris aestimaret, quam Celsum, sive quod eum ab Tiberio potiorem haberi sciret. Mihi prior ratio et caussa locum habuisse videtur. Nam cuivis accuratius consideranti versus Horatii 15 — 20.

Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo:
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus?

non potest esse ambiguum, utrius ingenio, Titii an Celsi, plus tribuerit Horatius atque utrum eorum ad poesin et fortasse ad canendas Augusti laudes aptiorem habuerit. Hic autem Celsus, ut de hoc quoque nonnulla dicam, Viris Doctis non dubium esse videtur, quin sit comes ille et scriba

Tiberii, cui inscripta est Epistola octava Libri I., homo fastus superbiaeque plenus et molestus, ut ex v. 17.

Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feramus.

jure colligi potest. Cum autem in illa Epistola *Celsus Albinovanus* sit nominatus, sunt, qui hunc Celsum Albinovanum eumdem esse putent, ad quem Ovidius Epistol. 10. ex Pont. Libr. IV. scripserit. Verum hic *Pedo Albinovanus*, non *Celsus* appellabatur, ut docet v. 65., idemque Lib. IV. Epist. 16. v. 6. *Iliacusque Macer sidereusque Pedo* dicitur: in quo versu epitheton *sidereus* vereor ut recte cum Harlesio Wernsdorfius in P. L. M. Vol. III. p. 122. de orationis, qua usus sit, sublimitate sit interpretatus, et, licet mihi ignotum sit, an Pedo Astronomica scripserit, tamen iis adstipulor, qui illud hoc acceperunt significatu ob antec. v. *Iliacusque Macer*. Is enim *Παραλειπόμενα Ὁμήρου* s. Posthomerica scripsit, uti Ovidius ipse ex Pont. II. ep. 10. v. 13. 14. testatur, ideoque ab hoc *Iliacus* appellatur [13]). Idem ille *Pedo Albinovanus* memoratur a Martiali in Praefat. Libr. I. et de eo egit Harlesius in Introd. in Litt. Rom. T. II. p. 405. cl. Baehr. in Hist. Rom. Litt. Libr. II. c. 9. §. 144.

§. 5.

Quae cum ita sint, tantum abest, ut ego Celsum Albinovanum Horatii eumdem esse putem, ad quem Ovidius scripsit, ut nostrum adeo Celsum a Tiberii scriba et comite cognomini differre nullus dubitem contendere; sed idem ego ingenue fateor, mihi aliunde non notum esse hunc Celsum, poetam plagiarium, quamquam plurimi a scriptoribus memorantur *Celsi*, quos recensuit I. A. Fabricius in Bibl. Lat. Lib. II. c. 4. p. 36. T. II. ed. Ern. cf. Schneideri Comment. ad Columell. L. I. c. 1. T. II. p. 28. et Spaldingius ad Quintil. Inst. Or. Lib. III. 1. §. 21. T. I. p. 436. Hic igitur quisquis fuit Celsus poeticae studiosus artis non sui ingenii opera proferebat, sed aliorum idque praestantissimorum scripta expilabat poetarum, quorum

13) Videsis Jahnii Disput. d. P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis P. I. p. 8 sqq.

opera ob praestantiam reposita erant in bibliotheca Graeca et Latina, quam Augustus in porticu templi Apollinis a. U. C. 726. in monte Palatino dedicati instituerat: vid. Sueton. Octav. c. 29. et de Illustr. Gr. c. 20. et quae, praeter Lürsenium de templo et bibliotheca Apollinis Palatini. Franequ. 1719., disseruerunt de illa bibliotheca C. Fea ad Horat. Carm. Saec. v. 65. et Passovius ad Persii Sat. I. p. 216 — 218. In hunc poetam plagiarium Horatius accommodate transfert Aesopi fabulam, quam adhuc invenimus apud Phaedrum imitatorem Libr. I. f. 3. Ex his autem facile quisque intelliget, quam contemptim Horatius de poetica facultate Celsi sentiat, quam acerba urbanitate usus eum castiget et ab turpi inhonestaque studiorum ratione, ut jam alias fecerat, etiam per hanc ad Julium Florum Epistolam avocare studeat. Honorificentius sane de Titii Septimii ingenio studiisque poeticis judicat. Nihilo tamen secius partim in verbis, quae praesaga veluti mente effatur v. 9. „*Titius, Romana brevi venturus in ora*“, partim in describenda poetici ejus studii ratione plus cavillationis, quam verae laudis inest, ita ut illum vituperari potius ab Horatio, quam probari appareat. Neque enim Horatius, ingenui candidique animi vir, is erat, qui suis amicis, quae sibi displicerent quaeque improbaret, dissimularet eosque celaret. Ita etiam in Titio, amico suo, non tam studium poeseos, per se spectatum, improbavit, quam urbane eum vellicavit, quod grandia statim tentasset et fortasse se Pindari sublimitatem aemulaturum et assecuturum esse nimia sui confidentia ductus jactasset, et quod animum sine justa artis dramaticae ejusque legum notitia ad scribendas tragoedias applicuisset. Itaque Julium Florum ita de Titio quid agat interrogat, ut hunc derideat potius et ludificetur, quam laudet et ad persequendum illud studium excitet. Hoc, quod Acron et Porphyrion jam perspexerunt, etiam singulorum verborum delectus clarissime docet. Etenim pro eo, qui non dubitat Pindarum versibus imitari Latinis, quod ipsi Horatio visum est difficillimum Od. 2. Libr. IV., dixit: *qui non expalluit:* quo et operis difficultatem et imprimis poetae aemulantis vanitatem falsamque et temera-

riam ejus fiduciam tangit et tecte carpit. Verbis autem: *Pindarici fontis haustus* partim veterum de sacris fontibus superstitionem, de qua docte et elegánter exposuit Passovius ad Persii Prolog. v. 1. *Nec fonte labra prolui caballino* p. 206., partim fontem Boeotiae nobilissimum illum prope Thebas, Dircen, respicere mihi videtur, ob quem de Pindaro Od. 2. Libr. IV. v. 25. cecinit:

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Hic locus, in quo Horatius suam, quam pro virium modulo in carminibus scribendis sectetur humilitatem, modeste opponit sublimitati Pindari in altos nubium tractus evolantis, nos satis docet, quantopere imprudentem Titii Pindarum aemulantis audaciam improbare debuerit. Pari ferme modestia, at dispari elegantia Ausonius in Mosella v. 443. ait: *Fas mihi sacrum Perstrinxisse amnem tenui libamine Musae. Nec laudem affecto, veniam peto. Sunt tibi multi, Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores Aonidum totamque solent haurire Aganippen.* Horatius igitur tecte illis verbis Titium Septimium monitum esse vult, ut ea, quae consequi nequeat, omittat et probe expendens, quid humeri valeant et quid ferre recusent, alios potius imitetur poetas ad imitandum faciliores, quam Pindarum, quem nemo aemulari et aequare possit.

Horatius in allegoria pergens, cum Pindarum appellaverit *fontem*, ex quo emanet lyrica vis, caeteros poetas versu 11. *lacus* nominat et *rivos apertos*, quos fastidiosus Titius spernat indignosque esse arbitretur, ex quibus hauriat et ad quorum imitationem aemulationemque sese componat. Nemo est, quin quam multum ironiae salisque huic loco adspersum sit, persentiscat. Possumus quidem utrumque vocabulum *lacus* et *rivos* cum Turnebo Advers.

Lib. XXVI. c. 27. de poeseos generibus vulgaribus et humilibus interpretari, lyricae poesi oppositis, ita ut Horatius in Titio non tam Pindari imitandi studium reprehendat atque improbet, quam quod primum virium suarum periculum in scribendis lyricis poematis faciat. Verum tamen aut egregie fallor aut totius loci acumen accrescit, si *lacus* et *rivos apertos* non tam ad poeseos genera lyrico humiliora, quam ad poetas lyricos Pindaro inferiores referimus. Quodsi enim Horatius in universum lyricae poeseos studium in Titio improbasset, non dubium mihi est, quin longe aliter sententiam expressisset suam; sin illud probavit, non video, quomodo Pindari aemulatio illi vitio dari potuisset, quandoquidem *dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae*, ut Ovidius ait itemque verissime Martialis Lib. IX. ep. 101. v. 5. 6. de suis carminibus: *Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur Qui fluit, an pigro quae stupet unda lacu.* Sed cum Horatius, ut jam dixi, fieri posse negaret, ut quisquam Pindari sublimitatem imitando possit aequare, tacite optat, ut Titius ad aliorum potius lyricorum poetarum imitationem se componat. Neque prorsus a verisimilitudine abhorret, Horatium de se suisque lyricis cogitasse carminibus. Quid? si forte Titius de Horatii Odis aliquando minus honorifice judicaverat, Pindarumque, Lyricorum principem poetarum, unice dignum esse dictitaverat, qui hoc ornaretur nomine quique imitatione exprimeretur [14])? Haec suspicio, quamvis nullo nitatur argumento historico, non tamen prorsus absurda et inanis videbitur ei, qui vitam et necessitudinem, qua Horatius cum aliis poetis Romae junctus vixit, cognitam habet. Ejusmodi enim caussam si statuere nolumus, non equidem exputo intelligoque, cur Horatius v. 12. ex Julio Floro quaerere pergat, an Titius in proposito sibi studio Latinis Pindarum imitandi versibus perseveret, et quidem *auspice Musa?* si quidem Horatius de felici studii ejus successu desperabat. Nam *fides La-*

14) Atque hoc, si quid sentio, fieri potuerat salva veteris amicitiae et commilitii necessitudine, licet secus videatur Obbario l. c. p. 461. Fortasse factum erat per jocum et familiarem sermonem; sed tamen irritabilem Horatii animum leviter pupugerat, in eoque aculeum reliquerat.

tinae denotant lyricam poesin, in qua exercenda Titius constituerat unice sequi et assequi Pindarum, qui verbis *Thebanos aptare modos* significatur: de qua dictione egit Huschkius ad Tibull. II. El. 5. v. 4. Vix autem opus est, ut moneam, vehementer errare Scholiastas, qui Titium Pindari carmina in Latinum convertisse sermonem tradunt. Hoc si a Titio factum esset, uti Apollonii Rhodii Argonautica a P. Terentio Varrone Atacino Latine conversa fuisse constat, non dubito quin Horatius longe aliter de poeticis Titii studiis scripsisset. Deridet, ut paucis dicam, vanum et audaculum amicum ob Pindari imitationem et aemulationem et propter ejus superbum fastidium, quo alios aspernetur poetas. Sicut vero Horatius h. l. v. *lacus* de poetis Pindaro inferioribus usurpavit, ita de puella vulgari Propertius Lib. II. El. 18. v. 52. ibiq. Burmannus p. 374.

§. 6.

Jam quid Horatius statuat de Titii tragoediarum scribendarum studio et opera, satis aperte declaratur v. 14. singulis verbis, quorum notiones ante omnia accuratius enucleare et illustrare nos oportet. Vocabulum *desaevire*, quod apud Lucanum Phars. V. 303. *Nec, dum desaeviat ira, exspectat*, significat *cessare saeviendo*, h. l. notione intensiva sumendum est [15]), referendumque ad *τὰ πάθη τῆς τραγῳδίας*, quae licet in tragoedia esse debeant *δεινὰ* et *χαλεπὰ*, tamen Titius haud dubie vitiosa tragoediaeque legibus adversante ratione in repraesentandis personis modum excessit ingenii abreptus fervore: id quod hoc verbo indicat reprehenditque Horatius, ex cujus judicio Titius nimis saevus erat, uti eodem nomine Ovidius Trist. II. 559. de Attio ait: *Attius esset atrox, conviva Terentius esset; Essent pugnaces, qui fera bella canunt.* Quemadmodum igitur *desaevire* ad vitiosum tragoediarum a Titio scriptarum argumentum spectat, ita *ampullari* ad orationem ejus stylumque, qui et ipse Horatio displiceret.

15) Ita etiam apud Virgilium Aen. Libr. IV. v. 52. „*Dum pelago desaevit hiems*; et Libr. X. v. 569. *Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor.* Cf. Comment. d. *M. Furio Bibaculo Poeta* §. 2. N. 4.

Me nentiquam fugit, fuisse hodieque esse Viros Doctos, qui illud vocabulum ad orationis jucunditatem ornatumque referant et Titium eo nomine ab Horatio laudari contendant. Sed multum lucis hic locus lucratur ex Art. Poet. v. 89 — 98., in quo loco Horatius de discrimine orationis praecipit, quam poeta in Tragoediis et Comoediis sequi debeat. Maxime huc pertinent v. 95 — 98.

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus: quum pauper et exul uterque
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela;

quorum versuum sententia haec est: Telephus et Peleus, tragicae licet personae, tamen doloris sensa exprimere debent sermone pedestri, non elato et tumido, uti iratus Chremes tumido delitigat ore in Comoedia, quae interdum vocem tollit, cf. v. 93. 94.; nam Telephus pauper, et Peleus exul projicere debent ampullas h. e. abstinere ampullanti sermone et verbis sesquipedalibus. Schol. Cruq. verba *Projicit ampullas* expl. *irata verba*, *inflata*, et *grandia omittit*. Cum Horatius, quod equidem sciam, primus et unicus Romanorum sit auctorum, qui verba *ampulla* et *ampullari* metaphorico sensu usurparit, operae pretium erit accuratius de utriusque vocabuli usu dicere. *Ampulla* est vasis genus ex vitro seu alia materia, lenticulari forma, sed tumido ventre et angusto ore, servando in balneis oleo aptum, cujus imaginem dedit Pignorius de Servis p. 40. Graecis *ampulla* dicitur λήκυθος, ὄλπα, de cujus vasculi vario apud utrumque antiquitatis populum usu, praeter Taubmannum ad Plauti Merc. V, 2, 86. p. 943. et Fischerum ad Aristoph. Plut. v. 811. in Beckii Comment. p. 435., docte, ut solet, exposuit Boettigerus in Libr. *Aldobrand. Hochzeit* p. 49. et imprimis p. 187 sqq. Inde dicti αὐτολήκυθοι, de quibus exposuit Wyttenbachius ad Plutarchi libr. d. Discrim. Adulat. ab Amico Vol. I. p. 334. Lips. Vox Graeca λήκυθος et derivatum inde verbum ληκυθίζειν de orationis ornata et pigmentis adhibetur tum a Graecis, tum a Latinis scriptoribus, ut a Cicerone ad Attic. I. ep. 14. „*Totum hunc locum, quem ego variis meis orationibus,*

quarum in Aristarchus ea, soleo pingere de flamma, de ferro (nosti illas ληκύθους) valde graviter pertexuit"; quem imitatus est Plinius Epist. I. ep. 2. §. 4. *Non tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus* etc., quo loco Plinius Ciceroni ληκύθους tribuit, uti Cicero Isocrati *μυροθήκιον* ad Attic. I. ep. 17. Gesnerus ad Plinium l. c. putat, hunc significatum translatum esse a vase, in quo pictores servarent colores et pigmenta, idemque Cressollium in Theatr. Rhetor. III. 18. dulcia illa vel ecligmata vel sorbitiunculas huc retulisse memorat, quibus laevorem quemdam et splendorem voci conciliarent Sophistae. Nam voces λήκυθος et ληκυθίζειν non tantum de oratione, rhetoricis coloribus pigmentisque ornata atque unguentis veluti delibuta, sed etiam de voce grandi et forti usurpantur, quandoquidem ἡ λήκυθος etiam *βρόχθον*, *gurgulionem*, denotat, qui est fortioris grandiorisque vocis quasi caussa et adjutor. Hinc Scholiastes Aristophanis ad Acharnens. v. 596. p. 797. ed. Dff. ληκυθίζειν γὰρ τὸ μεῖζον βοᾶν καὶ ψοφεῖν. ἦχον γὰρ ἀποτελεῖ καὶ ἡ λήκυθος, ἐπεὶ καὶ αὕτη πεφύσηται; et Hesych. s. ληκυθιστής· κοιλόφωνος. Quare nescio an non, uti jam Dorvillius scribendum esse coniecit apud Suidam T. II. p. 439. ληκυθιστής· ὁ μακρόφωνος· οὕτω Σοφοκλῆς, etiam apud Photium p. 161. ed. Herm., ubi eadem verba, quae apud Suidam, leguntur, corrigendum sit ὁ *μακρόφωνος*, quamquam etiam R. Porsonus illud in Cod. Galeano invenit: vid. Photii edit. Porsoni P. I. p. 219. Lond. 1812. Me enim, fateor, latet locus, in quo ληκυθίζειν ejusque verba cognata de voce exili usurpentur, sed semper, quantum sciam, de voce forti et sonante: cf. Comment. ad Aristoph. Acharn. l. c. Vol. V. p. 160. ed. Dindf. Inde factum est, ut ejus generis voces ad Tragoediam transferrentur, quam Callimachus, teste Hephaestione p. 20. *Μοῦσαν ληκύθιον* appellaverat: vid. Callimachi fragm. a Bentlej. coll. T. I. p. 548. ed. Ern. et a Theodorida Syracusano Musa Mnasalcae poetae elegiaci, sed inflati tumidique vocatur *ἐπιληκυθίστρια*, *διθυραμβοχώνα*: vid. Anal. Br. II. p. 43. T. II. p. 44. ed. Lips. et Jacobsii Animadvv. Vol. II. P. I. p. 125.

126. Possunt igitur ἡ λήνθος i. q. βρόχθος, gurgulio, ejusque verba derivata ad vocis gravitatem et sonum, qualis esse debet Tragoedorum, referri, atque cavendum est, ne illa verba notione confundantur cum v. βράγχος, de quo Quintil. I. Or. XI. 3. §. 55. haec: *Est interim et longus et plenus et clarus satis spiritus, non tamen firmae intentionis ideoque tremulus: ut corpora, quae adspectu integra, nervis parum sustinentur. Id βράγχον Graeci vocant:* ubi v. Spaldingius T. IV. p. 371. et imprimis Chr. Th. Ernestius in Lexic. Rhet. Gr. p. 59. Atque ob orationis diversitatem, quae in Tragoediis et Comoediis observari debet, Latini etiam de Tragicis utuntur *vociferari*, de Comicis *sermocinari* seu *garrire*, ut Horatius Sat. I. 10. v. 41. ibiq. v. Heindorfius p. 217. Jam uti in Ciceronis et Plinii loco manifestum est, ληνύθους esse locos oratorios rhetoricis exornatos coloribus, ita etiam *ampullas* apud Horatium de oratione accipio nimis ornata, ambitiosa et pigmentis veluti tumida, qua abstinere in Tragoedia debebant ejusmodi homines, quales essent Telephus et Peleus, cum, licet antea reges fuissent, nunc in summis versarentur aerumnis; debebant etiam abstinere *verbis sesquipedalibus* h. e. nimis grandibus, qualia passim sunt tragicorum poetarum, quibus nonnumquam exprobrantur ῥήματα ἱπποβάμονα, ut Aeschylo apud Aristophanem Ran. v. 840. ed. Inv., a quo ibid. v. 861 — 864. inducitur Euripides poetam illum grandiloquum eo nomine insectans et his convicians verbis: ἐγῳδα τοῦτον, καὶ διέκειμαι πάλαι, Ἄνθρωπον ἀγριοποιόν, αὐθαδόστομον, Ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατές, ἀθύρωτον στόμα, Ἀπεριλάλητον, κομποφαγελοῤῥήμονα: quorum verborum sesquipedalium artem et sonum nostra lingua reddere connisus est Jo. H. Vossius sic: *Ich kenne diesen, und vorlängst durchschaut ich ihn, Den Ungeheurdarsteller, den Stolzmäuligen, Der ungezähmt hat, zügellos, thürlos, das Maul, Den unüberschwazbarn Prahlgebundaustönenden.*

Jam haec, quae disputavimus, si ad Titium Septimium transferamus, in promptu est videre, duplex ejus in scribendis tragoediis notari ab Horatio vitium, partim quod

in repraesentandis tragicis personis et describendis earum moribus affectibusque excedat modum, partim quod in conformanda oratione molestum vitiosumque tumorem atque inanem ridiculumque quaerat et sectetur verborum ornatum et sonum [16]). Utrumque igitur vitium, quo Senecae tragoedias infectas et ad nauseam usque contaminatas invenimus, jam Horatii aetate invaluisse videmus. Quae tragoedias scribendi ratio cum et artis tragicae legibus et acuto Graecorumque exemplorum lectione subacto Horatii judicio, quod, antequam scriberet hanc Epistolam, in Epistola ad Pisones jam exprompserat, repugnaret, nemo non, opinor, intelliget, tantum abesse ut Horatius Titium ejusque poeseos studium probet ac laudet, ut eum perurbane quidem, sed salse cavilletur atque irrideat. Et fortasse Horatius, ut facere consueverat, eum jam coram monuerat, sed ille sibi sapiens, amico quamvis prudenter monenti non obsecutus in studio sibi proposito pertinaciter perseverarat: hinc Horatius ex Julio Floro quaerit: an Titius adhuc desaeviat et ampulletur in arte tragica, idque *Musa auspice?* quae verba ironice addita esse, quilibet persentiscet. Caeterum etiam Titius Septimius et lyricae et tragicae poesi non nisi temporis fallendi ingeniique exercendi et ostentandi gratia operam navasse nec quidquam operum suorum publici fecisse juris iisque Romae inclaruisse videtur, alioquin aliqua saltem tum ipsius tum ejus carminum mentio inveniretur apud Grammaticos veteres; sed, praeter Horatium, nullus, quantum equidem sciam, antiquitatis scriptor Titium Septimium poetam commemoravit, nec sane est, quod doleamus, nulla ad nostram pervenisse memoriam carmina poetae, qui, ut Luciani d. conscr. Histor. c. 45. verbis utar, *κατενεχθεὶς ἐς τὸν τῆς ποιητικῆς κορύβαντα ὑποτυφίαν τινὰ καὶ ἐν λόγοις πάθος οὐ μικρὸν* unice aucuparetur.

16) Ab hac sententia lecique Horatiani interpretatione discessionem fecit Obbarius l. c. p. 461 — 463., cujus copiosa et acuta disputatio perdigna est quae conferatur.

DE

IARBITA TIMAGENIS AEMULATORE.

§. 1.

In interpretandis Q. Horatii Flacci carminibus plurimum interesse, ut personas, quibus illa vel inscripta sunt vel quae in eis nunc diserte nunc breviter et quasi in transitu memorantur, cognitas et necessitudinem, quae illos inter et poetam intercederet, perspectam habeamus, inter omnes constat. At vero haec res quot quantisque implicita sit difficultatibus et quam densa prematur caligine, neminem fugit, qui umquam eam interpretationis partem tentare easque tenebras dispellere animum induxerit. Quare vehementer dolendum est, quod eorum, qui *de Personis Horatianis* scripserunt, libros a Scholiastis passim memoratos [1]) nobis intercepit temporum iniquitas: quo factum est, ut, quae sit poetae mens quique hujus illiusve loci verus sensus atque acumen, aut prorsus nos lateat aut non nisi incerta ambiguaque conjectura queat constitui. Quod cum in universum de Horatii poematis valeat, tum praecipue in ejus Satiris atque Epistolis locum habet. Non de-

1) A Porphyrione ad Libr. I. Satir. 3. v. 21. et 91. itemque a Scholiasta Cruq. Libr. I. Sat. 3. v. 21. Conferatur etiam Heindorfius in Argum. Libr. II. Sat. 8. p. 173. Istius προσωπογραφίας auctor quis fuerit ex multis illis, qui in Horatium commentati sunt, ne probabili quidem conjectura divinari potest. Id autem notatu dignum videtur, illud opus nusquam, quod meminerim, ab Acrone, sed a Porphyrione demum allegatum inveniri, quem illo juniorem fuisse certum est: nam Porphyrio usus est Acronis Commentariis, ut ipse ait ad Libr. II. Satir. 1. v. 25. Cf. Funccius de inerti et decrepita L. L. senectute Cap. IV. §. 10. p. 307. Hinc facile quis colligat, illud de personis Horatianis opus ab ipso Helenio Acrone esse compositum.

fuit quidem tractando perdifficili huic argumento editorum industria, in eruendo nonnullorum sensu locorum felicissima; sed nonnumquam adeo temeraria et conjecturarum ludibriis indulgens, ut ingenii confidentiam doctrinaeque copiam mireris, at justam modestiam et circumspectionem in rerum obscurarum pervestigatione necessariam plane desideres. Proinde magnam gratiam apud eos, quibus Poeta Venusinus in deliciis est, iniit Philippus Buttmannus, qui in docta Commentatione illud argumentum subtili judicio tractare coepit [2]). Is cum alia multa praeclare disputavit, tum etiam hoc acute monuit, his in rebus aliquam auctoritatem esse debere Scholiastarum veterum testimonio. Quod quam verum sit, illustri et a nemine, quod sciam, animadverso exemplo probatum dare, apud animum constitui.

Enarranti aliquando in scholis mihi Horatii Libri I. Epistolam undevigesimam ille locus v. 15. et 16.

Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.

visus est ex Scholiastarum Commentariis, quantumvis laceratis, clariori luce collustrari posse. Horatius, in hujus Epistolae principio admirabili cum urbanitate pravum suorum aequalium veteres scriptores imitandi studium perstringens, Iarbitam quemdam ut inepti imitatoris exemplum proponit, qui, cum Timagenem in declamando aemularetur, fuerit diruptus. Jam infelicem funestumque illius casum Venusinus Poeta tantum abest ut aliquo misericordiae sensu contactus lugeat, ut eum veluti perridiculam rem omnibusque pernotam paucis modo verbis significet. Quo majorem hoc facit mirationem, eo magis videtur operae pretium esse, accuratius investigare, miser ille Iarbita cujas fuerit, et, quidquid illius facti fuit, quod ab Horatio hic respicitur, testimoniis Scholiastarum et aliorum

2) Illa Buttmanni Commentatio: *Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen im Horaz*, in Societate Acad. Litt. Berolin. a. 1808. recitata et edita est in libr. *Abhandlungen d. historisch - philolog. Klasse d. K. Pr. Ak. d. Wissensch. a. d. Jahr. 1804 — 1811.* (Berlin 1815.) p. 21 sqq.

scriptorum locis diligenter inter se collatis, conjecturae ope eruere.

§. 2.

Timagenes, qui hic memoratur, est haud dubie Alexandrinus ille rhetor, qui, teste Suida Vol. III. p. 468., sub Pompejo Magno a Gabinio captus Romam est traductus ibique a Fausto, Sullae Dictatoris filio, redemptus eloquentiam docuit. Veterum scriptorum de eo testimonia collegerunt G. Jo. Vossius de Histor. Graec. Libr. I. c. 24. p. 102. Vol. IV. Opp., Muretus in Var. Lect. Libr. XIII. c. 6. p. 303. Vol. II. Opp. et Valesius ad Ammian. Marcell. Libr. XV. c. 9. §. 2. p. 151 sq. Vol. II., ubi Wagnerus commemorat *Bonamy Recherches sur l'historien Timagenes:* in Memoir. des Inscriptions T. XIII. Fuit ille rhetor regii nummularii filius, et per multos variosque vitae casus atque impedimenta eluctatus doctrinae studiis atque urbanitate ingenii non tantum ad aliquam eruditionis et elegantiae famam pervenisse, sed in multorum etiam ac nobilissimorum virorum amicitiam se insinuasse videtur. Nam, si fides est M. Annaeo Senecae Controv. Libr. V. 34. p. 362. Bip., ex captivo coquus, ex coquo lecticarius, ex lecticario amicus Caesaris Octaviani factus est. Is enim, qui, ut constat, sua interesse censebat, magnis favere ingeniis, etiam hunc tenuis licet conditionis hominem suo dignatus est patrocinio et gratia, ita ut eum convictoribus suis adscriberet et familiaribus. Timagenes autem cum immoderata ac procaci lingua in ipsum Imperatorem, ejus uxorem familiamque inter convivia et deambulandum cachinni tantum excitandi caussa, ut Plutarchus de Adulat. et Am. Discr. Vol. VI. p. 250. R. tradit, uteretur, et ne monitus quidem temeraria abstineret urbanitate, illius gratia ita excidit, ut ipsi in perpetuum Augusti domo interdiceretur. Fuit homo acidae linguae et nimis liber, atque ob hanc παῤῥησίαν, auctore Suida, *Parrhesiastes* dictus, uti Demochares, Atheniensium ille ad Philippum Macedonem legatus [3]), quocum etiam eo nomine a L. Annaeo Seneca

3) Demochares ille Leuconoensis, orator et historicus, fuit Demo-

de Ira Libr. III. c. 23. §. 2. componitur. A Quintiliano Inst. Or. Libr. X. 1. §. 75. inter historicos laudatur, quod longo intervallo post Clitarchum intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit, et ab Ammiano Marcellino Libr. XV. c. 9. §. 2. commemoratur *Timagenes et diligentia Graecus et lingua.* Ejusdem auctoritate ac testimonio usus est Curtius Libr. IX. c. 5. §. 21., a quo Timagenis opus *de Regibus* respici, mihi certum est. Illud commemorat Stephanus Byzantinus s. v. *Μιλῆσιοι. ὡς Τιμαγένης πρώτῳ βασιλέων:* Vol. I. p. 299. ed. Lips. Nec dubium est, quin ejusdem operis caussa memoratus sit a Quintiliano: id quod Clitarchi mentio evincit [4]). Jam cum, ut uterque Seneca attestatur, ille in historiis, quas scripserat, etiam acta Caesaris Augusti complexus esset; est quod quaeramus, sitne idem *de Regibus* intelligendum opus, an aliud? Equidem ut prius illud verisimilius censeam, inducor verbis L. Annaei Senecae de Ira I. c. §. 3. „*Historias postea* (i. e. praeclusa Caesaris domo), *quas scripserat, recitavit et combussit, et libros acta Caesaris Augusti continentes in ignem posuit.*“ Inde colligo, libros de Augusti actis fuisse partem universi Historiarum operis, quod de Regibus composuerit. Id si verum est, consequitur, res Augusti ab illo Graece esse scriptas. Combussit autem historias Caesari Augusto iratus, cui, ut Seneca Rhetor ait, suo ingenio vellet interdicere, sicut ille domo ipsi interdixisset [5]). Offenderat vero Augustum, ut Plutarchus ait, *αἰτίαν φιλίας ὥσπερ σόφισμα λοιδορίας προσφερόμενος*, i. e. ut quereretur, et Augustum repre-

sthenis ex sorore nepos seu *ἀδελφιδοῦς*, ut auctor est Cicero de Orat. Libr. II. c. 23. De eo egerunt Corsini in Fastis Attic. T. II. p. 96. et Ruhnkenius ad Rutil. Lup. Libr. I. p. 7.

4) Idem Quintilianus ejusdem meminit Inst. Orat. Libr. I. 10. §. 10. „*Et Timagenes auctor est, omnium in litteris studiorum antiquissimam Musicen esse.*“ Haec quo in libro tradita fuerint, ignoratur. Ammianus Marcellinus l. c. in Galliarum descriptione, „*haec*,“ inquit, „*quae diu sunt ignorata, collegit* (Timagenes) *ex multiplicibus libris*“: ubi Lindenbrogius ejus *περίπλουν πάσης θαλάσσης ἐν βιβλίοις ιζ'* intelligit; sed rectius excerpta ex Callisthenis Sybaritae libris *Γαλατικῶν* huc retulit Fabricius in Biblioth. Gr. Vol. III. p. 53. Harl.

5) Timagenem Romae gratiosum etiam fuisse M. Antonio Triumviro, patet ex Plutarchi Vit. Antonii c. 73.

henderet quasi non satis magni ab eo habitus, sed neglectus, eumque hanc ob rem ridiculis dictis et salibus lacesseret, ut h. l. explicavit Wyttenbachius in Animadvers. Vol I. p. 411. ed. Lips. 1820.

Postquam Timageni domus Augusti praeclusa erat, ab Asinio Pollione est exceptus in ejusque contubernio consenuit, toti carus acceptusque civitati. Non mirum, fuisse Pollionem, qui, ut Senecae verbis utar, praeberet tam alte cadenti sinum. Utrumque enim virum junxit junctumque in amicitia ad vitae usque finem tenuit morum quaedam studiorumque similitudo. Quemadmodum Pollioni aspera animi vehementia et ferocia quaedam tribuitur, urbanitatis tamen condimento et festivi sermonis lenociniis temperata [6]); sic Timagenes incontinentem suae linguae maledicentiam nigrosque sales, quibus Augustum veluti perfricaret, admirabili facundia, leporum facetiarumque plenissima emollivisse et elegantis sollertisque ingenii laude et gratia apud omnes Romae floruisse videtur. Hinc praeclusa Caesaris domus nullum illi limen abstulit; nemo amicitiam ejus extimuit, ut Seneca Philosophus ait, atque ipse Augustus ne eo quidem motus est, quod ille, combustis historiarum libris, ipsius laudibus rebusque gestis manus attulerat. Numquam cum hospite inimici sui questus est: hoc dumtaxat Pollioni Asinio dixit, θηριοτροφεῖς. Paranti deinde excusationem obstitit, „*et fruere*“, inquit, „*mi Pollio, fruere!*“ Et cum Pollio diceret: Si jubes, Caesar, statim illi domo mea interdicam, „*hoc me*“, inquit; „*putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim?*“ Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus, nec ullam aliam habuerat caussam desinendi, quam quod Caesar coeperat. Neque haec postrema per obtrectationem a Seneca Philosopho dicta esse puto de Asinio Pollione, cujus voluntatem numquam non ab Augusto alienatam fuisse constat. Quapropter mihi non veri dissimile videtur, Pollionem desiisse

6) Conferatur Thorbeckii Commentatio de C. Asinii Pollionis Vit. et Studiis p. 47 sqq. Ita etiam ejus filius, Asinius Gallus, παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρώμενος dicitur a Dione Cassio Libr. LVII. c. 2. ibiq. Intpp. Vol. VI. p. 241. Strr.

Timagenis consuetudine uti, ex quo hunc amare coeperit Augustus, eumdemque illum ab Imperatore rejectum hospitio iterum excepisse. Accedebat, quod Timagenes virtutibus insignis erat, quibus se Pollioni magnopere commendaret. Ab Horatio significatur fuisse *urbanus* et *disertus*. Atque quod M. Seneca Rhetor tradit, illum fuisse disertum hominem et dicacem, a quo multa improbe, sed venuste dicta fuerint; ejus rei documentum affert L. Seneca Philosophus Epist. XCI. §. 13. „*Timagenes felicitati urbis inimicus ajebat, Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent*“ [7]). Non igitur mirabimur, hominem talem, qualem fuisse novimus Timagenem, Asinio Pollioni gratiosum et jucundum mansisse convictorem et amicum. Is enim in agro Tusculano et, ut videtur, in ipsa Pollionis villa, diem supremum obiit, post coenam vomere volens, sed cibo exitum stomachi non inveniente suffocatus, ut auctor est Suidas s. v. *Τιμαγένης* et *σφηνωθείς* Vol. III. p. 417.

Jam cum compertum habeamus, Pollionem et declamationum et recitationum intra privatos instituendarum parietes auctorem praecipuum et fautorem fuisse [8]); vix potest dubitari quin Timagenes in utroque studii genere hospiti suo operam praestiterit atque ipse nunc declamaverit, nunc scriptum a se opus recitaverit. In utroque autem genere videtur ille tantam artem tantamque exprompsisse facundiam, ut summam adeptus laudem Romae omnium ore celebraretur. Hanc Timagenis virtutem et laudem cum aliquando Iarbita iste, aemulationis studio incensus, aequare conniteretur, accidit id, quod Horatius ad perstringendam aequalium perversitatem obiter tangit et irridet. Tametsi istum hominem aut in declamatione aut in scriptio-

---

7) Ruhkopfius ad h. l. Vol. III. p. 167. injuria dubitat, fueritne ille Timagenes a Quintiliano commemoratus idem, qui a Seneca hic proferatur. Scrupulum ei injecit G. Jo. Vossius de Histor. Gr. Libr. I. c. 24. levibus de caussis statuens, Timagenem Historicum diversum esse a Timagene Rhetore; sed vide Thorbeckii Commentationem I. p. 100 sqq.

8) Testimonia scriptorum veterum de Asinio Pollione et declamatore et recitatore collegit et de ipsa re diligenter exposuit Thorbeckius Comment. I. p. 88 — 107.

nis alicujus recitatione periisse statuamus licebit; tamen ut hic de recitatione cogitem, non tam Scholiastarum testimonia me movent, quam ipsius Epistolae Horatianae consilium et ratio. Iste enim mos sua recitandi scripta Horatii aetate ita usurpari coeptus est, ut plerumque post convivia, quum corpus refectum erat, recitandis carminibus, orationibus aliisque id genus scriptis etiam animo pabulum praeberetur: id quod intendit hujus Epistolae Horatianae ingressio facetissima, qua non dubium est quin Poeta Venusinus doctas istas nobilium Romanorum tamquam compotationes solita urbanitate, qua ridendo verum dicit, voluerit perstringere, praesertim si ejusdem Epistolae versus 33 — 41. comparaveris. Utrum Iarbita in eodem, quo Timagenem magna cum arte omniumque applausu recitantem audiret, hominum conventu eum aemulatus animam exspiraverit, an in alio circulo et auditorum consessu, ex Horatii verbis non liquet. Mihi posterius videtur magis probabile: poterat enim famigerata illa Timagenis ars et facundia ridiculum istum hominem incitare, ut, quacumque alia recitandi occasione usus, ad illius gloriam adspiraret et nimio laterum nisu diruptus subito exspiraret.

§. 3.

Sed de hoc Iarbita, quem Timagenis aemula lingua rupit, aliunde nobis non cognito, primum audiamus, quae veteres Horatii Commentatores tradunt: Acron haec adnotavit: „*Hyarbita Maurus fuit regione, qui, dum Timagenem philosophum post convivium et inter pocula declamantem vellet imitari et non posset, invidia quodammodo discerptus est*“: ubi *disruptus* pro *discerptus* legendum esse, consentaneum est. Porphyrion copiosior est: „*exemplum stulti imitatoris interposuit. Nam hic Hyarbita Maurus fuit, qui, dum Timagenem imitatur post convivium et intra* (leg. *inter*) *pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur, paene disruptus est. Timagenes enim multos conabatur adhibere et coenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur, in admirationem sui provocasse Hyar-*

bitam dicitur, qui se et stomachum abrupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare.“ Hoc scholion conflatum esse e duobus, manifestum est, et fortasse lectio var. *aemula coena* pro *lingua* in Mstis Torrentii, quae Sanadonum Tom. VI. p. 298. patronum est nacta, ab eodem profecta est, qui posteriorem illius adnotationis partem scripsit. Scholiastes Cruquianus cum Acrone ad verbum consentit, nisi quod *ruptus est* pro *discerptus est* habet, atque ipsum nomen *Iarbita* scripsit, quod mire in Codd. Mstis depravatum primus restituit G. Fabricius ut ab Iarba, Mauritaniae rege, derivatum, quis ille Maurus erat. Eamdem scripturam Car. Fea suorum Codicum assensu confirmavit [9]).

Omnes igitur in eo consentiunt, istum hominem natione fuisse Maurum; illud autem in dubio relinquunt, utrum hicce Maurus *Iarbitae* nomen ut proprium gesserit, an ei ab Horatio aliisve per ludibrium fuerit impositum? Tametsi prius majorem videtur habere veri speciem; posterius tamen ut praeferam, haud vanis adducor argumentis. Nihil dicam de ironia, quae per totam hanc Epistolam fusa est, neque de ipso facto, quod Romae risum potius, quam misericordiam movisse probabilius est, quodque Horatium facile inducere potuit, ut ei nomen vel ipse affingeret novum, vel ab aliis ei tributum et vulgo notum, in hac Epistola usurparet; jam ipsius nominis insolentia, in ejus forma pariter ac notione conspicua, meam suspicionem adjuvat. G. Fabricius, ut monuimus, ab Iarba, Mauritaniae rege, quem Didonis amatorem et Aeneae aemulum fuisse ex Virgilii Aen. Libr. IV. v. 36. et 196., Ovidii Fastor. Libr. III. v. 552. et Silii Italici Punic. Libr. I. v. 417. constat, illud deducendum haud inepte putat. Quodsi vero idem Vir Doctus hunc Maurum ita dictum esse opinatur, quod, ut ille rex Aeneam, ita hic Timagenem sit aemulatus; vereor, ne haec opinatio admodum levi, quod a diverso aemulationis studio petitur, argumento nitatur. Si

9) Vulg. *Hyarbitam* habent Codd. et Editt., ut *Hyarbas* pro *Iarbas* ap. Virgil. Aen. IV. 36, et 196. et Sil. Ital. Pun. Libr. I. 417.

tamen in re tam incerta et obscura conjectare malumus, quam ignorantiam fateri nostram, est quod suspicemur, Maurum istum, quem hominem vanissimum fuisse patet, suum genus de mythico isto rege deduxisse, ideoque cum ridiculo *Iarbitae* nomine fuisse insignitum. At, omissis his ariolandi periculis, id certum est atque evidens, illud nomen esse ficticium; id quod perspicua veterum Commentatorum testimonia omni dubitatione eximunt. Nam Cruquius in Auctar. Commentat. Vet. p. 694. haec enotavit: „*Exemplum stulti imitatoris interposuit. Nam hic Iarbita Maurus regione fuit. Cordus, qui dum Timagenem imitatur, post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod cubabatur, paene disruptus est.*“ Hoc scholion convenit totum cum verbis Porphyrionis, cujus adnotationem Car. Fea in Cod. Ch. scriptam invenit: *Hic barbita maurus fuit, cordus quidam timaginem imitatus.* Nemo, opinor, adeo iniquus erit in veteres Horatii Interpretes, quin huic eorum testimonio, haud dubie ex libro de Personis Horatianis desumpto, aliquid tribuendum fateatur, quo verum *Iarbitae* istius nomen, quod *Cordus* fuit, nobis servatum est.

Hic igitur *Cordus* ex Mauritania oriundus fuit, eique *Iarbitae* nomen per ludibrium modo videtur impositum fuisse utpote uni ex posteris Iarbae, regis antiquissimi illius et a poetis Romanis celebrati. Quamquam neque Horatius, nec Scholiastae dicunt, rhetorne ille fuerit an poeta; tamen hoc res ipsa satis declarat, fuisse eum hominem, qui ab ingenio doctrinaque aliquam haberet commendationem. Scholiastas si sequimur, Iarbita iste eidem, cui Timagenes intererat, coenae adhibitus, inter pocula cum hoc facundissimo rhetore in declamandi certamen descendit. Sed lingua aemula Timagenis rupit eum, dum studet urbanus tenditque disertus haberi. Doeringius haec verba sic copulavit, ut: *Timagenis lingua* sit facundia et ars hujus rhetoris, quae, cum aemulationem Iarbitae excitaret, *aemula* dicta sit. Haec igitur Timagenis facundia aemulationem excitans *rupit Iarbitam* i. e. effecit, ut Iarbitae ilia rumperentur. At haec verborum illorum inter-

pretatio cum alias ob caussas, tum propter loquendi usum admitti nequit: nusquam enim, quod sciam, a Romanis *aemulus* dicitur is, qui aliis aemulationem injicit. Accedit, quod hac ratione toti loco non parum veritatis pariter ac venustatis perit: *lingua* enim *aemula Timagenis* vere ac pulchre depingitur studium, quo Iarbita incensus Timagenis praestantiam et laudem in declamandi recitandive arte, imparibus viribus, stolide affectabat. Hinc *lingua illa aemula* i. e. aemulandi in recitando studium Iarbitam *rupit:* in qua voce explicanda item inter Horatii editores non convenit. Antiquiores ut silentio praetermittam, qui de invidia magna, qua quis rumpi dicitur, cogitarunt, Wielandus illud de hernia intellectum voluit; Haberfeldus de venarum diruptione: quod utique praestat et in rem suam ille laudare potuisset Plauti Mercat. Act. I. Sc. 2. v. 27. *Tua causa rupi ramices: jam sputo sanguinem* [10]). Hoc aliudve periculum ut vitarent recitantes, fauces munire solebant focalibus e fasciis laneis, ut docet Martialis, qui poetam male recitantem illudit Libr. IV. Epigr. 41.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

et Libr. XIV. Epigr. 142.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

quo loco male usus est Heindorfius ad Horatii Libr. II. Satir. 3. v. 255. p. 324. Numquam veteres focalibus ad tegendas muniendasque aures usi sunt, ut Heindorfius, acumen Martialis non assecutus, existimat. Iarbita autem si ramices tantum rupisset declamando, ut sanguinem sputaret, seu herniosus ex hoc certamine abiisset, valde dubito, num hic infelix casus tantam, quantam videtur, Romae excitasset attentionem nescio dicam an risum, ut Horatius eo ad alios ab insano aemulationis studio deterrendos, cum ipsius miseri hominis irrisione, uti posset. Quapropter equidem de subita Cordi morte cogitari malim, quae dia-

10) Hunc Plauti locum cum aliis profert Nonius Marcell. s. v. *ramices* dicantur pulmones vel hernia p. 166, 5.

phragmatis diruptionem, ingenti vocis lateramque intentione effectam, statim sequeretur necesse erat. In hac sententia me sollemnis v. *rumpere* usus confirmat. Cum, ut hoc utar, Cicero ad Marium Libr. VII. Epist. ad Div. 1. §. 14. scribit: „*His ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi me paene in judicio Galli Caninii, familiaris tui*“: nihil aliud vult dicere, quam se illius caussam cum suae ipsius vitae periculo egisse. Pari modo Plautus in Prolog. Captiv. v. 14. „*Egó me tua caussa, ne erres, non rupturus sum.*“ Et bene contra Gesnerum de hac voce disputavit Heynius ad Virgilii Ecl. VIII. v. 71.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis;

quem locum de dirupta totius corporis compage accipiendum esse, docet Ovidius Amor. Libr. II. El. 1. v. 25. „*Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.*“ Deinde, quod nemo interpretum, si recte memini, animadvertit, Horatio haec scribenti obversabatur fabula de Rana et Bove, pueris vel ex Phaedri Fabulis Libr. I. 24. nota, quam ipse Satir. Libr. II. 3. v. 312 sq. suo more tractavit, ubi v. 318.

Cum magis atque
Se magis inflaret; Non, si te ruperis, inquit,
Par eris.

Quam fabulam item de prava et insana Torquati et Otacilii aemulatione loquens usurpavit Martialis Libr. X. Epigr. 79. v. 9.

Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic, puto, Torquatus rumpet Octailium

i. e. Torquatus dives efficiet, ut Otacilius pauper insana sua aemulatione dispereat. Sic Gordum, istum Iarbitam, *lingua aemula Timagenis* i. e. inepta ambitio et insanum Timagenem ejusque in declamando recitandove praestantiam imitandi aequandique studium et laterum contentio *rupit* i. e. effecit, ut, ruptis ilibus, miserandum in modum periret. Voluit autem stolidus iste homo aeque ac Timagenes haberi disertus et *urbanus:* quod vocabulum sunt qui de dicacitate et jaciendorum facete dictorum facultate

intelligant. Etsi Timagenem concedimus hoc urbanitatis genere insignem fuisse, tamen, cum Iarbita peregrinus fuerit, malim *urbanum* accipi de eo, in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet, ut utar verbis Quintiliani Inst. Or. Libr. XI. 3. §. 30. Cf. Spaldingius in Wolfii et Buttmanni Museo Antiq. Stud. Vol. I. Fasc. 1. p. 24 sqq. Ita etiam h. l. interpretatus est Doeringius, praeeunte Jo. H. Vossio, qui pulchre convertit:

Barst doch Iarbas Sohn, mit Timagenes Kehle sich messend,
Da er dem städtischen Ton nachrang und dem feurigen Vortrag.

§. 4.

In hac loci Horatiani interpretatione acquiescere licet; at quoties eum attente perlegi, toties non potui quin in hoc *Cordo* Horatiano agnoscerem *Codrum* istum, a Virgilio in Eclogis memoratum, illudque nomen in Scholiastarum in Horatium Commentariis depravatum esse suspicarer. Hanc conjecturam agedum, quantum fieri possit, aliquot argumentis stabiliamus.

Commemoratur ille *Codrus* a poeta Mantuano Ecloga V. v. 10., ubi Menalcas Mopsum ad canendum sic invitat:

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Et Ecloga VII., in qua Corydon amoebaeum exorsus carmen, v. 21.

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu;

respondet Thyrsis totidem versibus v. 25.

Pastores, hedera crescentem ornate poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Me neutiquam praeterit quantum Virgilii Interpretes in eruendis, quae sub pastorum nominibus lateant, personis nonnumquam ineptierint; sed ut concedam, in nonnullis eos a vero aberrasse, tamen omnia pastorum nomina ficta esse, jure mihi videor negare. Ita cum Jo. H. Vossio in Argum. Eclog. V. p. 233. certum esse puto, Menalcam pastorem esse neminem alium, quam ipsum Maronem. Atque is Menalcas vult, ut Mopsus canat *jurgia Codri:* quo consequitur, ista jurgia a. U. C. 712., quo anno haec Ecloga scripta est, fuisse divulgata. At quis tandem est iste *Codrus?* Non dignum erat, quod a Scaligero ad Hieronymi Chron. Eusebian. p. 338. confutaretur, vanissimum istud Scholiastae nescio cujus commentum ad Eclog. V. v. 10. existimantis, Virgilium de Codro, Atheniensium rege ejusque jurgio in Laconum castris excitato ipsique fatali cogitasse. Haec a Servio non esse profecta, patet ex eis, quae leguntur ad Eclog. VII. v. 22. „*Codrus, poeta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert*“ [11]). Nam nemini, opinor, dubium esse potest, quin, qui in Ecloga VII. memoratur Codrus et ut contentiosus et invidus describitur pastor, canendi arte pollens, idem sit, cujus jurgia Ecloga V. Virgilius tangat. Quapropter magnopere dolendum est, a Servio non additum esse Valgii ex Elegis locum, in quo hicce Codrus esset memoratus. Nihilo tamen secius illud, qualecumque de Codro testimonium hac in caussa magni est faciundum, quoniam inde evidens fit ac certum, Codri Virgiliani nomen non esse ficticium pastoris, uti Jo. H. Vossius ad Eclog. V. v. 11. p. 239. contendit, sed verum ac proprium poetae cujusdam, qui Virgilii Horatiique tempore vixerit. Jam vero quis est qui infitias eat, mirificam quamdam similitudinem esse inter Iarbitam istum Horatianum, qui, cum urbanus disertusque haberi vellet, ruptus est aemulatione, et inter Codrum, pastorem Virgilianum, cujus jurgia Menalcas i. e. ipse Virgilius tamquam omnibus nota tecte carpat? quemque Corydon adeo canendi facultate praestare ironice dicit, ut

11) Vide Commentat. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 8. XIII.

se ei parem esse cupiat? Et quis dubitet, ista Codri jurgia interpretari de Iarbitae Mauri ambitione nimia et stolida ipsique fatali Timagenis aemulatione, praesertim cum Thyrsis Corydoni Codrum laudanti respondeat, se ita esse cantaturum, ut Codro prae invidia ilia rumpantur? Putabimusne fortuito accidisse, ut duo homines, ingenii facultatibus doctrinaeque studiis pares, apud diversos poetas aemulatione et invidia rupti esse dicantur? Sicut enim apud Horatium lingua aemula Timagenis rupit Iarbitam i. e. Cordum Maurum; ita apud Virgilium Codri ilia rumpuntur invidia: invidet autem, ut Cicero de Orat. Libr. II. c. 52. ait, qui se ab aliis maxime paribus relictum sentit doletque illos evolasse, ita ut jam eorum virtutem aemuletur. Inde in confesso erit, *Cordum aemulum* et *Codrum invidum* esse unum eumdemque hominem, quem modo Poeta Mantuanus et Venusinus pro suo quisque carmine ejusque consilio diversa quadam ratione proposuerit. Uterque de ejus diruptione tamquam de re facta et ore hominum satis celebrata loquitur: apud Virgilium enim illa: *rumpantur ut ilia Codro*, vim habent proverbialem. Nec mirum: haec enim a. U. C. 716. scripta sunt, ergo quadriennio post Eclogam quintam, in qua famigerata Codri jurgia commemorantur. Neque cuiquam, qui Virgilium novit, improbabile videbitur, pastori cuidam inditum esse nomen poetae alicujus, et pastorem canendi peritum, sed contentiosum ac invidum, adsimilatum esse ejusmodi poetae, qui artis poeticae studium et laudem affectans cum praestantissimis quibusque aequalibus de palma certaverit et recitandis suis operibus ita fuerit intentus, ut quondam in recitatione ilia rumperet et misero quidem, at perridiculo modo animam efflaret. Illa enim consuetudo, aequales ὡς ἐν παρόδῳ in Eclogis tangendi vellicandique, quantumvis a bucolicae poeseos indole sit aliena, Maronis adeo propria est, ut in ea praecipuum meae opinationis deprehendam firmamentum. Nihil veritus est Virgilius Bavium et Maevium poetas, utrumque Eclog. III. v. 90. haud multo lenius, quam alterum Horatius Epodo X., perstringere, itemque Anserem poetam haud inscio animo Ecloga IX.

v. 36. lacessere [12]): quidni ausus fuerit, Codri stolida sua ambitione demortui mentionem cum irrisione facere? Aut egregie fallor, aut Poeta Mantuanus hoc cum aliqua virtute et acumine, nec sine popularium suorum applausu fecit.

Jam haec, quam exposui, personae reique apud Virgilium et Horatium similitudo me permovet ac veluti cogit, ut istius hominis nomen aut apud Horatii Scholiastas aut apud Virgilium ejusque Commentatores mendosum esse dicam. Neque hoc mendo quidquam et facilius esse et in Codd. Mstis frequentius, post Burmannum docuit Oudendorpius ad Lucani Phars. Libr. VIII. v. 15. et ad Suetonii Octav. c. 35., ut alios infra commemorandos hic omittam. Non dubito fore plerosque, qui in Horatianis Commentariis *Codri* nomen reponendum censeant, et me quoque in eadem olim fuisse sententia, lubens confiteor; sed serius mihi scrupulus injectus est haud mediocris, quem hic dissimulare nolo. Mirum enim me habet *Codrus* sive Maurus sive Romanus, si quidem apud utrumque populum id nominis incognitum erat et ne inter servos quidem libertosque Romanorum, ut Inscriptiones docent, obvium. Contra *Cordi* nomen frequentissimum fuit apud Romanos, utpote quod adhaeserit Caesiis, Cremutiis, Juliis, Juniis et Valeriis, ut docuit Glandorpius in Onomast. p. 930., quibus gentem Aureliam, Graniam et Maniliam ex Inscriptt. ap. Gruter p. CDXVII. 3., CDXXXIV. 6. et MCVI. 9. addas [13]). Prae caeteris vero illud nobilitavit Cremutius Cordus, clarissimus ille historicus, de quo G. Jo. Vossius de Histor. Lat. Libr. I. c. 22. p. 36. T. IV. Opp. exposuit. Itaque si forte Maurus iste, qui ab Horatio per irrisionem *Iarbita* dictus est, Romam advectus ingenio aliove merito vel libertatem vel civitatem adeptus fuerat, poterat fieri, ut *Cordi* alicujus vel domini vel patroni sui nomen assume-

12) De *Bavio* et *Maevio* exposui in Commentat. *d. Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 6 sq. et de *Ansere* poeta in Comment. *d. C. Helvio Cinna Poeta* Cap. 1. §. 4.

13) Ab Ursino ad Ciceron. Brut. c. 26. prolatus est numus aereus cum inscriptione: C. Rusticelius Cordus II vir: vide Schütii Notas in h. l. Vol. III. P. 2. p. 68. Ciceron. Opp. Rhet. 1808.

ret, eoque Romae innotesceret. Id si verum est, necesse erit, apud Virgilium quoque pro *Codro* reponatur *Cordus*. At cum omnes Virgilii Codices, quod sciam, in *Codri* nomine conspirent, nihil profecto magis esset temerarium, quam tot Libris Mstis, incertae conjecturae gratia, manum emendatricem adhibere; at minus temerarium est, in corruptis Horatii Scholiis *Codrum* pro *Cordo* reponere.

Haec igitur omnia mecum reputanti et, rationibus accurate subductis, examinanti mihi suborta est suspicio, quae a Virgilio pariter atque ab Horatio utique unum eumdemque hominem notari arbitror, natione Maurum, artis poeticae studiosum, ambitiosum et praestantiorum poetarum laudi obtrectantem, cui ob caussam nescio quam a Virgilio *Codri* et ab Horatio *Iarbitae* nomen per ludibrium et contumeliam fuerit impositam. Quis fuerit malae iste notae poeta, frustra laboret, qui expiscari studeat. N. Heinsius ad Eclog. VII. v. 22. enotavit glossam quamdam Regii Codicis: „*Theocrito vel Cornificio subsannando.*“ Glossatori haec scribenti haud dubie obversabantur, quae prodidit Donatus in Vit. Virgilii c. XVIII. §. 76. Cum enim quidam Virgilii amicus *Cornificii* in eum maledicta et inimicitias ei enarraret: „*Quam putas*, inquit, *esse hujus malevolentiae caussam? Nam neque unquam Cornificium offendi, et eum amo. An*, inquit, *Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, et poetam poetae? De malis*, inquit, *Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Majori enim cura virtuti intendam; atque quo elegantior ego fiam, eo vehementiore invidia rumpetur.*“ Utcumque de hac Donati narratione judicatur, id tamen nemo infitiabitur, descriptos hic Cornificii mores mirifice convenire in Horatii Iarbitam et Virgilii Codrum. Quid? quod Virgilius, genuina ejus verba si a Donato hic prolata sunt, non modo eamdem sententiam, sed adeo eadem verba Thyrsidi de Codro canenti tribuit Ecloga VII. v. 25., quibus ipse usus est de Cornificio, invido obtrectatore.

Quamvis igitur Glossatoris istius conjectura magnam

inde habeat verisimilitudinis commendationem, tamen quo minus assentiar, me cohibent ea, quae de hoc Cornificio poeta disserui in Commentatione *de C. Helvio Cinna Poeta* Cap. I. §. 4. N. 11.

§. 5.

Quae hactenus a nobis disputata sunt, iis probare voluimus, primum Horatii Iarbitam, istum Timagenis aemulatorem, esse neminem alium quam Virgilii Codrum; deinde hunc Codrum fuisse natione Maurum, et illius aetatis poetam indoctum quidem, sed ambitiosum et invidum bonorum poetarum aemulatorem et obtrectatorem; denique eumdem ab utroque illo poeta ob stolidam Timagenis rhetoris aemulationem et subitum miserumque obitum, nimia declamandi recitandive contentione effectum, acerbe derisum fuisse. Haec quidem maximam partem ex conjecturis deducta esse nemo me melius intelligit, neque tamen in his subsistendum, sed ulterius progrediendum puto. Nam idoneis veterum scriptorum testimoniis inductus non dubito contendere, illius Codri nomen ficticium quidem, et Romanis antea inauditum, inde a Virgilii aetate eam vim et significationem obtinuisse, ut a serioribus scriptoribus pro quovis poeta recitandi studioso, ambitioso et clamoso, poneretur. Quamquam vereor, ut Viris Doctis meam probaturus sim opinionem, qua hunc eumdem Horatii Virgiliique Codrum h. e. poetam illi Mauro similem apud Juvenalem Sat. I. v. 2.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

deprehendere mihi videor; tamen, quibus illa innitatur argumentis, ea verecundia, qua nos in pervestigandis ac dilucidandis obscurae antiquitatis rebus uti decet, breviter explicabo.

Juvenalis Editores dici non potest quantopere sudarint, ut, quis ille Theseidos auctor fuerit, indagarent. Primum vero hoc monendum est, in aliquot Juvenalis Codd. Mstis *Cordi* inventum esse pro *Codri*, quod etiam, cum, praeter multos eosque optimae notae Codices, Servius ad Virgil. Aeneid. I. v. 1. confirmet, merito editum est. At

vetus Scholiastes ad h. l. haec adnotavit: „*Cordus hic poeta fuit vitiosus, qui tragoediam Thesei scripsit, de quo Virgilius dixit:* sedet aeternumque sedebit infelix Theseus (Aen. VI. 617.)." C. Barthius in Advers. Libr. I. c. 21. nomen *Cordi* probat, sed Heuninius etiam apud Scholiastam refinxit *Codrus* [14]). Quo facto A. Delrius in Syntagm. Trag. Lat. Proleg. Vol. I. p. 28 sq. *Codrum* tragicis Romanorum poetis accenset et ab eo Tragoediam *Theseus* vel potius *Theseidem* scriptam esse dicit. Caeterum eumdem et hic intelligi Codrum putat, qui a Valgio memoratus fuerit, teste Servio ad Virgil. Eclog. VII. 22. Alii hunc Codrum fuisse poetam Graecum collegerunt ex Juvenal. Satir. III. v. 203.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron;
Jamque vetus Graecos servabat cista libellos
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.

Hic quoque nonnulli Codices dant *Cordo* et *Cordus;* sed vulg. *Codro* v. 203. tuetur Priscianus Libr. VI. 5. §. 27. Vol. I. p. 237. Kr. Alii contra suspicati sunt, nobilem quemdam Latii vatem designari, hanc ipsam ob caussam, quod fuerit nobilissimus, a Juvenale *Codri* insignitum nomine: quam opinationem merito jam Lubinus ad h. l. p. 16. (Hannov. 1603. 4.) improbat, monens, ex Satira tertia patere, Codrum obscuri nominis fuisse Romae poetam itemque pauperem, de quo etiam intelligendus sit locus Martialis Libr. III. Epigr. 15.

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe,
Quum sit tam pauper; quomodo? caecus amat [15]).

14) Vide Cramer. ad Comment. vet. Juvenal. p. 20. et Hadr. Valesius in Not. ad h. l. Vol. II. p. 125. ed. Achaintr.

15) Hoc Epigramma eo, quo fecimus, modo distinguendum esse, apertum est. Poeta ludit in ambiguitate v. *credere*. Non est pauperis,

Frequens omnino est *Codri* cujusdam mentio apud Martialem, ut Libr. II. Epigr. 57.

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha penulatorum;
Quem grex togatus sequitur et capillatus,
Recensque sella linteisque lorisque:
Oppigneravit Claudii modo ad mensam
Vix octo nummis amulum, unde coenavit.

Hoc Epigrammate cum Codrum offendisset Martialis, scripsit Libr. V. Epigr. 26.

Quod Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua quum jocarer in charta;
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit Beta me togatorum [16]).

in quibus poematiis illius Codri sordida notatur paupertas, ut Bassum quemdam carpens scripsit Libr. V. Epigr. 23.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Jura theatralis dum siluere loci.
Quae postquam placidi censoris cura renasci
Jussit, et Oceanum certior audit eques,
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, et te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullae sunt, Basse, lacernae;
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum [17]).

---

pecuniam mutuo dare; nemo tamen tota in urbe plus quam Codrus credit, quippe deformem, quam amat, puellam existimat esse formosam: sed caecus amat, ut *Asper* Libr. VIII. Epigr. 49. *Formosam plane sed caecus diligit Asper; Plus ergo, ut res est, quam videt Asper, amat.*

16) Utrumque Epigramma docet, Codrum fuisse hominem pauperem, sed ambitiosum, cujus generis homines πτωχαλάζονας vocant Graeci. Ejus mores non dissimiles sunt Virgilii Codro et Horatii Jarbitae, ambitioso Timagenis aemulatori. Juvenalis Codrum accommodate contulerant Editores cum hoc Alpha penulatorum, qui conductis vestibus divitem simulabat, ut Matho ille causidicus ap. Juvenal. Sat. I. v. 32. ibiq. Weberus p. 135 sq.

17) Martialis notat fastum et jactantiam Bassi equitem simulantis: cf. Libr. VIII. Epigr. 10., et v. 3. respicit legem Rosciam a Domitiano revocatam et emendatam, ut docet Libr. V. Epigr. 8. Cf. Stockmanni Prolusio de lege Julia theatrali. (Lips. 1800.) p. X. sq. — Vers. 3. vett. edtt. habent *Cordus;* sed Pulmanni codex *Codrus*, quod recte praetulerunt Editores et Arntzenius ad Aurel. Victor. d. Vir. Illustr. c. XII.

Haec si comparaveris cum eis, quae apud Juvenalem Satir. III. v. 203 — 8. leguntur de poeta cognomini eoque paupere admodum et curtae supellectilis, nihil, credo, dubitabis quin amplectenda sit Lubini sententia et apud utrumque poetam unus idemque Codrus intelligendus. Is etsi a Martiale non nisi ob paupertatis sordes notatur, et de poeticis ejus studiis nihil additur, tamen id neutiquam obstat, quo minus hic agnoscamus Juvenalis Codrum et pauperem et malum poetam. Nam, quo pacto Rupertius T. II. p. 7. ed. 2. ex hoc loco colligere potuerit, Codrum videri haud malum fuisse poetam, equidem, ut aperte dicam, non exputo, et si *divina carmina* v. 207. in ejus laudem memorata putavit, manifesta totius loci ironia eum prorsus latuit. Cum contemptu enim Juvenalis dicit divina illa carmina ab opicis arrodi muribus, utquae nemo legat, eademque appellat *Graecos libellos*, quos *cista servet* v. 206., quoniam Codrus iste Graeca potissimum argumenta versibus tractanda sumpserat. Ex his carminibus quin fuerit *Theseis* ista, vix cuiquam dubium esse potest. Illa autem non tam Tragoedia fuisse videtur, quam carmen epicum, longum poema de Theseo multis diebus recitatum, cum instar esset Aeneidos Virgilianae, ut recte accepit Turnebus Adversar. Libr. XX. c. 8.

Jam ut verum sit, Juvenalis et Martialis Codrum unum eumdemque esse hominem, tamen nemo fortasse sibi persuaderi patietur, hunc *raucum Codrum*, Theseidos scriptorem, esse nomen fictum, poetae cuidam, Juvenalis aequali, impositum, qui intempestivo declamandi et sua carmina recitandi studio Iarbitae Horatiano fuerit haud dispar. Quid autem est probabilius, quam Codri, ambitiosa Timagenis, praeclari in declamando artificis, aemulatione dirupti memoriam, ab aequalibus celebratam poetis, ut ab Horatio, Virgilio et Valgio, ad posteritatem ita esse transmissam, ut, si quis poeta designandus esset recitandi

p. 98., ubi memoratus *Mutius Cordus*, postea *Scaevola* dictus, allis videbatur scribendus esse *Mutius Codrus*, quoniam ille se aeque ac rex Atheniensium pro patria devovit: id quod imperite et audacter factum esse censet Schottus.

studiosior, is *Codri* nomine velut communi insigniretur? Ita mihi videtur hoc in loco Juvenalis poetam aequalem, quem recto nomine dicere verecundaretur, imposito *Codri*, famosi istius recitatoris nomine, voluisse perstringere. Hanc vero sententiam cum in universum firmat Juvenalis mos, quo hominibus, quos vel ob morum pravitatem vitaeque turpitudinem vel propter perversa litterarum studia sugillare vult, nunc alia nomina indidit, nunc a vitiis aliisve rebus, quibus essent notabiles, designat, quo tutius eos suis in Satiris secaret, tum imprimis Satirae primae initium comprobat, in quo, praeter Codrum, in alios suae aetatis poetas ob importunitatem, qua alios recitandis suis scriptis propemodum enecarent, summa indignatione et acerbitate invehitur [18]). Horum vera nomina, in quibus eruendis nunc frustra sunt qui operam insumant, faciliori negotio indagari possent, si carmina ipsa, a Juvenale partim universe partim vero significata nomine, nostram tulissent aetatem. Servatis enim C. Valerii Flacci Argonauticis, non incerta est P. Burmanni ad Libr. I. v. 145. et Libr. V. v. 642. conjectura opinantis, hunc poetam a Juvenale notari inde a v. 7.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas jaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani convulsaque marmora clamant
Semper et assiduo ruptae lectore columnae.

etsi perridiculum est Passeratii Quaes. p. Epist. 11. et 14. commentum, quo Valerium Flaccum sub Monychi nomine latere opinatur. Nomen illius Codri proprium quod et quale fuerit, nemo facile, deperdita ejus Theseide, inve-

18) De illo Juvenalis more exposuit Weberus ad Satir. V. v. 98. p. 199. Num vero Juvenalis, quae est Weberi sententia, etiam clarorum nomine virorum, ut Quintiliani Satir. VII. v. 190 sq., alios ejusdem ordinis vel artis, sed ignobiliores, facete designaverit, in dubium vocat Vir Doctus in Diar. Litter. Jenens. a. 1828. N. 70. Sed Webero accessit Gernhardus in Praefat. Quintiliani Vol. I. p. XIX. N. 16.

stigaverit, praesertim cum res a Theseo gestae illo tempore et epicis et dramaticis carminibus tractatae esse videantur. Suspicatus quidem est Scaliger in Scaligeran. p. 77., hujus Codri Theseidem et Marsi Amazonidem, memoratam a Martiale Libr. IV. Epigr. 29. v. 8.

Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide

unum idemque ejusdem poetae esse opus, et probare studuit ex ipsa Thesei historia, nomen Amazonidis convenire etiam Theseidi; sed haec sententia acutissimi viri aeque vana est, ac conjectura ejus temeraria, qua ex Codicibus, quos crepat, pro *Marso* apud Martialem reponi voluit *Codrum*, ut docui in Comment. *de Domitio Marso Poeta* §. 4. N. 16. Magnopere Scaliger etiam in eo falsus est, quod *Codrum* veri poetae nomen esse existimaverit. Nam si Juvenalis et Martialis aetate vere vixisset poeta Codri nomine dictus, non dubium mihi est, quin aliqua de eo fama aliunde ad nos pervenisset. At consideranti mihi hoc scriptorum omnium silentium et ipsius nominis apud Romanos insolentiam reputanti certum exploratumque est, illud nomen Virgilii aetate per ludibrium poetae cuidam inepto et importuno carminum suorum recitatori tributum seriori tempore factum esse θετικὸν et pariter commune ac *Maevii* nomen de malo quovis poeta, ut ostendi in Comment. *de Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 7. Et verissime jam a C. Barthio in Advers. Libr. I. c. 21. observatum est, plura personarum nomina in veterum poetarum carminibus esse κωφὰ πρόσωπα, cum illi eos homines, quos in animo haberent, proprio nomine appellare vel erubescerent vel poenae invidiaeque metu vel alia quacumque de caussa celare mallent. Istum morem poetae cum aliis in rebus caussisque, tum maxime in amoribus secuti sunt, cujus rei testis locupletissimus est Apulejus in Apolog. p. 279. Elm. et Vol. II. p. 405. ed. Bosschae. Is, quia crimini ipsi datum erat, quod pueros amatos aliis nominibus appellaverit, „*Eadem igitur*, inquit, *opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit: et*

Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu: equidem C. Lucilium, quamquam sit Iambicus, tamen improbarim, quod Gentilem et Macedonem pueros directis nominibus carmine suo prostituerit. Quanto modestius tandem Mantuanus poeta, qui itidem, ut ego, puerum amici sui Pollionis Bucolico ludicro laudans et abstinens nominum, sese quidem Corydonem, puerum vero Alexin vocat?" [19]) Hanc nominum permutationem factitarunt poetae veteres fere semper eodem syllabarum numero, ut adnotavit Acron ad Horat. Libr. I. Sat. 2. v. 64.

Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque superque
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.

ubi Acron: „*Pro eo, quod est, in matrimonio Faustae. Semper incerta pro certis. Nam Fausta Syllae filia T. Annio Miloni nupta fuit, ut supra exposuit. Alibi:*

---

19) Nobilissimo hoc Apuleji testimonio in rem suam usi sunt multi, in his I. C. Gevartius in Papinian. Lect. Cap. XIV. p. 58., Jo. Savaro ad Sidonii Apollin. Libr. II. Epist. 10. p. 160., alii, quos deinde allegabo — De *Lesbia*, quam nonnulli Clodiam Metelli Celeris esse volunt, videatur Broukhusius in Huschkii Anal. Litter. p. 37. — De *Perilla* Ticidae videsis Comment. *de M. Furio Bibaculo Poeta* §. 6. N. 20. — De *Cynthia* Propertii dixi in Comment. *de Hostio Poeta* §. 3. et 4. — De Tibulli *Delia*, cujus verum nomen *Plaviam*, nec *Plautiam Flaviamve* fuisse, post Broukhusium ad Tibull. Libr. I. El. 1. v. 57., docuerunt Spohnius de A. Tibulli Vit. et Carm. Disp. P. 1. p. 44. et Passovius in Seebodii libr. *Archiv. f. Phil. u. Paedag.* Vol. II. p. 44., multa a multis hodie sunt disputata, quos recensere non hujus loci est. — Lucilii utrumque puerum hodieque commemoratum invenimus in ejus Satirarum Reliquiis: *Macedonem* ap. Non. s. v. *flaccet* p. 110, 11. *Hic est Macedo si agron' longiu' flaccet. Gentilem* ap. Donatum ad Terentii Andr. V. 6. v. 12. ex Lucilii libro II. seu VII. „*Nunc praetor tuus est, meu' si discesserit horno Gentilis:* quo loco defenditur apud Apulejum lectio *Gentilem*, pro qua alii libri scr. et editt. habent *Gentium*, quod et ipsum nomen servorum esse probarunt Intpp. ad h. l. Vol. II. p. 406. B. Lucilius igitur utrumque puerum directis nominibus prostituit: id quod improbat Apulejus, licet ille fuerit *Iambicus* i. e. poeta Satiricus, cui major in perstringendis hominibus concedi debeat libertas. Haud dubie Lucilium respexit Martialis in Praefatione Libri I. „*Spero me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit, cum salva infimarum quoque personarum reverentia ludant: quae adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis.*" — De *Alexi* confer Commentat. *de Domitio Marso Poeta* §. 4. N. 17.

Me dulcis dominae Musa Liciniae *pro Terentiae*. *Et*, Malthinus tunicis demissis ambulat *pro Mecoenas*. *Et hic*, Villius in Fausta, id est, *Annius in Fausta*, *eodem numero syllabarum commutationem nominum fecit*" 20).

---

20) Sicut Acron, ita etiam Porphyrion per *Villium* vult significari Milonem: utrumque erroris coarguit jam Lambinus. Fausta enim Sullae filia nupserat T. Annio Miloni, qui ideo hic non insimulari poterat in Fausta adulterii. Scholiastas in fraudem induxit n. *Sullae gener*, quo nomine Horatius Villium insignivit, non quod revera Sullae gener esset, sed quod ejus filiam tam frequenter stupraret, ut sibi ipse videretur illius gener esse, hoc uno nomine deceptus. Quare non erat, quod Vir Doctus in Miscellan. Observatt. (Amstel. 1733.) Vol. II. T. I. p. 88. corrigeret: *Villius in Fausta Syllae genere*, *hoc miser* etc. et ex v. 63. peccat in Fausta Villius repeteret. Bene contulit Lambinus ex Horat. Libr. I. Epist. 2. v. 28. *sponsos Penelopae*, uti poeta appellat eos, qui proci erant, non sponsi, sed Penelopam sibi quisque uxorem exoptabant. Neque, cum Horatius Faustam suo et vero nomine prodiderit, opus erat, ut moechum ficto nomine celaret, uti verissime monuit Bentlejus. Igitur *Villii* nomen si fictum est, alius sub eo lateat necesse est ac Milo. Bentlejo succurrebat *Fulvius*, iste fullonis filius, Faustae adulter, auctore Macrobio Saturn. Libr. II. c. 2. p. 349. Z. Neque tamen hic cum Bentlejo mendum esse statuerim. Felicius, ut videtur, Vir eximius huc vocavit locum Ciceronis Libr. II. ad Divers. Ep. 6. „*Nondum erat auditum, te ad Italiam adventare, quum Sextum Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi*": ubi tamen Martyni-Laguna dedit *Sextum Servilium*, sequente Schützio in Ciceronis Epist. ord. chronol. disp. Vol. II. p. 353. In Senatus consulto, quod M. Coelius cum Cicerone communicat, ad Divers. Libr. VIII. 8. memoratur *L. Villius L. F. Pompt. Annalis*. Adde ex Prisciano Libr. VII. c. 11. §. 58. Vol. I. p. 330. Kr. „Similiter Martialis a Martiale, Annalis ab Annale. Cicero pro Fundanio: *Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Quinto Mutone factum probari potest:*" ut hoc fragmentum edidit, praeeunte Ernestio, Schützius Vol. XVI. P. 2. p. 15. idemque allegavit Ang. Majus ad Fragm. Ciceronis Or. pr. Scauro §. 4. p. 20. ed. Heinr. At Krehlius, Codd. Zwicc. 1. 2. Luth. Dresd. secutus, ap. Priscianum edidit: *ab Julio Annale*, cum omnes Codices illud simplici *l* scriptum praeberent. Cod. Dresd. habet *aulio*. Latuit Krehlium illud Senatus consultum in Coelii ad Ciceronem epistola Libr. VIII. ad Divers. 8., quo loco cognomen *Annalis* certo vindicatur *Villiis*. Caeterum quam facilis fuerit illius nominis corruptela, ostendit Heinrichius ad Ciceron. Or. pr. Scauro p. 22. Quisquis vero fuit iste Villius in Fausta Sullae gener, id certe in aprico est, falli Scholiastas, qui hic *Annium* Milonem tecto nomine *Villium* appellari opinentur. Fuit is Faustae adulter, cui pugnis caeso foribusque excluso opponitur *Longarenus*, quem Editores vulgo putant esse alterum Faustae adulterum Villio feliciorem: id quod mihi secus videtur. Bene Scholiastes Cruq. „*nam ea* (Fausta) *Milonem*, *Longarenum dictum*, *habuit maritum*. — *Hanc enim cum Villius affectaret*, *forte Longarenus maritus domi erat*, *a quo collisus est plagis et ferro petitus*." Haec verissima esse puto: primum enim liquet, nomen *Longareni* ridicule esse effictum; deinde Milonem procerae robustaeque figurae fuisse hominem cum ex factis ejus colligi potest, tum maxime ex eo, quod Cicero eum tecto nomine τὸν Κροτωνιάτην appellat ad Attic. Libr. VI. ep. 4. et 5., quo simul athle-

Hanc Acronis Scholiastae adnotationem praeclare illustravit Bentlejus ad h. l. et ad Libr. II. Od. 12. v. 13., acute observans, ficta illa nomina non solum numero, sed etiam syllabarum quantitate convenire, ita ut sine versus dispendio facile pro ficto nomine verum substitui posset [21]). Hocce autem modo apud illos poetas, ut scite Ovidius Trist. Libr. II. v. 434. ait, *rebus abest nomen, nominibusque pudor.* Illud etiam hac in re dignum est animadversione, quod recta nomina Latina plerumque cum Graecis fuerint commutata: quem morem ex flagrantiore deducendum puto litterarum Graecarum studio, quod poetarum ad Graeca exemplia se componentium aetate Romae illo tempore efflorut et, ringentibus licet cascae antiquitatis admiratoribus, feliciter propagatum est. Ex hoc genere sunt *Malthini* seu *Malchini* et *Liciniae* sive *Licymniae* nomina, quorum priore Maecenatem, posteriore ejus uxorem, Terentiam, ab Horatio significari tradit Acron Scholiastes, cujus fidem labefactatam ab aliis infra §. 7. et 8. copiosius adstruam. Nonnumquam tamen ab hoc nominum Graecorum usu cum alii, tum ipse Horatius discessit, quippe qui, ut hoc utar, *Gratidium*, unguentariam, Neapoli oriundam et olim a se amatam, Latina *Canidiae* ap-

---

ticum ejus corpus, Miloni isti Crotoniatae simile, repleisse videtur. Quid igitur obstat, quin eum inde *Longareni* nomen invenisse dicamus? Denique Longarenum si de Faustae marito accipimus, qui Villium, amicum et uxoris adulterum suae, male mulcatum domo ejecerit, aut fallor, aut totius loci vis accesçit et acumen. Restat, ut ingeniosam, quamvis veri dissimilem emendationem A. Maji ad Ciceronis Orat. pr. Scauro III. p. 4. ed. Mediol. et §. 23. p. 173. Beier. paucis hic tangamus, qui cum in Fragm. Cicer. Orat. pr. Fundanio cum Villio Annale conjunctum legisset *Q. Mutonem*, non dubitavit ap. Horatium v. 68. ita scribere:

Huic si Mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus:

eumdemque hominem, contradicentibus licet Scholiastis, intelligere. Haec conjectura placuit Beiero eam commendanti in *Allgem. Schulzeitung Litt. Bl.* N. 7. 1825.

21) Quae Huschkius in Anal. Litter. p. 308. hac de re disputavit, probaturus, poetas Latinos, Graecorum exemplum secutos, persaepe ab isto more discessisse, ea ad serioris aetatis poetas restringenda esse monui in Comment. *de Hostio Poeta* §. 8. Neque enim huc referri potest ex Augusti Epigrammate apud Martialem Libr XI. Ep. 20. *Glaphyre*, M. Antonii amica, sive Cytheridem sive Cleopatram eo nomine significatam putas: Augustus enim Antonii stupra, non amores canit.

pellatione notatam perstrinxerit Libr. I. Satira octava, ad cujus v. 24. Acron et Schol. Cruq. „*Canidiam pro Gratidia Neapolitana unguentaria, quam semper ut venefi-cam carpit Horatius, maxime in V. et XVII. Epodo*“; et Schol. Cruq. ad Libr. I. Od. 16. „*Cantat palinodiam* i. e. *cantando revocat quae scripserat iratus in amicam Gratidiam*“: item Acron et Schol. Cruq. ad Libr. II. Sat. 1. v. 48. „*Canidia posita est pro Gratidia.*“ Hoc Scho-liastarum testimonium non esse spernendum recte judicavit Heindorfius in Argument. Satirae VIII. p. 173. et mutati illius nominis caussam mihi videtur perspexisse Buttmannus l. c. p. 30., qui Horatium, cum proprio nomini *Gratidiae* notio gratiae et venustatis inhaereret, id hanc ob caussam mutasse suspicatur in *Canidiam*, ut canitiei et turpis se-nectutis maculam et infamiam ei adspergeret.

Haec nominum permutatio quamvis parum faceta no-bis videatur, tamen minime aliena est ab ingenio Romano-rum, haud raro in unius litterulae aut trajectione aut mu-tatione lusum et acumen quaerentium. Ex hoc genere est quod de Tiberio Imperatore legimus apud Suetonium c. 42. „*In castris, tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio* Biberius; *pro Claudio* Caldius; *pro Nerone* Mero *vocabatur.*“ Quod arripuit poeta nescio quis, cujus versus a Burmanno in Schedis Mstis Goldasti repertos editosque, huc juvat transscribere:

Ternos vetusti congios Falerni,
Uno die conviviis peracto,
Tubos per amplos viscerum refundens
Hausit, potentum Romuli nepotum
Frenator audax, arbiterque Regum,
Jovis tonantis armiger minando,
Bacchi pluentis cantharis madendo,
Late patentis Imperator orbis,
Latę aestuantis irrigator alvi;
Exinde plebs Quiritium vocavit,
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

Quo in Epigrammate perquam inficeto, quod vehementer

miror a Bernstenio in *Vers. Ludicr. in Romanorum Caesares priores* (Halis Sax. 1810.) p. 67. veteri cuidam poetae tributum esse, v. 2. recepi Oudendorpii correctionem pro vulg. *uno die*, *convivioque peractis:* qua metrum pessumdatur. Horatius in *Canidiae* nomine idoneam habet excusationem tum ab Epodῶν acerbitate tum a Satirarum per humum repentium tenuitate. Huc etiam *Catium* Libr. II. Satir. 4. debebit referre is, cui suspicio Heindorfii in Argum. p. 337., dicentis, Catium istum neminem alium esse, quam ipsum Maecenatem, verisimilis videtur: equidem nunc secus de isto homine statuo [22]).

---

22) De *Catio* quamvis multae sint prolatae sententiae, tamen lis adhuc sub judice est. Nec mirum! Haec enim res suapte natura est perobscura et conjecturis erroribusque patet. Ita, ut hoc utar, Lipsius Var. Lect. Libr. III. c. 5. Vol. I. p. 273. Opp. putat, Catulli Epigramma 30. Alfeno inscriptum, spectare Pompejum Magnum, cui ille sub persona Ciceronis, supposito *Alfeni* amici nomine, proditionis et ruptae fidei crimen affricuerit. Haec conjectura assensum tulit Schotti in Nodor. Ciceron. Libr. III. c. 15. p. 361. et Ever. Ottonis in Thesaur. Jur. Rom. Vol. V. de P. Alfeno Varo Cap. IV. §. 4. p. 1651. Nomina *Pompeji* et *Alfeni* et numero et mensura syllabarum congruunt; at cui tandem credibile est, Catullum P. Alfeni Vari, amici sui, nomine usum esse, quo tecte perstringeret Pompejum, ingratum Ciceronis proditorem? Verisimilior est habenda Mureti suspicio existimantis, a Catullo Carm. 79.

Lesbius est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua —

P. Clodium ficto *Lesbii* nomine detestandae turpitudinis accusari. Mureto ita adstipulatur Lipsius Var. Lect. Libr. I. c. 5. p. 212., ut illud epigramma compositum dicat in Sex. Clodium, P. Clodii administrum, qui obscoenissimo libidinis genere, quod Graeci γλωττοκοιεῖν, Latini *fellare* dicunt, cum Lesbia, id est Clodia, consueverit, auctore Cicerone pro Domo c. 10. „*Scilicet tu helluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo, Sex. Clodio, socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienavit.*“ Ibidem c. 18. „*Hanc tibi legem Clodius scripsit spurciorem lingua sua: — Sexte noster, (bona venia) quoniam jam dialecticus es, et hoc quoque ligurris:*“ quibus in postremis verbis notes jocum ex ambiguo, quo alluditur ad id quod Sex. Clodius putabatur naturam Clodiae ligurrire. Huc spectat Martialis Libr. II. Epigr. 50.

Quod fellas et aquam potas, nil, Lesbia, peccas:
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

quod simul nos docet, nomen *Lesbiae*, id est Clodiae, libidinosae istius mulieris, serius θετικὸν factum esse et commune. Etsi Lipsii de Catulli Epigrammate sententiam maxime probabilem esse censeo, tamen non ausim ejus veritatem praestare, praesertim cum pro *Lesbius* aliq. Statii Codices *Gellius*, quod fortasse ex Carm. 74. huc irrepsit, habeant, et in Cujac. reperiatur *Caelius*, quod placuit Silligio p. 195. — Bentlejus ad Horat. Libr. II. Od. 12. v. 13. ex hoc permutatorum nominum genere dicit etiam esse illud Persii Sat. I. v. 121.:

§. 6.

Sed afferenda sunt alia exempla, quae scriptionis meae finem propius spectant. Horatius inscripsit Libr. II. Satiram octavam *Nasidieno* cuidam, qui ut homo dives, inelegans et in memorandis lautitiis suis putidus describitur. Is Lambino videtur esse Salvidienus ille Rufus, cui ob ingratum et malevolum animum domo et provinciis suis interdixit Augustus, teste Suetonio c. 66. Hanc Lambini suspicionem approbarunt Heindorfius in Argum. p. 425. et Buttmannus l. c. p. 21., eamque aliquot speciosis argumentis, ex utriusque nominum morumque similitudine repetitis, verisimilem reddere studuerunt. At si vera est, quam Jahnius ad h. l. p. 271. profert, sententia Spohnii existimantis, hanc Satiram scriptam esse a. U. C. 726., ista Lambini opinatio vanitatis redarguitur. Nam Q. Salvidienum Rufum, consilia nefaria contra Caesarem molitum, M. Antonius judicio suo protraxit, isque damnatus mortem sibi ipse conscivit, ut Livii Epitomator Libr. CXXVII. refert, vel a Caesare necatus est, a. U. C. 714., teste Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 33. cf. Appianus d. B. C. Libr. V. c. 66. Neque tamen plus verisimilitudinis habet ejusdem Spohnii conjectura, qua intellexit Q. Nasidium, M. Antonii ducem et classi praefectum, quem M. Agrippa ad Patras pugna navali devicit a. U. C. 723., auctore

---

Men' mutire nefas? nec elam, nec cum scrobe? Nusquam.
Heic tamen infodiam: „Vidi, vidi ipse, libelle,
Auriculas asini Mida rex habet.“

pro quo, qui poetae consilium noverant, mutato nomine potuissent legere:

Auriculas asini Nero rex habet.

Bentlejus igitur bona cum fide secutus est Suetonium in Persii Vita narrantem, verba ista „*Mida rex*“ a Cornuto, Persii praeceptore et Neronis crudelitatem extimescente, mutata esse in *Auriculas asini quis non habet?* At hujus narrationis fidem merito in dubium vocavit Passovius ad h. l. p. 351., nec tamen ideo, quod „*Mida rex*“ retinuit, inconstantiae cujusdam insimulandus ab Jo. C. Orellio in Eclog. Poet. Latin. (Turici 1822.) p. 196., istius traditionis patrono. Is lectionem „*quis non*“ insulsam dicit, consentiens ea in re cum Passovio, qui istam uni illatam Codici inde per omnes libros scriptos propagatam esse statuit. Sed vulgatae lectionis „*quis non*“ patrocinium suscepit Vir Doctus in Diar. Litter. Jenens. a. 1828. N. 77. p. 181 sq.: quo facto lectionem „*Mida rex*“, quam Casaubonus textui primus intulerat, iterum ejecerunt recentissimi Editores Weberus (Lips. 1826.) p. 33. et Plumius (Havniae 1827.) p. 158 sq.

Dione Cass. Libr. L. c. 13. ibique Reimarus in Not. Crit. Vol. II. p. 788. Strz. Istius enim hominis vitam et mores plane ignoramus. Prudentius Wielandus ad h. l. Tom. II. p. 232 sq. hunc Nasidienum ex isto hominum genere fuisse dicit, qui obscurissimis nati initiis et aliqua via ditati jactantiae gratia civitatis principes solerent epulis excipere lautioribus. Apposite comparatur iste, de quo ad Trebatium scribit Cicero Libr. VII. ad Divers. Ep. 9. „*Cn. Octavius, an Cn. Cornelius, quidam est, tuus familiaris, summo genere natus, terrae filius. Is me quia scit, tuum familiarem esse, crebro ad coenam invitat.*“ Idem Epist. 16. „*Ego si foris coenitarem, Cn. Octavio, familiari tuo, non defuissem. Cui tamen dixi, quum me aliquoties invitaret: Oro te, quis tu es?*“ Ita hic Nasidienus, terrae filius, Maecenatem lauto convivio exceperat, de quo Horatius sibi exponentem inducit Fundanium. Neque vero hic id agimus, ut, iste quis fuerit, incerta divinatione expiscemur, sed docere tantum volumus, Nasidieni nomen factum esse commune, quo posterioris aetatis poetae unum ex aequalibus suis perstringerent. Sic illud Martialis ab Horatio mutuatus, imposuit parasito inepto cuidam, in quem scripsit Libr. VII. Epigr. 53.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quae moveant animum sollicitentque meum.
Jam prior ad faecem, sed et haec vindemia venit;
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, et thuris acervos;
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt.
Aut vigila; aut dormi, Nasidiene, tibi [23]).

23) Heinsius v. 3. conjecit, *Jam prior adferrem* pro *ad faecem*, notante Burmanno ad Propertii Libr. II. Eleg. 3. v. 7. p. 20. Ibidem Burmannus v. 4. pro *exorat noctes* legendum arbitratur *explorat* i. e. variis conjecturis somnia volvit ac revolvit, ut ea explicet, et conferri jubet Theophrasti Cap. XVI. περὶ δεισιδαιμονίας, ubi superstitiosus describitur, qui somnia sua interpretibus versanda tradit et inquirenda. Sed Martialis hic sacrificia significat, quae veteres, ubi triste aliquod insomnium viderant, ἀποτροπιασμοῦ χάριν factitarunt. Igitur *exorare* h. l. est *expiare*, quod simili de re legitur Libr. XI. Epigr. 50. v. 7. *Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni, Expiet ut somnos garrula saga tuos.*

Nam poetae serioris aetatis Satirici imprimis Horatium tamquam summum in hoc poeseos genere exemplum secuti, cum multos alios ejus Satirarum locos imitatione expresserunt, tum etiam nomina propria personarum mutua sumpserunt, quae virtute vitiove aliquo insignes a poeta Venusino vel recto vel ficto nomine essent celebratae et ita ad posteritatis memoriam pervenissent. Ita, ut aliquot exempla in medium proferam, Maecenas, ut pro liberalissimo virorum doctorum patrono communiter dici coepit; ita idem, quem novimus otio et mollitiis in habitu, oratione et tota vita paene ultra feminam fluentem ab Horatio Malchini nomine significari, pro mollissimo quoque et effeminatissimo ponitur a Juvenale Sat. XII. v. 37.

Fundite, quae mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Praecipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam.

Qui a Cicerone in Epistolis ad Attic. Libr. XII. 13. et 14. a. U. C. 709. scriptis commemoratur Craterus medicus, eundem veri admodum simile est significari ab Horatio Libr. II. Satir. 3. v. 161.

Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger.

ubi Acron Schol. „*Craterus fuisse dicitur illis temporibus opinatissimus medicus.*“ Jam quis dubitet, quin illius medici nomen θετικὸν factum pro medico in universum usurpaverit Persius Sat. III. v. 65.

Helleborum frustra, cum jam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?

Huc etiam pertinet locus Horatii Libr. I. Epist. 15. v. 36.

Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus praedae majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem.

ita enim hunc locum legendum duco, Bentlejum secutus, cui frustra in verborum interpunctione renititur Car. Fea. In editis vulgo *Maenius*, pro quo ex Codd. Mstis Bentlejus feliciter restituit n. *Bestius:* cui emendationi multi a

Fea inspecti Codices favent. Utique intelligendus est Maenius, lurco iste perridiculus, qui hac ipsa in Epistola a v. 26 sqq. describitur et Libr. I. Sat. 1. v. 101. ibiq. Heindorfius p. 22. et Jahnius p. 250. cl. Commentat. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 5. N. 13. Is, postquam bona sua degulaverat, lautioribus cibis destitutus, repente exstitit *corrector Bestius:* quae per epexegesin adduntur, omissa comparandi aliqua particula, *ut*, *tamquam*, *velut*. De Bestio Scholiastes Cruq. „*Bestius nomen parcissimi cuiusdam Romani.*“ Nihil quidquam de hocce homine aliunde compertum habemus. Datur tamen conjecturae locus. Cum Maenius, iste bonorum suorum decoctor, Lucilii fuerit aequalis, et luxuria id consecutus sit, ut ejus nomen in nominis appellativi vim et usum abiret et pro quovis luxurioso homine et nepote usurparetur; est quod suspicemur, Bestium quoque jam a Lucilio aliisve aut ob antiquam frugalitatem et parsimoniam aut propter nimiam severitatem, qua in nepotes declamaret, fuisse notatum et ab Horatio communiter pro severo aut parco homine positum. Itaque *Bestii* nomen ita usurpatum est, sicuti cum aliquis appellatur *tertius Cato*, *alter Achilles*, ut jam Bentlejus monuit, cujus exemplis adjici debent, quae ex prosae orationis scriptoribus larga manu apposuit Ruhnkenius ad Vellej. Paterc. Libr. II. c. 18. Quod Cruquius p. 565. scribit; „*de Corn. autem Bestio scribit Plutarchus eum Ruscium Imbrici soceri sui filium, quem acceperat servandum, dedisse morti, ut ejus auro potiretur*“: id unde haustum sit, non potui invenire, nisi forte is commiscuit cum Bestio Bessum parricidam apud Plutarch. d. Ser. Num. Vind. Vol. VIII. p. 190. R. Iste igitur Bestius nescio quis εἰρωνικῶς et invidiose appellatur *corrector*, ut pro vulg. *correptus* vel *correctus* ex vet. Cod. praeclare emendavit Lambinus [24]), quod nepotes et

24) Fea hic mirifice nugatur, opinatus, Bestium dictum esse ipsum Maenium pro *bestiali* seu *brutali* (?), ut Italis dicitur *un uomo brutale, bestiale.* Accommodate jam Lambinus, cui Torrentius frustra repugnat, contulit Terentii Adelph. IV. 7. 22. et Bentlejus ex Cicer. Philipp. II. c. 17., Orator. c. 56., pro Balbo c. 8. Bene Vossius conjecit: *der Eiferer*

luxuriosos dicebat castigandos et gravibus afficiendos suppliciis. Jam sicut Horatianus hic Bestius est acerbissimus nepotum censor et corrector, ita Bestius quidam invehitur in philosophos Graecos, quod secum attulerint artem liberaliter vivendi et cum litteris Graecis Romae intulerint vitae mollitiem, apud Persium Sat. VI. v. 37.

Tune bona incolumis minuas? Sed Bestius urget
Doctores Grajos: ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere et palmis venit nostrum hoc maris expers;
Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.

ubi jam Casaubonus adnotavit, *Bestii* nomen esse θετικόν. Et Bentlejus, praeeunte Cruquio, pro certo habuit, Persium Bestii Horatiani nomine similem suae aetatis correctorem vitae luxuriosae designasse.

His exemplis sat perspicuis, quibus addi possunt quae Huschkius in Analect. Litter. p. 310 sq. disseruit, docere voluimus, poetas seriores ab antiquioribus nonnumquam nomina personarum esse mutuatos, si quam inter homines, quos antiqui descripserant poetae, atque eos, quos ipsi vellent notare, deprehendissent similitudinem. Atque hic, qui latissime patet, poetarum seriorum mos me induxit, ut suspicarer, Juvenalem nomen *Codri* a Virgilio mutuum sumpsisse, quo aequalem poetam tecte designaret malum et recitandi atque ad ravim usque declamandi studio importunum, eumque in sordida paupertate ambitiosum fastusque ridiculi plenum perstringeret. Et eumdem misellum poetam quis dubitet quin Martialis quoque epigrammatum aculeis pupugerit? In Codro Virgiliano nulla deprehendi paupertatis indicia, me non praeterit; quis autem tam levibus diversitatis notis ac veluti lineamentis retineatur, quo minus conjecturae, caeterorum argumentorum probabilitate satis munitae, assensum praebeat? In hoc interpretationis genere, quod suapte natura suspicabile esse debet, praesertim apud poetas non quaeri potest a nobis certa ubique historiae fides et evidentia.

Bestius. Fere magis merito explosis nuperrime adstipulatus est Fr. Plumius, Ficuinae Episcopus, Persii editor Havniensis, p. 519.

Tametsi mihi, qui tantillae rei illustrandae ac defendendae caussa tot jam fecerim verba, utique verendum est, ne sint qui meam rideant sedulitatem; tamen spero, fore, ut ab aliis gratiam aliquam initurus sim, si, quae supra §. 5. de *Malchino* et *Licymnia* obiter monui, hic copiosius accuratiusque exposuero et hoc tamquam corollarium adjecero. Res agitur dubia admodum hodieque controversa.

§. 7.

Si qua est Satira, in qua Horatius cum aculeo et maledicto fuerit facetus, ea non dubium est quin sit Libri I. secunda, quam proxime post septimam, omnium primam, ab eo scriptam esse, certum mihi exploratumque est. Progressus ab Hermogene Tigellio, nasutulo Satirae septimae reprehensore, ridet istius hominis in vita moribusque inconstantiam. Istum modulatorem, nuperrime mortuum, dicit fuisse in alienos perditosque homines liberalissimum, in suos contra quamvis inopes malignum et praeparcum: unde simul ad ipsum Octavianum, cui ille cantor gratiosissimus fuerat, aliqua redit vituperatio. Castigaturus igitur hominum perversitatem, qui, cum non certa ratione ducantur, in omni vitae genere parum sibi constent et, dum vitia quaedam fugiunt, in contraria incurrant mediaque via incedere nesciant, non majori libertate quam acerbitate demortuum Tigellium in scenam producit eumque facit stultorum in hoc genere ducem ac velut antesignanum. Tigellio opponit alium nescio quem, qui, ne sordidus dicatur esse, rem suam luxuriosis absumit dapibus: quo nomine laudatur ab his, culpatur ab illis. Quid? Fufidius quamvis dives insanum tamen exercet fenus, adolescentibus potissimum, quo quisque est perditior, hoc graviores usuras imponens, et ut vappae et nebulonis sua omnia effuse largientis infamiam devitet, in semet ipsum quoque durissimus simul miserrime se excruciat. Sic igitur suum carmen exorsus, ipse, quo haec pertineant, significat v. 24.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat; est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus.

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium est.

En illustria quaedam exempla, quae demonstrent, quam dissona sint hominum studia, iisque quam multi transversi agi soleant nec medium tenere sciant. Hinc transit ad exagitandam aequalium discordem veluti concordiam in amoribus adulteriisque maxime conspicuam, quorum infamia ne ipsum quidem Octavianum illo tempore immunem fuisse, historia docet. In hanc suae aetatis corruptelam invehitur tanta cum libertate, ut nemini parcat adeoque homines vivos adhuc et Octaviani gratia et amicitia florentes directis nominibus sugillet.

Haec prudens disputavi, quo magis ejus, quem cum maxime tractamus, loci vis sentiretur consiliumque poetae perspiceretur. Hunc locum, ut jam Lambinus adnotavit, profert etiam Seneca Epist. 86. §. 12. „*Descripturus*, inquit, *infamem et nimis notabilem deliciis Horatius Flaccus, quid ait?* Pastillos Rufillus olet — *Dares nunc Rufillum, perinde esset ac si hircum oleret et Gorgonii loco esset, quem idem Horatius opposuit.*“ ubi Ruhkopfius omnes Codices in nomine *Gorgonii* conspirare ait: id quod XVIII. Codicum Vaticanorum auctoritate confirmat etiam Fea ad Horat. h. l., et scripturam *Gorgonius* contra Bentlejum defendit. Is enim ex Pulmanni suisque Codicibus dedit *Gargonius*, quoniam hoc sit nomen Romanum et nomen *Gorgonius*, *ἀπὸ τῆς Γοργόνος* aperte deductum, secundam syllabam corripere debuerit. His rationibus inductus etiam Bothius in Adnotatt. ad Feae Edit. p. 7. ab editore Italo discedendum et Bentlejo obtemperandum censet. Sed nihil ut dicam quam incerta sit illius nominis originatio Graeca, ipse Bentlejus ad Libr. III. Od. 25. v. 9. docuit, quantum poetae Latini in Nominibus propriis de Graeco fonte derivatis sibi indulserint[25]). Gravius est illud,

---

25) Bentlejus l. c. disputat de *Edonis*, Thraciae populo, qui constanter a Graecis dicuntur *Ἤδωνοι*. Nihilo tamen secius syllabam mediam in n. *Edonis*, *Ἠδωνίς*, corripuerunt Lucanus Libr. I. 675. et Silius Italicus Libr. IV. 778. Utriusque auctoritate Bentlejo videtur factum esse, ut librarii ap. Virgil. Aen. XII. 365. *Ac velut Edonis Boreae cum*

quod Bentlejus dicit, *Gargonii* nomen esse Romanum: at vereor ne vir eximius in tuenda hac sententia paulo cupidius egerit. Cicero in Bruto c. 48. „*Sed omnium*, inquit, *oratorum sive rabularum, qui et plane indocti, aut inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo et acutissimum judico, nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gorgonium.*“ Hic Bentlejus, teste Grutero, ait, membranas *Gargonium* habere; nihil vero varietatis adnotarunt Schützius, Ellendtius et Orellius. Eumdem rabulam Bentlejus memoratum esse statuit a Seneca Suasor. VII. p. 51.

---

spiritus alto; et ap. Valer. Flacc. Arg. VI. 340. *Edoniis nutritum missile ventis* scriberent pro *Edoni Boreae* et *Edonis ventis*, ut hodie apud utrumque poetam editum legitur. Major utique est ea in re licentia poetarum posterioris aevi: ita Lucanus Libr. II. 593. *Incerti Judaea dei, mollisque Sophene*, licet a Strabone illa Armeniae regio Σωφηνή dicatur, et Silius Italicus Libr. VIII. 577. *nunc sese extendere miles Leucosiae e scopulis*, cum Graecis semper Λευκωσία, nusquam Λευκοσία dicatur, nisi forte hic cum Heinsio ad Ovidii Metam. XV. 708. legere praestat: *Leucasiae e scopulis:* nam illa insula Λευκασία appellatur a Strabone Libr. II. p. 84. Adde ex Juven. Sat. XV. 93. *Vascones*, *haec fama est* etc., cum Gr. Οὐάσκωνες nominentur. Nonnumquam Synizesis locum habet: ut ap. Virgilium Aen. VII. 769. *Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae;* et XII. 401. *Paeonium in morem senior succinctus amictu:* ubi *Paeoniis* et *Paeonium* trisyllaba sunt. In aliis nominibus inconstantiae exemplum Latinis poetis praeiverunt ipsi Graeci, ut Σιδωνίη χώρη apud Herodot. VII. 122., ita ut ap. Virgilium Eclog. X. 66. *Sithoniasque nives* per Synizesin τρισυλλάβως pronuntiandum videatur; sed videsis Heynii Not. Crit. et ad Cirin v. 165., ubi protulit ex Parthenio versum Aedonidis αἴ τ' ἐνὶ βήσσῃ Σιδονίῳ κούρῳ ἐπὶ μύριον αἰάζουσιν. Porro Sidonis incolae dicebantur Σιδώνιοι et Σιδόνιοι, ut diserte monet Stephanus Byz. Hinc Dionysius Perieg. v. 117. Σιδονίην δ' ἐτέρην, ὅθι τείνεται ἐς μυχὰ γαίης κ. τ. λ., ubi Eustathius adnotavit: Ὅτι ὁ Διονύσιος τὴν Σιδῶνα κλίνων ἀκολούθως Ὁμήρῳ, ἐν τῷ Σιδονίᾳ θάλασσα ἐκτείνει μὲν τὸ τῆς ἀρχούσης δίχρονον, συστέλλει δὲ τὸ ο μετὰ τὴν ἄρχουσαν. ὁμοίως καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς, Βύβλον τ' ἀγχίαλον καὶ Σίδονα ἀνθεμόεσσαν· οἱ δὲ ὕστερον τὰς ὅλας πλαγίας τῆς Σιδῶνος τῷ ω μεγάλῳ παραλήγομένας ἐκφέρουσιν. Similiter Latini variant poetae, quorum loca congessit Cellarius in Geogr. Antiq. III. 12. 92. Vol. II. p. 380. cl. Burmann. Sec. ad Lotichii Libr. V. Eleg. 17. v. 19. p. 366. Porro Apollonius Rhod. Libr. II. 706. *Βιστονίῃ φόρμιγγι κ. τ. λ.;* sed idem Libr. I. 34. *Δέξατο, Πιερίῃ Βιστωνίδι κοιρανέοντα.* Horatius Libr. II. Od. 19. v. 20. *Bistonidum sine fraude crines:* et ita alii poetae, quod sciam, semper secundam ejus nominis syllabam corripiunt; sed Auctor Ciris v. 165. *Saeva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris*, ubi Heinsius ad Ovidii Trist. Libr. IV. 1. v. 42. audacter correxit: *Saeva velut Ciconum gelidis Edonis in oris:* id quod erudite confutavit Bentlejus ad Horat. Libr. I. Od. 25. v. 11. In aliis denique nominibus, quorum largam copiam collegit Jahnius ad Ovidii Metam. VI. v. 11. et ad Horat. Libr. III. Od. 4. v. 9. suam vim Arsis et Thesis exercent.

Bip. „*Gargonius, amabilissimus in hac suasoria dixit duas res, quibus stultiores ne ipse quidem unquam dixerat.*“ Ita edidit Gronovius pro vulg. *Gorgonius:* illud arripuit Bentlejus et obtrudere voluit Senecae Controvers. VII. p. 124. B. „*Gorgonius fuit Buteonis auditor, postea scholae quoque successor, vocis obtusae, sed pugnacissimae, cui Baro scurra rem venustissimam dixit: Centum raucorum vocem habes.*“ Itemque Senecae Controvers. XXIV. p. 274 sq. „*Gorgonius in hac controversia foedo genere cacozeliae usus, dixit: istud publicum adulterium est sub Miltiadis tropaeis concumbere.*“ Cum utroque in loco, quantum ex Editorum silentio colligere licet, omnes libri Msti in scriptura *Gorgonius* consentiant, audaculus fuit Bentlejus, qui ob unum Suasoriarum VII. locum, in quo lectio non magis certa est, *Gargonius* reponendum suaderet. Cf. Fabricius in Biblioth. Lat. T. II. p. 95. Ern. Qua de caussa apud Senecam Controv. XXXIV. p. 364. B. „*Gargius multo stultius, quare Promethei Parrhasius supplicium pinxisset: Ego*, inquit, *ardente Olyntho non odissem ignium auctorem?*“ jure dubitari potest, num recte conjecerit Bentlejus, pro *Gargius* legi debere *Gargonius*. Quodsi hic Senecae locus mendosus est, haud minori veritatis specie conjici potest *Gorgonius:* quod nomen sine ulla corruptelae suspicione legitur apud Ammian. Marcell. Libr. XV. 2. §. 10. „*Perductus est iisdem diebus et Gorgonius, cui erat Thalami Caesariani cura commissa;*“ et apud Symmachum Epist. I. 29. „*Frater meus Gorgonius.*“ denique in Inscript. ap. Gruter. p. MXXXI. 8.

Haec testimonia omnia uti vastae Bentleji eruditioni accepta referimus, ita tantum abest ut ejus sententiam de *Gargonio* stabiliant, ut, subductis omnibus rationibus, unice hic verum videatur *Gorgonii* nomen, quod imprimis Senecae philosophi locus omni dubitatione eximit. Nam, praeter aliquot Horatii Codices, non nisi una Inscriptio ap. Gruter. p. DCLXXXV. 3. poterat ab eo excitari, quae illius apud Romanos nominis certa dici mereatur testis. Jam si Bentlejus illa Ciceronis et Senecae rhetoris loca integra

exscripsit, ut probaret, istum rabulam, Gorgonium, eumdem esse, quem Horatius hircum olere dicat, si quidem aetas et caetera omnia pulchre conveniant; idem nos quoque hic fecimus, ut lectores sine molestia viderent, quantopere vir ille eximius judicium suum praecipitaverit. Horatius enim de Gorgonio vivo adhuc loquitur; qui vero a Cicerone memoratur rabula cognominis, eum jam mortuum fuisse quo tempore *Brutus* sive liber de claris oratoribus scriptus est i. e. a. U. C. 708., ipsa Tullii verba declarant. Quare ab hoc diversus sit necesse est etiam Senecae Gorgonius. Hic autem, si a nomine discesseris, cum Horatiano nihil prorsus habet similitudinis, ut bene monuit Heindorfius ad h. l. p. 35. Neque huic conjecturae adjumenti quid adfert commemoratus a Seneca Controvers. VII. p. 124. B. ille *Baro Scurra*, qui Gorgonio venustissimam rem dixit. Cum Gruteri codices *Baros* pro *Baro* praeberent, is visus est Bentlejo idem esse, qui occurrat apud Horatium Libr. I. Satir. 7. ubi Persius, negotiator Clazomenius, describitur v. 6.

Durus homo atque odio qui posset vincere Regem;
Confidens, tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

Sed lectio *Baros* in Senecae Codd. Gruter. orta videtur ex adhaesione litterae sibilae v. *Scurra*, et procul dubio genuinum est nomen *Baro*, quod erat cognomen *Caeliorum*, ut testantur Inscriptt. ap. Gruter. p. III. 9. et CCCXCIII. 7. Ab hoc *Barone Scurra* differunt memorati ab Horatio *Barri* s. *Bari*, *Vari*, et *Rari*: vid. Fea et Jahnius ad Libr. I. Sat. 4. v. 110. Praestat igitur fateri, nos ignorare, quis fuerit iste Gorgonius, praesertim cum Scholiastae de eo pariter sileant ac de *Rufillo pastillos olente*, cujus ne nomen quidem alibi, quod meminerim, legitur, licet *Rufillae* nomen haud infrequens sit in Inscriptt. ap. Gruterum.

Verum tamen, qualicumque conjecturae si concedatur locus, mihi uterque videtur fuisse ex Octaviani familiaribus. Nam Horatius Satira quarta, quae Satiram secundam proxime secuta est a. U. C. 715., de suarum Satirarum mordacitate se excusans ait v. 91.:

ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos.

quo ex loco, cum hic Satirae secundae v. 27. respiciatur, apertum est, Horatium propter istam Rufilli et Gorgonii irrisionem in aliorum reprehensionem et invidiam incurrisse. Jam isti homines si nullo in numero ac dignitate fuissent, vehementer dubito, num quisquam Romae exstitisset, qui Horatio succenseret et crimini daret, quod eos deriserit. Quodsi vero isti in civitate erant potentes et gratiosi, non mirabimur, acerbiorem illam irridendi libertatem offensionis invidiaeque plenam fuisse. Accedit, quae qualicumque meae de Octaviani familiaritate conjecturae aliquid ponderis addit, subjecta statim mentio Petillii Capitolini, quem Octaviani amicum fuisse testantur Scholiastae. Poeta mirifica arte usus non semet ipsum sistit Petillii de sublata Jovis Capitolini corona accusati et in Octaviani gratiam ab judicibus absoluti reprehensorem, sed unum ex ejus amicis inducit laudantem quidem Petillii in se merita, sed simul mirantem, quo pacto judicium illud fugerit v. 99. At hujusmodi orationem, occultae insidiosaeque malevolentiae plenam, procul a se suisque scriptis fore, promittit Horatius v. 100. Hinc pergit v. 103.

Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.

Quis non videt, haec eo spectare, ut se de mordaciore, ut aliis visa est, Rufilli et Gorgonii irrisione excuset? Callide autem significat, apertam alicujus hominis sive ludificationem sive irrisionem praestare clandestinae et insidiosae laudi cum invidia et malevolentia conjunctae, quam *succum nigrae loliginis* appellat v. 100. Inde consequens esse tecte indicat, ut Petillius hac ratione defensus ab amico gravius vulneratus dici debeat, quam a se Rufillus et Gorgonius, quorum stultitiam sine insidiis aperteque deriserit.

Non opus est, ut Lectores attendere jubeam, quanta cum calliditate Horatius aliud quasi agens Petillio, Octaviani amico, ejusque *durae*, quam Libr. I. Sat. 10. v. 26. vocat, *caussae* illuserit; sed illud velim animadvertant reputentque, utrum fortuito, an consulto Poeta Petillii nomine et exemplo in excusanda Rufilli et Gorgonii irrisione usus fuerit? Equidem non temere mihi videor inde colligere, utrumque istum hominem pariter ac Petillium fuisse ex Octaviani familiaribus. Similiter in Satira secunda v. 36. C. Cupiennium Libonem, Octaviani familiaritate clarum, ut Sallustium aliosque praeteream, peracerbe vellicat: quidni Rufillum Gorgoniumque nulla fortassis re alia nisi Octaviani favore et amicitia notabiles? Horatius enim a patre insuefactus, ut fugeret exemplis vitiorum quaeque notando, non veritus est mirabile illud par hominum, quod ipsi circumspicienti exempla sententiae v. 24. propositae occurreret, producere et risui exponere: hinc illae de Satirarum acerbitate querelae! Sed quidquid est ejus conjecturae, id certe inde evidens est et certum, illa Rufilli et Gorgonii nomina esse recta neque ab Horatio conficta. Cum igitur hos homines directis nominibus nulla retentus verecundia prostituerit, mirari subit, quid caussae fuerit, ut nomen ejus, quem tunicis ad inguen obscoenum usque subductis facetum esse dicit, prorsus taceret, et alterum tunicis demissis ambulantem ficticio nomine designaret? Ad haec nihil habeo quod respondeam, nisi Rufillum et Gorgonium videri fuisse illis, quos Poeta tecte ludit, viris ignobiliores et ordine ac dignitate inferiores, ita ut directa horum irrisio tutior esset minusque haberet invidiae.

Sed jam audire est operae pretium, ut Ennii verbis cum Horatio v. 37. utar, *Malchinus* ille quis fuerit? Primum vero de hujus nominis scriptura, quae controversa est, paulo accuratius dicamus necesse erit; variant enim Codices Msti, quorum lectiones laudabili diligentia collectas dedit Kirchnerus in: *Des Q. Horatius Flaccus Satiren kritisch berichtigt, übers. und erläutert.* (Stralsund 1829. 4.) Vol. I. p. 23. Plurimi Codices et veterrimae Editt. praebent *Malchinus*, quod cum Codicum auctoritate

et Bentleji et Feae assensu, tum maxime ipsius rei veritate permoti cum Kirchnero unice probandum putamus. Alii Codices cum Editt. offerunt *Malthinus*, quod Acronis et Porphyrionis Scholiastarum si qua est ea in re auctoritas tuetur. Denique pauci habent *Maltinus*, quod et ipsum suos invenit patronos. Pro mendis habendae sunt aliquot Codicum scripturae *Malchinus* et *Melchinus*, quas tamen illi, quam nos defendimus, scripturae patrocinari manifestum est. Jam Viri Docti, qui scriptaram *Maltinus* probant, nituntur loco Nonii p. 37, 7. „*Maltas* veteres molles appellari voluerunt, a Graeco quasi *μαλθακούς*: Lucilius Libr. XXVII.

Insanum vocant, quem maltam ac feminam dici videt.“

Ita in Edit. Sedan. 1614. legitur; Dousa N. 25. edidit: *a Graeco quasi μαλαχούς*, et *vident* pro *videt*, adnotavitque: „Inde Horatius, *Maltinus demissis tunicis ambulat.*“ Vid. *C. Lucilii Satyrarum Reliquiae.* Amstelaed. 1661. p. 71. et 134. Eumdem locum Nonii attulit H. Stephanus in Thesauro Gr. L. Vol. V. p. 5915. (Londini 1823.) legitque *quasi μαλαχοὺς* et *videt*, praeterea monens, *maltham* a Nonio sine adspiratione scribi. Auctore Festo p. 217. Dacer. „*Maltha dicitur a Graecis pix cum cera mixta.*“ Hesychio T. II. p. 532. est *μάλθη: μεμαλαγμένος κηρός· ἢ μαλακία καὶ τρυφερή.* Ab Julio Polluce Libr. X. c. 14. Segm. 58. dicitur *ὁ δὲ ἐνὼν τῇ πιναξίδι κηρὸς, ἢ μάλθη, ἢ μάλθα:* quem locum illustravit Turnebus Advers. Libr. VI. c. 9. *Maltha* est etiam in architectura genus tectorii, quod parietibus et pavimentis inducitur, ne eorum coria findantur: de ejus compositione exposuit Palladius de R. R. Libr. I. 41. ibique Schneider. Vol. III. P. 2. p. 46 sq. Igitur a vetere vocabulo *Malta*, quo homo mollis et effeminatus significatur, deductum volunt nomen *Maltinus*, ut ab Agrippa *Agrippinus*. Cum autem Nonius ipse illud nominis derivet a Gr. *μαλθακός*, haud dubie cum adspiratione scribi debet, ut etiam Nonii locum allegarunt Henr. Stephanus in Thesaur. Gr. Ling. et Forcellinius in Lexic. s. h. v.

— *Malthinus* et origine et significatione respondet Gr. μαλθώδης a μαλθόω: unde μαλθώσω, Hesychio interprete, μαλακώσω. Huc pertinet μάλθων, qui est Suidae T. II. p. 487. ὁ γύναυδρός τε καὶ μάλθων τύραννος· ἀντὶ τοῦ ἔκλυτος [26]. Proinde scripturam *Malthinus* cum Scholiastis, a v. μαλθακὸς derivantibus, praetulerunt Lambinus, Glareanus, Pulmannus, Chabotius, Dacerius, Sanadonus, et plerique recentiorum Editorum: eamdem defenderant Turnebus Advers. Libr XI. c. 23. et C. Barthius Advers. Libr. XXXVIII. c. 6. p. 1726. Torrentius, licet ediderit *Malthinus*, tamen Cod. sui scripturam *Maltinus* veriorem esse censuit. Cum Torrentio facit Buttmannus l. c. p. 56. ob Nonii testimonium; sed cum illud nomen originis Graecae sit, cum adspiratione scribendum esse recte judicat Schneiderus in Gr. Lat. I. 1. p. 211 sq. Bentlejus neutram illius nominis et originationem et significationem probandam ratus plurimorum Codicum vestigiis institit et *Malchinus* cognomen esse statuit a *Malcho* derivatum, ut a Paullo *Paullinus*, a Rufo *Rufinus*, a Balbo *Balbinus* et alia infinita. *Malchi* quoque nomen nunc cum nunc sine adspiratione exaratum invenitur, ut docuit Schneiderus in Gr. Lat. I. 1. p. 209., qui illud a Gr. μαλακὸς deductum esse suspicatur. Recte! Cognomen τοῦ Μαλακοῦ invenit Apollonius Alabandensis, rhetor ille clarissimus, teste Strabone Libr. XIV. p. 655. Cas. et Cap. II. §. 13. T. V. p. 611. Tz., cl. Spalding. ad Quintiliani Inst. Or. Libr. III. 1. §. 16. T. I. p. 431. Inde nomen proprium Μαλακίων apud Aristophan. Eccles. v. 1103., ubi Scholiastes Μαλακίων· μαλακὸς, ὑποκοριστικόν: quo respexit Suidas T. II. p. 485. [27] Et veteres poetae Latini ad-

---

26) A Cratino scripta est comoedia Μαλθακοί dicta, in qua Atheniensium mollitiem irrisit, ut docent Fragmenta, quae collegit Runkel (Lipsiae 1827.) p. 29 sq. Et Theophilus Comicus ap. Athen. Libr. XIII. p. 588. C. et c. 52. Vol. V. p. 125. Schw. commemorat inter meretrices Atticas,

ὧν ἐμπλέκουσι τοῖς λίνοις οἱ μαστροποὶ,
ἢ Ναννάριον ἢ Μαλθάκην.

ut postremum versum correxit G. Dindorfius Vol. III. p. 1308. Caeterum hominem μαλθακὸν depinxit Plato in Phaedro §. 35. p. 227 sq. Heindf.

27) Huc referri quoque potest Scholiastes Thucydidis Libr. I. c. 12.

jectivum *malacus* pro mollis, delicatus, frequentarunt, nominatim Plautus, ut in Milit. Glor. Act. III. Sc. 1. v. 74.

Tum ad saltandum non cinaedus malacus aeque est
atque ego.

Maxime huc facit Ennii locus ap. Varronem de L. L. Libr. IV. p. 16. Scal. „*Viere, vincire: a quo est in Asoto Ennii*

Ibant malacam viere Veneriam corollam."

ut Scaligerum secutus h. l. edidit Hesselius p. 184. Ita enim Scaliger in Conject. p. 31. (ed. H. Stephani 1573.) pro vulg. *malam* conjecit, cum alii Codd. *malacci* haberent. Sed felicissime I. D. a Lennepius in Animadverss. ad Coluthum Libr. I. c. 2. p. 93. ed. Schaefer. divinavit, ab Ennio scriptum esse,

Ibant malaci viere Veneriam corollam

atque ita nuper edidit apud Varronem Libr. V. 10. p. 68. Spengelius, non nominato Lennepio, ita ut ipsi quoque haec emendatio succurrisse videatur. Lennepius „*Malaci*", inquit, „*sunt homines molles et effeminati, ὑγροὶ Graecis dicti, quibus optime conveniebat* viere *et vincire Venerias corollas iisque comam ornare; quod in amore usitatissimum et amantibus tantum non proprium.*" Cum igitur homines molles ac delicati ab Ennio in Sotadico, ut apud Varronem pro vulg. *Asoto* correxit Scaliger, assentiente Hermanno in Elem. Doctr. Metr. Libr. II. c. 37. §. 12. p. 453., dicti sint *κατ' ἐξοχὴν malaci* [28]), mihi

---

§. 53. *καὶ Φιλοκτήτης — θήλειαν νόσον νοσήσας καὶ μὴ φέρων τὴν αἰσχύνην, ἀπελθὼν ἐκ τῆς πατρίδος, ἔκτισε πόλιν, ἣν διὰ τὸ πάθος Μαλαχίαν ἐκάλεσε.* Ita edidit Dukerus, sed *Μαλακίαν* tacite correxit Poppo P. I. Vol. 1. p. 192. Idem jam fecerat Bourdelotius ad Petronii Satir. c. 27. Vol. I. p. 133. Burm.

28) Inde *malacissare*, *μαλακίζειν*, ap. Plautum Bacch. I. 1. v. 31. B. *Ah, nimium ferus es.* P. *Mihi sum.* B. *Malacissandus es.* Et Laberius Mimographus, teste Gellio N. A. Libr. XVI. c. 7., in Compitalibus: *Malas malaxavi;* quod verbum ego ex Lipsii Codicibus restituendum duco etiam Senecae Epist. 66. §. 49. „*An potius optem, ut malaxandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in muliercula ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori praestitisset?*" ubi alii vel *male laxandos* vel *malacissandos articulos* scripserunt et ediderunt.

veri simillimum videtur, a Romanis sive per ludibrium sive per *ὑποκόρισμα* quoddam factum esse nomen proprium *Malacus* et per Syncopen, *Malcus*. Qua in re praeiverant Graeci: nam apud Pausaniam Libr. VI. c. 23. §. 4. reperitur nomen *Μαλκώ:* ubi videsis Siebelisii Adnotatt. Vol. III. p. 90. Quod de Latinis dixi, id firmatur Inscriptione ap. Gruter. p. CCCXVII. 7.

D. M.
T. AEL. MALCO. LICTORI. PRAETORIAN.

Hoc autem nomen *Malcus*, adsumpta adspiratione, transiit in *Malchus* et *Malchio:* prius reperitur ap. Gruter. p. MCVIII. 8.

D. M.
C. IVLI. MALCHI.
BETERANI. AVG.
AELIA. IVLIA. CONIVX.
ET. HEREDES. HVIVS.
B. M. F.

quacum conferas aliam Inscriptionem ap. Gruter. p. XCIII. 5., ubi M. Ulpi Malchi mentio fit. Posterius nomen item obvium est in Inscriptionibus apud Gruterum, ut p. DLXXVIII. 2.

T. STATILIVS
MALCHIO.

cui addas licet Inscriptt. p. DXCVII. 6. et p. DCXXVII. 13., in qua *Malchio* et *Anteros* Liberti commemorantur: unde colligi potest, illud nomen *ὑποκοριστικὸν* fuisse.

Sed idem aliis impositum est ludibrii caussa, ut docet Martialis, qui Zoilo, homini effeminato et divitiis superbienti et insulso fastu in convivas insultanti fictum Malchionis nomen tribuit Libr. III. Epigr. 82.

Conviva quisquis Zoili potest esse [29]),
Summoenianas coenet inter uxores,

---

(29) *Zoilus*, homo nobis plane incognitus, terrae filius, fuit, ut ipse Martialis Libr. XII. Epigr. 54. ait, *Crine nuber, niger ore, brevis pede, lumine lucus*, seu, ut ibi legi malim, *lusco*. Satis constat, Zoili, Ὀνηροράστου nomen communiter de quovis homine liuido et ex alieni ingenii obtrectatione laudem quaerente usurpatum esse, ut docet Ovidius

Curtaque Ledae sobrius bibat testa:
Hoc esse levius puriusque contendo.
Jacet occupato galbinatus in lecto:

Remed. Amor. v. 365. „*Ingenium magni detrectat livor Homeri: Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.*“ Jam quaeritur, sitne hoc nomen apud Martialem rectum, an aequalium cuidam suorum ob similitudinem cum isto Sophista Amphipolitano impositum? Eum ut hominem invidum describit Martialis Libr. IV. Ep. 77. et ut virorum doctorum obtrectatorem pungit eum Libr. XI. Ep. 31. Mihi autem consideranti Libr. III. Epigramma 29.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

et Libr. XI. Epigramma 38.

Zoile, quid tota gemmam praecingere libra
Te juvat et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus;
Non eadem digitis pondera conveniunt.

non dubium est, quin Zoilus ex eo hominum genere fuerit, qui ex servilis vitae conditione emersi et ad equestrem evecti dignitatem morum quondam insolentiam et intolerabilem fastum induere solerent, ut iste Sarmentus ap. Horatium Libr. I. Sat. 5. v. 52 — 65. cujus locum ob oculos hic habuit Martialis: vid. Comment. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 7. N. 12. Atqui Martialis non is erat, qui ejusmodi homines directis Epigrammatum aculeis petere subtimuerit. Quare equidem Zoili nomen nego esse fictum, et suspicor potius, illud homini potentiori cuidam, quem recte castigare voluerit poeta Bilbilitanus, fuisse impositum. Hujus Zoili jactantiam in coenarum apparatu, vasorum splendore et superbo vitae mollitie conspicuam Martialis cum alias, ut Libr. II. Ep. 16. 19. 81. Libr. V. Ep. 80. Libr. XI. Ep. 55., tum maxime in hoc, quod consulto excerpsimus, Epigrammate docto et pereleganti castigat. Vers. 2. memorantur *Summoenianae uxores*, ut Libr. XII. Ep. 32. v. 22., irrisorie pro meretricibus, quae prostabant in fornice *Summoenii*, cujus mentionem facit Libr. I. Ep. 35. v. 5.

„*At meretrix abigit testem veloque seraque.*
Raraque Summoeni fornice rima patet.“

cui loco lux afferri potest ex Petronii Sat. c. 26., ubi „*Quartilla per rimam improbe diductam adplicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia.*“ Fuerunt, qui *Summoeni* pro Ablativo Adjectivi acciperent: male! *Summoenium* putatur esse locus Romae sub antiquis Urbis moenibus, ubi meretrices prostarent. Sed Ilgenius in Animadvers. in Virgilii Copam (Halae 1820.) p. 23. dictas putat *Summoenianas uxores* a fornicibus sub Moenio atrio, cujus mentionem fecerit Livius Libr. XXXIX. c. 44. §. 7. „*Cato atria duo, Maenium et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas, in publicum emit; basilicamque ibi fecit, quae Porcia adpellata est.*“ — Ilgenius dedit *Moenium*, alii *Maenium*, a Maenio sive Censore sive a quodam bonorum suorum heluone dictum, de quo expositum est in Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 5. N. 18. Basilica Porcia, quae ex duobus atriis, Maenio et Titio, et quatuor tabernis in publicum a. U. C. 570. emptis facta est, fuit in regione Urbis octava, quae forum Romanum vocatur, et Curiae junctа: videsis Sachsii libr. *Geschichte u. Beschreibung d. alt. St. Rom.* (Hannov. 1824.) Vol. I. p. 504. cl. p. 341. In illius igitur Basilicae Porciae vicinia prope Maenium patrum fuerunt lupanaria, in quibus, quae

Cubitisque trudit hinc et inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci;
Et aestuanti tenue ventilat frigus

---

prostabant meretrices, inde dictae sunt *Summoenianae*. Ilgenius suam sententiam confirmat loco Juvenalis Satir. III. v. 65. ubi *ad Circum jussae prostare puellae* commemorantur: v. Rupertii Commentar. ad l. c. Vol. II. p. 123. N. 18., itemque Carmine in Priap. XXVI. 1. *Deliciae populi, magno notissima Circo, Quintia.* Jam Circo proximum fulsse *Maenianum* seu *Maeniana*, patet ex Suetonii Calig. c. 18. ibiq. Oudendorpius p. 495., qui scripturam *Moenianum* praeferendam ducit secutus Salmasii sententiam derivantis illud a *moenus*, neque a quodam Maenio Censore. Situm illarum fornicum haud procul ab atrio Maenio probat etiam locus Martialis Libr. XI. Ep. 62.

Lingua maritus, moechus ore Manneius,
Summoenianis inquinatior buccis;
Quem cum fenestra vidit a Suburrana
Obscoena nudum lena, fornicem cludit,
Mediumque mavult basiare, quam summum.

De Suburra, Foro Romano finitima, videsis, praeter Donati Romam Vet. et Rec. Libr. III. c. 10. p. 302., Adleri libr. *Beschreibung v. Rom* p. 145 sq. et Boettigeri *Sabina* p. 82. ed. pr. Caeterum in Martialis loco v. 4. pro *lena* mihi videtur ex Codd. et editt. revocanda esse lectio *Leda*, famosa illius aetatis meretrix, memorata Libr. IV. Ep. 4. v. 9., ubi *spurca Leda* audit: hinc Zoilus sobrius dicitur bibere *curta Ledae testa* v. 3. — V. 9. *cuspides lentisci* sunt dentiscalpia: ut Libr. VI. 74. v. 3. *Foditque tonsis ora laxa lentiscis:* et Libr. XIV. 22. *Lentiscum melius: sed si tibi frondes cuspis Defuerit, dentes penna levare potest.* Hinc h. l. *pinnas rubentes* item potueris cum iis, qui h. l. *spinas rubentes* legunt, explicare de dentiscalpiis. Male! Pinnae enim, in. os immissae exonerare solebant helluones stomachum, ut Claudius ap. Suetos. c. 33. Tacit. Annal. XII. c. 67. Zoilus, utpote divitis insolens, usus est pinnis pluma copteri: et dentiscalpiis ex pretiose lentisci ligno factis; vid. Böttigeri *Sabina* p. 50 sq., unde etiam p. 479. lux peti potest v. 11. et 12. — V. 13. *palpatrix* male pro *tractatrix:* effeminati nepotes adhibebant mares femineasque, qui artificio quodam membra fricarent; vid. Senecae locum, quem N. 28. allegavi: inde *tractatores* et *tractatrices*. — V. 15. matellam afferre jubet Eunuchum Zoilus digitorum crepitu, ut ap. Petronium c. 27. *Trimalchio, lautissimus homo, digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit:* ubi videsis Intpp. p. 135. B. et de digitorum crepitu, quo domini vilius aliquid imperantes poscebant, copiose egit Turnebus Advers. Libr. XX. c. 13. XXIV. c. 39. — V. 20. *palaestritae* proprie sunt dicti ministri, qui cestantes oleo perfundebant, ut fuse docuit Valesius ad Ammian. Marcellin. Libr. XV. c. 8. Vol. II. p. 112. W. Neque tamen alienum est, *palaestritas* hic, ut ap. Persium Sat. IV. 39., explicare de *depilatoribus*, de quibus exposuit Salmasius ad Tertullianum de Pallio c. 4. — V. 22. Non omnibus convivis unum idemque cum convivatore visum solitum dari, docuerunt Intpp. ad Petronium c. 31. p. 161. In omnibus Petronii Trimalchio imitatur Zoilum Malchionem Martialis: cf. Burmann. ad Petron. c. 28. p. 167. — V. 21. de *murice aureo* conferas Böttigeri libr. *Aldobrandinisch. Hochzeit* p. 53 sq.

Curtaque Ledae sobrius bibat testa:
Hoc esse levius puriusque contendo.
Jacet occupato galbinatus in lecto:

Remed. Amor. v. 365. „*Ingenium magni detrectat livor Homeri: Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.*“ Jam quaeritur, sitne hoc nomen apud Martialem rectum, an aequalium cuidam suorum ob similitudinem cum isto Sophista Amphipolitano impositum? Eum ut hominem invidum describit Martialis Libr. IV. Ep. 77. et ut virorum doctorum obtrectatorem pungit eum Libr. XI. Ep. 31. Mihi autem consideranti Libr. III. Epigramma 29.

Has cum gemina compede dedicat cateuas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

et Libr. XI. Epigramma 38.

Zoile, quid tota gemmam praecingere libra
Te juvat et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus;
Non eadem digitis pondera conveniunt.

non dubium est, quin Zoilus ex eo hominum genere fuerit, qui ex servilis vitae conditione emersi et ad equestrem evecti dignitatem morum quondam insolentiam et intolerabilem fastum induere solerent, ut iste Sarmentus ap. Horatium Libr. I. Sat. 5. v. 52 — 65. cujus locum ob oculos hic habuit Martialis: vid. Comment. *de C. Valgio Rufo Poeta* §. 7. N. 12. Atqui Martialis non is erat, qui ejusmodi homines directis Epigrammatum aculeis petere subtimuerit. Quare equidem Zoili nomen nego esse fictum, et suspicor potius, illud hominī potentiorī cuidam, quem recte castigare voluerit poeta Bilbilitanus, fuisse impositum. Hujus Zoili jactantiam in coenarum apparatu, vasorum splendore et superba vitae mollitie conspicuam Martialis cum alias, ut Libr. II. Ep. 16. 19. 81. Libr. V. Ep. 80. Libr. XI. Ep. 55., tum maxime in hoc, quod consulto exscripsimus, Epigrammate docto et pereleganti castigat. Vers. 2. memorantur *Summoenianae uxores*, ut Libr. XII. Ep. 32. v. 22., irrisorie pro meretricibus, quae prostabant in fornice *Summoenii*, cujus mentionem facit Libr. I. Ep. 35. v. 5.

„*At meretrix abigit testem veloque seraque.*
Raraque Summoeni fornice rima patet.“

cui loco lux afferri potest ex Petronii Sat. c. 26., ubi „*Quartilla per rimam improbe diductam adplicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia.*“ Fecerunt, qui *Summoeni* pro Ablativo Adjectivi acciperent: male! *Summoenium* putatur esse locus Romae sub antiquis Urbis moenibus, ubi meretrices prostarent. Sed Ilgenius in Animadvers. in Virgilii Copam (Halae 1820.) p. 23. dictas putat *Summoenianas uxores* a fornicibus sub Moenio atrio, cujus mentionem fecit Livius Libr. XXXIX. c. 44. §. 7. „*Cato atria duo, Maenium et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas, in publicum emit; basilicamque ibi fecit, quae Porcia adpellata est.*“ — Ilgenius dedit *Moenium*; alii *Maenium*, a Maenio sive Censore sive a quodam bonorum suorum heluone dictum, de quo expositum est in Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 5. N. 13. Basilica Porcia, quae ex duobus atriis, Maenio et Titio, et quatuor tabernis in publicum a. U. C. 570. emptis facta est, fuit in regione Urbis octava, quae forum Romanum vocatur, et Cariae junctā: videsis Sachsii libr. *Geschichte u. Beschreibung d. alt. St. Rom.* (Hannov. 1824.) Vol. I. p. 504. et p. 341. In illius igitur Basilicae Porcine vicinia prope Maenium atrium fuerunt lupanaria, in quibus, quae

Cubitisque trudit hinc et inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci;
10 *Et aestuanti tenue ventilat frigus*

---

prostabant meretrices, inde dictae sunt *Summoenianae*. Ilgenius suam sententiam confirmat loco Juvenalis Satir. III. v. 65. ubi *ad Circum jussae prostare puellae* commemorantur: v. Rupertii Commentar. ad l. c. Vol. II. p. 123. N. 18., itemque Carmine in Priap. XXVI. 1. *Deliciae populi, magno notissima Circo, Quintia.* Jam Circo proximum fuisse *Maenianum* seu *Maeniana*, patet ex Suetonii Calig. c. 18. ibiq. Oudendorpius p. 495., qui scripturam *Moenianum* praeferendam ducit secutus Salmasii sententiam derivantis illud a *moenus*, neque a quodam Maenio Censore. Situm illarum fornicum haud procul ab atrio Maenio probat etiam locus Martialis Libr. XI. Ep. 62.

Lingua maritus, moechus ore Manneius,
Summoenianis inquinatior buccis;
Quem cum fenestra vidit a Suburrana
Obscoena nudum lena, fornicem cludit,
Mediumque mavult basiare, quam summum.

De Suburra, Foro Romano finitima, videsis, praeter Donati Romam Vet. et Rec. Libr. III. c. 10. p. 302., Adleri libr. *Beschreibung v. Rom* p. 145 sq. et Boettigeri *Sabina* p. 82. ed. pr. Caeterum in Martialis loco v. 4. pro *lena* mihi videtur ex Codd. et editt. revocanda esse lectio *Leda*, famosa illius aetatis meretrix, memorata Libr. IV. Ep. 4. v. 9., ubi *spurca Leda* audit: hinc Zoilus sobrius dicitur bibere *curta Ledae testa* v. 3. — V. 9. *cuspides lentisci* sunt dentiscalpia, ut Libr. VI. 74. v. 8. *Foditque tonsis ora laxa lentiscis.* et Libr. XIV. 22. *Lentiscum melius: sed si tibi frondes cuspis Defuerit, dentes penna levare potest.* Hinc h. l. *pinnas rubentes* item potueris cum iis, qui h. l. *spinas rubentes* legunt, explicare de dentiscalpiis. Male! Pinna enim in os immissa exonerare solebant heluones stomachum, ut Claudius ap. Sueton. c. 33. Tacit. Annal. XII. c. 67. Zoilus, utpote divitiis insolens, usus est pinnis phoenicopteri et dentiscalpiis ex pretioso lentisci ligno factis; vid. Böttigeri *Sabina* p. 50 sq., unde etiam p. 479. lux peti potest v. 11. et 12. — V. 13. *palpatrix* male pro *tractatrix*: effeminati nepotes adhibebant mares feminasque, qui artificio quodam membra fricarent: vid. Senecae locum, quem N. 28. allegavi: inde *tractatores* et *tractatrices*. — V. 15. matellam afferre jubet Eunuchum Zoilus digitorum crepitu, ut ap. Petronium c. 27. *Trimalchio, lautissimus homo, digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit:* ubi videsis Intpp. p. 133. B. et de digitorum crepitu, quo domini vilius aliquid imperantes poscebant, copiose egit Turnebus Advers. Libr. XX. c. 13. XXIX. c. 30. — V. 20. *palaestritae* proprie sunt dicti ministri, qui certantes oleo perfundebant, ut fuse docuit Valesius ad Ammian. Marcellin. Libr. XV. c. 8. Vol. II. p. 112. W. Neque tamen alienum est, *palaestritas* hic, ut ap. Persium Sat. IV. 39., explicare de *depilatoribus*, de quibus exposuit Salmasius ad Tertullianum de Pallio c. 4. — V. 22. Non omnibus convivis unum idemque cum convivatore vinum solitum dari, docuerunt Intpp. ad Petronium c. 31. p. 161. In omnibus Petronii Trimalchio imitatur Zoilum Malchionem Martialis: cf. Burmann. ad Petron. c. 28. p. 137. — V. 27. de *murice aureo* conferas Böttigeri libr. *Aldobrandinisch. Hochzeit* p. 53 sq.

Supina prasino concubina flabello;
Fugatque muscas myrtea puer virga.
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris.
Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatae suscitator urinae
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retro flexus ad pedum turbam
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palaestritis,
Et concubino turturum nates donat:
Ligurumque nobis saxa quum ministrentur,
Vel cocta fumis musta Massilitanis;
Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque myrrhinisque propinat.
Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere moechae pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus stertit:
Nos accubamus, et silentium ronchis
Praestare jussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus;
Nec vindicare, Rufe, possumus; fellat.

En hominem malacum, vitae deliciis diffluentem et eadem fere fastus morumque protervia ferocientem, qua Trimalchionem suum depingit Petronius: id quod jam ab aliis observatum est. Non vacat hic quaerere, quis iste *Trimalchio* fuerit, cum omnes, quod sciam, Petronii Editores in eo consentiant, illud nomen confictum esse et personae alicui tributum, quam Satyrici scriptor styli sui acumine notare et directe confodere verecundaretur [30]). Nos hic unice nominis illius et formam et potestatem spectamus. Libri scripti et editi apud Petronium illud *Trimalcio* et *Trimalchio* exhibent, ut adnotarunt Editores ad Satyr.

30) Alii *Neronem* Imperatorem, alii *Claudium* a Petronio ficte Trimalchionis nomine perstringi existimarunt: videsis Haidr. Valesii et Wagenselii dissertationes in Petron. edit. Burmanni Vol. II. p. 309 sq. et p. 317 sqq.

c. 27. Vol. I. p. 132. Burm. Hinc Virorum Doctorum sententiae de ejus originatione discrepant. Rectissime Gonsalius de Salas censuit, Trimalchionem dictum esse quasi τρὶς μαλακόν. Cui cum opposuit Schefferus, a μαλακὸς non *malcionem*, sed *malacionem* debuisse deduci, in promptu est videre, quantopere fallatur. Quae olim a Meursio in Animadvers. Miscell. Libr. I. c. 11. aliisque prolata et commendata est ejus originatio, ex linguae Syriacae fonte deducta, ea quamvis jam a Meibomio in Maecenate c. XX. §. 10. p. 122. merito fuerit explosa, tamen novum nuperrime nacta est patronum, Niebuhrium, in pererudita Commentatione de Petronii aetate [31]). Scilicet Vir eximius, quae est excellens ejus ingenii perspicacitas, futilem istam nominis explicationem adoptasse mihi videtur opinatus, inde suae de M. Antonio Encolpo, personato isto Trimalchione, conjecturae aliquid commendationis accessurum esse, quo tamen ea facile poterat carere. Ut concedam, Alexandri Severi Imperatoris aetate, qua Petronium vixisse credit Niebuhrius, Romae haud incognita fuisse vocabula Syriaca; tamen adduci non possum, ut illius temporis lurconi cuidam, divitias licet tribus amplas regibus possidenti, hybridae originis nomen impositum esse putem a Petronio, cui jam Martialis in Zoilo, Malchione suo, ejusmodi hominis et exemplum et nomen praeiverat. Omitto hic alia, quibus improbabilis reddatur Niebuhrii sententia, a qua discessionem etiam fecit Fr. Theoph. Welckerus [32]) in Judicio de Philostratis et de

31) Illa Commentatio a Niebuhrio recitata est in consessu Academ. Doctr. Berolin. a. 1823. et edita in libr. *Abhandl. d. historisch-philol. Klasse* a. 1822—23. hoc titulo: *Zwei classische lateinische Schriftsteller des dritten Jahrhunderts.* p. 230—260. ubi p. 254. ita disputat: „— und *da wohl kein Mensch jemals Trimalchio geheissen, so konnte dem Schöpfer des Namens ebensowohl in den Sinn kommen, den Namensgenannten des Triumvirs* (M. Antonius Encolpus) *kenntlich zu machen, als auf* divitias tribus amplas regibus *anzuspielen. Wenn es zu Rom überhaupt wohl keiner seltenen Sprachkenntniss bedurfte, um zu verstehen, was Malech im Syrischen bedeute, so wusste es doch gewiss jedermann, seitdem Rom syrische Kaiserinnen hatte und durch sie mit Syrern angefüllt war.*“ Legitur etiam illa Commentatio in Niebuhrii libr. *Kleine historische u. philologische Schriften.* (Bonnae 1828.) Vol. I. p. 340.

32) Vid. *Philostratorum imagines et Callistrati statuae.* Edidit Fr. Jacobs. Lipsiae 1825.

Callistrato p. LX. N. 3., cui Petronii *Trimalchio*, *Τριμαλχίων*, eodem dictus videtur modo, quo *Τριφάλης* ab Aristophane et *Triphallus* a M. Terentio Varrone. Recte Welckerus ad Graecam illius nominis originem redit et nomina *Malcus*, *Malchius*, *Malchio* confert, a v. *μαλαχὸς* aperte deducta. Idem accommodate allegat ex Plauti Trucul. v. 575.

Tun' putili doni causa,
Olerum atque escarum et poscarum, moechum malacum, cincinnatum,
Umbraticolam, tympanotribam, amas, hominem non nauci? —

et ex Naevii Lycurgo

Pallis, patagiis, crocotis, malaciis mortualibus.

apud Nonium s. v. *caltulam* p. 548, 27.: nam sic Bothius in Poet. Scen. Lat. Vol. V. P. 1. p. 88. N. 12. ex Veneta Pincii edidit *malaciis*, *μαλαχίαις*, pro vulg. *malatiis*. Illud substantivum agnoscit Welckerus, Lambinum secutus, etiam apud Plautum Bacchid. v. 20. „*ne tibi lectus malaciam apud me suadeat?*“ ubi vulg. *malitiam* mihi quoque vehementer displicere fateor. Cum Naevii fragmento idem Vir Doctus comparat locum Pindari Nem. X. v. 44. *ἐκ δὲ Πελλάνας ἑπισσαμένοι νῶτον μαλαχαῖσι χρόαις*. Denique ad explicandum Trimalchionis nomen aptissime profertur Horatii *Malchinus* tunicis demissis ambulans, cujus nomen aeque fictum est et ejusdem originis atque illud Petronianum.

Quis enim his, quae disputavimus, diligenter perpensis dubitet, quin fictum illud *Malchini* nomen ex voc. *malacus*, *malcus* derivatum et, ut alia id genus nomina, a Malaco *Malacinus* et a Malco *Malcinus* formatum sit? Accessit deinde adspiratio, sive ex ipsa radice verbi Graeci, ut in *μαλάχη* et *μαλάχιον*, unde apud Latinos *molochinum* et *molochinarius*, teste Nonio p. 548, 14., sive ex pronuntiationis consuetudine profecta, qua factum est, ut vel n. *Graecinus* in Inscript. ap. Gruter. p. CLXXII. 3. *Graechinus* exaratum inveniatur: inde igitur natum *Malchinus*, *Μαλχῖνος*, ut *Λυκῖνος*, *Χαρῖνος* et *Φιλῖνος*,

puer formosus, amasius Arati poetae, ap. Theocrit. Idyll. VII. v. 105. ibiq. Scholia [33]). Praeeuntibus antiquis Latii poetis, qui Gr. μαλαχὸς civitate velut donaverant, Horatius, ut omnino Latium divite lingua beavit, ita hoc quoque nomen felici acumine procudisse existimandus est, quo hominem mollem ac dissolutum designaret et tecte carperet. Horatii exemplum secutus Martialis Zoilo suo *Malchionis* nomen fecit, et Petronius profligatae mollitiei popinonem ficto nomine appellavit *Trimalchionem*, quasi hominem τριμάλαχον. Qui cum appellari voluit in Inscriptione sepulcrali, ut Petronius c. 71. refert, *Trimalchio Maecenatianus*, nemini, opinor, obscurum erit, quae sit hujus nominis ratio maxime probabilis. Maecenatis nomen, ut supra vidimus, serius commune factum est ac θετικὸν pro quovis homine molli ac delicato. Hinc Trimalchio, homo vanissimus, *Maecenatianum* dici et tumulo inscribi gestiebat, non quod, ut Burmannus opinatur, quondam in Maecenatis fuerit familia et ab eo manumissus hoc agnomen assumpserit, sed, ut N. Heinsius acutissime monuit, quod nobilissimum illum virum, eumque lautissime delicatissimeque viventem, in moribus et vitae genere aemulatus fuerit et, quae erat stolida ejus jactantia, illum videri voluit assecutus esse [34]).

---

33) Alia id genus nomina, ut Ἀνθρωπῖνος, Ἀγαθῖνος, Ἀρχῖνος, Ἀρταγῖνος, Εὐκαλῖνος, Χαρωπῖνος, collegit Valckenarius ad Herodot. Libr. IX. c. 15. Vol. VI. p. 235. Schw. cf. Sturzius de Nominibus Graecorum in Opusc. p. 42 sq.

34) Jo. Casp. Orellius in Inscriptionum Lat. Select. Ampliss. Collect. Vol. I. Cap. III. p. 257., ubi inscriptionem in via Aurelia inventam, cui Niebuhrius suam de Petronio, saeculi tertii post Chr. n. scriptore, conjecturam superstruxerat, denuo exhibuit, Cataldum Jannellium in *Codice Perottino*. Neapoli 1811. T. 2. p. CXXIII. complura argumenta haud contemnenda collegisse ait, quibus evinceret, Petronium Claudii et Neronis aequalem fuisse. Equidem Jannellii opus numquam vidi, ita ut nesciam, sitne ille argumentis gravioribus usus quam Burmannus, qui in Praefatione Vol. I. Satyrici illius scriptorem eidem aetati asserere adnisus est. Jam Orellius, Jannellii sententiam amplexus, duo praeterea dicit a se reperta esse argumenta, velut illius sententiae adjumenta ac fulcra, quorum quidem prius ex cap. 71. repetitum ipsius Orellii verbis referam: „Trimalchio, inquit, nominatur: *G. Pompejus Trimalchio Maecenatianus*, id est, vel *Maecenatis libertus*, vel potius, ut opinor, *Maecenatis liberti libertus* (nam quae de domino heraque narrat, ad Maecenatem sane atque Terentiam referri nequeunt) uti ANNA LIVIAE

Quae hactenus disseruimus, eo spectabant, ut cum plurimorum Codicum lectionem *Malchinus* stabiliremus, tum simul ejus nominis vim et potestatem enucleàremus. Ejusdem lectionis gravissimi vindices exstiterunt Bentlejus et Fea: prior eorum de ipso Malchino nihil suspicionis protulit; posterior nomen personae cujusdam proprium esse pariter ac *Rufillus* et *Gorgonius* censuit. In eadem sententia fuerunt etiam Torrentius et Meibomius in Maecenate c. XX. §. 16., qui, probata Codd. lectione *Malthinus*, idem nomen vere Romanum fuisse contenderent usi testimonio ac fide Justini, qui Libr. XXXVIII. c. 3. et 4. mentionem facit *Maltini*, Romanorum legati, a Mithridate in Cappadocia fusi victique. Justinus c. 3. §. 4. *Eodem tempore, mortuo Nicomede, etiam filius ejus et ipse Nicomedes regno a Mithridate pellitur; qui*

MAECENATIANA Gori *Columbar.* in Poleni Thesaur. T. 3. p. 150, 97. Cfr. Mur. 1678, 10. 1704, 9. et 10., quae, si sincera sunt, ad seculum Augusteum et subsequens spectant, uti ea quoque, quae praebet Gruterus: si quidem ultimus Maecenas Gruterianus (in longissimo illo albo Tribus Succussanae p. 240. *P. Maecenas Olympicus*) aequalis est Vespasiani. Tales vero Alexandri Severi tempore jam nulli erant; neque ejusmodi facete dictum tunc ullam gratiam vel leporem habuisset." Vehementer miror, latuisse Orellium, idem argumentum jam a Burmanno ad Petronii Satyr. c. 71. Vol. I. p. 468. prolatum et multo diligentius doctiusque esse expositum! Equidem in ea sum sententia, ut Petronium seriori, quam cum Burmanno Orellius putat, aetate vixisse, eumque Martiale, cujus annum fatalem Dodwellus in Annal. Quintil. §. 38. a. U. C. 854. assignat, longe juniorem fuisse statuam. Jam Orellio neganti, vix Vespasiani, nedum Alexandri Severi tempore ullos exstitisse *Maecenatianos*, totus assentior; at eidem contendenti, Petronii aetate infra Claudii et Neronis imperium rejecta, omnem illius nominis gratiam et leporem perire, ingenue confiteor, me non assequi, quid tandem gratiae ad leporis petere potuerit G. Pompejus Trimalchio, quem Maecenatis *liberti libertum* fuisse suspicatur Orellius, ex nomine, quod vel suam ipsius vel heri sui servitutem posteritati notam testatamque faceret? Non hercle is erat Trimalchio, in quem tantus caderet stupor! Verum enim vero iste homuncio cum suo tumulo inscriptum esse vellet: *C. Pompejus. Trimalchio. Maecenatianus. Hic. Requiescit.*, id unice spectavit, ut Maecenatem in omni vitae genere repraesentasse a posteris putaretur. Hoc sane conveniebat vanitati et arrogantiae hominis istius, quem *lastaurum* et *lurconem* et *nebulonem popinonemque* haud inepte appellaveris usus verbis *Lenaei* apud Suetonium de Illustr. Gr. c. 15. Itaque quis non videt, ex Heinsiana demum illius nominis explicatione toti loco et gratiam accedere et leporem, perfaceto Petronii ingenio dignissimum? Ita autem scribere poterat Petronius vel Alexandri Severi aetate. Nam *Maecenatianus* communiter dici poterat eodem modo, quo Catullus C. XIV. v. 3. *odium Vatinianum*, et Cicero ad Attic. II. Ep. 6. scribendi *genus Theopompinum* dixerunt.

cum supplex Romam venisset, decernitur in Senatu, ut uterque (Ariobarzanes et Nicomedes) *in regnum restituantur: in quod tum missi Aquilius et Manlius Maltinus legati.* Ibidem §. 8. *Non magno igitur labore Aquilium et Maltinum Asiano exercitu instructos vincit.* Et c. 4. §. 4. *ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilium et Maltinum in Cappadocia fuderint.* Ita apud Justinum edidit Abr. Gronovius; sed alterius legati nomen haud immerito in dubium vocatum est. Appianus de B. Mithrid. c. 11. illius legationis principem nominat Manium Aquilium, cujus etiam meminit Epitomator. Livii Libr. LXXVII. ibique vide Drakenborch. Vol. XIII. p. 43 sqq. Fuit is Consul a. U. C. 653. Jam cum vett. quidam libri scr. ap. Justinum habeant *Aquilius* et *Marcus Attilius* [35]), Bongarsius legendum conjecit *Manius Aquilius* et *M. Attilius*; Thom. Reinesius in Epist. 23. ex Vincent. Bellovacensis Libr. VI. Spec. Hist. c. 101. legit: *Aquilius et M. Acilius.* A Pighio Annal. ad a. U. C. 663. T. III. p. 225. hi legati dicuntur *M'. Aquilius* Consularis et Triumphalis et *M'. Acilius* Praetorius. Denique Freinshemius in Supplem. Livii Libr. LXXIV. 11. eos appellavit *M'. Aquilium* et *Manilium Mancinum*, respiciens locum Appiani de B. Mithrid. c. 19., de cujus sanitate etiam atque etiam dubitandum arbitratur Schweighäuserus Vol. III. p. 604. Sed utcumque de vera apud Justinum lectione judicatur, id saltem in confesso est, a Torrentio et Meibomio injuria Justinum testem excitari, cujus auctoritate suae sententiae de *Malthini* nomine vere Romano fidem concilient. Omitto hic alias, quibus illa opinatio premitur, difficultates. Quod si illud verum gentis Romanae cognomen fuit, quis permirum esse neget, quod in nullo antiquitatis monumento servatum reperiatur? Hoc cum Meibomius, ut videtur, sensisset, non plane alienum se esse profitetur a suspicione Tiraquelli in Semestr. ad Alexandr. ab Alexandr. Gen.

35) In Codice Justini Cracoviensi, cujus lectionum varietatem publici juris fecit *J. H. St. Rzesinski* in Comment. de Justino Trogi Pompeji Epitomatore. (Cracoviae 1826.), is p. 70. scriptum invenit *Mallitius* pro *Maltinus*.

Dier. Libr. V. c. 18., Lambini, C. Barthii aliorumque, qui ficto *Malthini* nomine alium quempiam Romanorum, mollitie famosum, proscindi opinentur. Et fuerunt quibus in mentem veniret *Cn. Demetrius* Pompeji Magni libertus et in cunctis expeditionibus comes gratiosissimus ac potentissimus: de quo vide Dion. Cass. Libr. XXXIX. c. 38. ibiq. Intpp. Vol. V. p. 229. St. Is, auctore Plutarcho in Vit. Pompeji c. 40., delicias faciens eo insolentiae progressus est, ut subinde, operiente in conviviis et alios excipiente Pompejo, ipse jam discubuerit, caput habens toga obtectum. Atqui hominum erat mollium ac delicatorum, capite palliato sedere aut incedere. Ita Plautus in Curcul. Act. II. Sc. 3. v. 9.

Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant.

Et quemadmodum de Maecenate notat Seneca Epist. CXIV. §. 6. „*Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter quam in Mimo divite fugitivi solent;* ita Trimalchio iste Maecenatianus, id est Maecenatis simius, apud Petronium Satyr. c. 28. *involutus coccina gausapa*, c. 32. *pallio coccineo adrasum excluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Cum igitur Demetrius ille discubuisse dicatur a Plutarcho ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον; nonnullis Viris Doctis verisimile est visum, hujus Demetrii mollitiem ficto Malchini nomine notatam esse ab Horatio. At hic non palliatum Malchini sui caput, sed *demissas tunicas* notat. Hominis gnavi erat et strenui, vestes alioqui fluxas cingulo constringere: in *cinctura* tunicae et *praecinctura* togae (vid. Graevius ad Suetonii Jul. Caes. c. 45.) magna putabatur esse significatio animi cujusque et morum. Discincti et vestitu affluentes apud veteres male audiebant [36]). Qui modesti erant et antiquae disciplinae studiosi, solebant ita cingi, ut tunicae prioribus oris infra

36) Videsis Gellii N. A. Libr. VII. c. 12. et Salmasium ad Scr. Hist. Aug. T. II. p. 556 sq. et ad Tertulliani d. Pall. p. 339. itemque Casaubonum ad Theophr. Char. X. p. 133. F.

genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque pervenirent, ut ait Quintilianus Inst. Or. Libr. XI. c. 3. §. 138. ibique Spaldingius Vol. IV. p. 441 sq. cl. Buttmann. in Addendis p. 715. Cicero de Offic. Libr. I. c. 36. in vestitu mediocritatem adhibendam esse praecipit: hanc secutus Augustus togis neque restrictis neque fusis usus est, teste Suetonio c. 73. Et Cicero pro Cluentio c. 40. caussam odii, in quod Quintius incurrerit, non solum mores ejus et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum esse dicit atque illam usque ad talos demissam purpuram, et Catilinae socios velis amictos, non togis appellat Or. II. c. 10. Igitur in vestium laxitate ut insolentiae et arrogantiae argumentum erat, ita etiam animi mollis et effeminati morumque dissolutorum: hinc Anthemonides miles apud Plautum in Poenulo Act. V. Sc. 5. v. 24.

Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissiciis. Matronarum, non virorum erat, stolas ad talos demissas gestare: vid. Horat. Libr. I. Sat. 2. v. 99. ibiq. Intpp.

Jam ejusmodi tunicas demissicias, ποδήρεις s. ποδηνεκεῖς, talares, gestabat Malchinus, quem sic muliebris mollitiei insimulabat Horatius, non item Demetrius, iste Pompeji libertus. Proinde alium, qui hic tecte carpatur, circumspicientibus Viris Doctis hominem, succurrebat iste tribunus militum, quem Poeta Venusinus amarulentis iambis proscidit Epodo IV. Is, ut Scholiastae attestantur, fuit *Menas* seu *Menodorus* [37]), Cn. Pompeji Magni libertus, qui piraticis Sexti Pompeji navibus praefectus ducis strenui laudem perfidiae labe contaminavit. Nam cum Sexto Pompejo in suspicionem venisset praetor Sardiniae, evocatus ab eo dicto non tantum audiens non fuit, sed etiam insulam cum classe et exercitu Octaviano tradidit a. U. C. 716. Ab hoc libentissime exceptus et tanto in honore habitus est, ut aureis annulis decoratus in equestrem ordinem adscribere-

37) De hac nominum contractione, quae blandientium est, conferatur Sturzius de Nomin. Graec. in Opusc. p. 45. A Dione Cassio Libr. XLVIII. c. 30. et Appiano d. B. C. Libr. V. c. 81. dicitur *Menas* ipsius Sexti Pompeji libertus: sed Vellejus Paterc. Libr. II. c. 73. eum et Menecratem *paternos libertos* appellat.

tur, auctore Dione Cass. Libr. XLVIII. c. 45. Sed idem Menas, *ἄπιστός τε φύσει ὢν καὶ τὰ τοῦ κρείττονος ἀεὶ θεραπεύων*, ut ait Dio Cassius Libr. I. c. 54. a. U. C. 718. in. ad Sext. Pompejum rediit et, clade Octaviano illata, hujus pollicitationibus veniaque adductus denuo Sext. Pompejum deseruit eodem anno, ut tradit Dio Cass. Libr. XLIX. c. 1. Periit a. U. C. 719. in Pannonia, teste Dione Cass. Libr. l. c. 37. Non est profecto, quod levidensibus diversitatis notis inducti in dubium vocemus Scholiastarum fidem contestantium, hunc ipsum Menam, Pompeji libertum, tanta iamborum rabie laceratum esse ab Horatio [38]). Mihi quidem videtur haec Epodos composita esse per illud tempus, quo iste homo ob perfidam a Sext. Pompejo fugam equestri dignitate condecoratus ab Octaviano, fortasse Romam aliquando venerat et ibi importuno fastu suo summam omnium in se concitaverat indignationem. Horatius hac communi omnium indignatione incensus in eum vehementer invehitur pristinam ignobilitatem et servitutem ei exprobrans ejusque indignam morum insolentiam carpens v. 5.

Licet superbus ambules pecunia;
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?

Non mirum me habet istiusmodi gestus habitusque in homine, qui nuper militaverat in ejus castris, qui se Neptuni filium confessus (vid. Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 19. et 48. ibiq. Intpp. T. V. p. 550. St.), graves jactantiae suae poenas ad Mylas dedit a. U. C. 718., cum *actus freto Neptunius*

Dux fugit, ustis navibus
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.

---

38) Vide doctam Caroli Fean adnotationem ad Horatii Epod. IV., cui titulum fecit: *In Caesium Pompejum Caei Libertum Menam.*

ut acerbe canit Horatius Epodo IX. v. 7 sq. Verum enim vero nemini obscurum esse potest, istum Menam ab Horatio non tam ob mollitiem perstringi, quam propter superbam insolentiam, qua se hominum turbae in via sacra et Appia spectandum ingereret: unde consequens est, non posse eum ficto *Malchini* nomine intelligi. Accedunt etiam alia, quae nobis dissuadeant, ne utrumvis Pompeji libertum, aut Demetrium aut Menam, tecte ab Horatio vellicari putemus. Primum enim uterque Pompejanus erat: quid tandem obstiterit, quominus oppressae nunc in civitate partis sectatores directis nominibus produceret is, qui ne Octaviani quidem familiaribus potentissimis pepercerit eosque nominatim deriserit? Deinde dubitari potest, fuerintne illi satis notabiles et insignes vita sua et moribus, ut, lecto *Malchini* nomine, quilibet facile intelligeret, quem poeta in mente habuisset? Denique vera si est Acronis Bentlejique observatio, hanc nominum commutationem constanter eodem numero et quantitate syllabarum a poetis factam esse, ut pro ficto nomine verum facile posset a legentibus substitui; in promptu est videre, quantum utriusque illius liberti nomen a ficticio *Malchini* nomine discordet.

Quae cum ita sint, alium quempiam ex Horatii aequalibus necesse est quaeramus, cujus et nomen et vita, quantum quidem ex historia sciamus, cum commenticio isto Malchino magis, quam caeterorum, quos memoravimus, virorum concordet, et cujus tum ea fuerit in civitate auctoritas ac potentia, quae liberrimi caetera oris poetam redderet cautiorem et ad reticendum verum nomen paene cogeret. De Octaviano cogitari nequit, utpote quem vidimus mediocritatem in vestita adhibuisse; Horatio autem pro Satirae suae consilio in scenam producendus erat aliquis, qui in vestitu habituque medium tenere nesciret. Neque etiam M. Antonius intelligi potest; nedum M. Lepidus, quem omnium illius temporis Romanorum nequissimum, ne vituperandi quidem caussa, ulla mentione dignatus est Poeta Venusinus. Antonio autem nunquam non pepercit vel oblata ejus commemorandi occasione nescio dicam an necessitate quadam, ut Libri I. Oda 37.: quod non tam

metu contemptuve, quam favore quodam et studio factum esse suspicor, nutrito illo per Asinium Pollionem et Julum Antonium, Marci Triumviri filium, quocum familiaritatem ei intercessisse testis est Libri IV. Oda 2. Praeterea, cum Horatius Satiram secundam scribebat, M. Antonius et M. Lepidus Urbe aberant, ut horum vita et mores ne possent quidem illius irrisioni ac vituperio patere. Jam secundum Triumviros nemo tum Romae fuit, qui sua vitae publicae privataeque dignatione Poetae hominum, qui tum vivebant, vitia irridenti castigantique verecundiam et metum posset injicere, nisi Maecenas et Agrippa. Eccui autem, qui illius temporis historiam novit, ambiguum esse potest, utri eorum confictum illud *Malchini* nomen conveniat?

Ita igitur via quadam et ratione progressi eo pervenimus, ut vel inviti fidem habeamus veteribus Horatii Commentatoribus, qui item antiquiores auctores secuti tradunt, C. Cilnium Maecenatem ab Horatio ficticio *Malchini* nomine designatum et tecte vellicatum esse. Nam Acron Scholiastes ad h. l. „*Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur. Composuit autem nomen, quasi a μαλθαχὸς Malthinus. Mecoenatem* (sic!) *tangit: varicosus enim fuit, delicatior et solutus.*“ Idem hanc nominis permutationem memorat ad v. 64., quam adnotationem jam §. 5. protuli. Porphyrion haec: „*Sub Malthini nomine quidam Mecoenatem suspicantur significare* sc. Horatium. *Ab re tamen finxit: μαλθαχὸς enim quasi μαλαχὸς dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare, eorum est, qui se molles ac delicatos haberi velint.*“ Et Scholiastes Cruq. „*Malthini, nomine quidam Maecenatem significari suspicantur. A re autem ipsa fictum est nomen: μαλθαχὸς enim et μαλαχὸς idem est, quod mollis et delicatus. Porro autem tunicis demissis ambulare, eorum est, qui se molles et delicatos haberi volunt.*“ Porphyrion et Scholiastes Cruq. hac in re aliorum fidem et testimonium secuti sunt, nec dubium est, quin ab iis respiciantur ii, qui de *Personis Horatianis* scripserant: id quod etiam Heindorfius ad h. l. p. 34. observavit.

Jam nostrum est, ut Scholiastarum hac in re auctori-

tatem idoneis scriptorum testimoniis communiamus, et collectis, quae per varios scriptores dispersa latent, animi vitaeque Maecenatis velut lineamentis, effigiem exprimamus apprime convenientem Malchino, cujus imaginem Horatius, mirificus in depingenda hominum vita artifex, perpaucis licet verbis, verissimis tamen coloribus adumbravit. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, *vir fuit*, ut Vellejus Paterculus Libr. II. c. 88. §. 2. ait, *ubi res vigilium exigeret, sane exsomnis, providens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens.* Non commemoro, quantum is, teste Tacito Annal. Libr. I. c. 54., pantomimis et, ut Plinius N. H. Libr. VIII. c. 68. s. 43. Vol. III. p. 516. memorat, epulārum deliciis indulserit, ita ut Seneca de Providentia c. 3. §. 9. eum *voluptatibus marcidum et felicitate nimia laborantem* dicat, addatque ibidem §. 10. *Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint.* Quo Senecae loco confirmatur id, quod jam supra §. 6. contendi, Maecenatem, quem perpulchre Seneca Epist. XCII. §. 32. dicit ingenium et grande et virile suum secum discinxisse, vitae suae mollitie id esse consecutum, ut ipsius nomen pro molliculis quibusque hominibus poneretur. Ex hoc genere est etiam alius locus Senecae Epist. CXX. §. 20. *Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt: et modo parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et contentus vili Tubero: modo Licinum divitiis, Apicium coenis, Maecenatem deliciis provocant.* Verum tamen imprimis discinctus Maecenatis vestitus et fractus mollisque incessus ore aequalium posterorumque scriptis celebratus est, prout quisque eum vel probaret vel improbaret. Ita Martialis, accepta cum litteris a M. Antonio Primo Tolosano toga elegantiori, his verbis gratias agit Libr. X. Ep. 13.

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniae dona severa togae:

Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti;
Vellet Maecenas, Caesarianus eques.

ubi pariter atque in Senecae loco, paulo ante allato, Maecenas et Apicius cum acumine quodam conjunguntur et C. Fabricio Luscino opponuntur. Neque mihi dubium est, quin Horatius *ambulandi* verbum cum delectu posuerit, quo verius fractam et delicatam Maecenatis incessum designaret. Cum enim v. *ambulare*, ex Graeco ἀναπολεῖν, ἀμπολεῖν, ut ap. Pindar. Nem. VII. v. 154. τρὶς τετράκι δ' ἀμπολεῖν, ortum, ut Vossius in Etymol. p. 23. docet, sit eundo spatia facere et in sua vestigia reflecti; apertum est, quam accommodatum illud sit homini, quem, ut habitus vestitusque insolentiam affectaret, ita etiam incedendo deliciias fecisse probabile est [39]). Jam quibus verbis ac veluti coloribus ab Horatio depictus est *Malchinus* tunicis demissis ambulans, iisdem fere usus verbis Maecenatis vitam et mores describit Seneca Philosophus, ita ut hunc locum Horatianum ob oculos habuisse videatur. Ille enim Epist. CXIV. amico quaerenti, qui fiat, ut quibusdam temporibus corrupta provenerit oratio, primariam ejus rei

---

39) Huic sententiae meae neutiquam repugnat Juvenalis Sat. I. 66
quum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
Et multum referens de Maecenate supino
Signator, falso qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
quo in loco Meibomius in Maecenate c. XX. §. 29. perperam v. *supinus* explicat de incessu erecto, qualis est superborum et inflatorum, ut docuit Casaubonus ad Persii Sat. I. v. 129. p. 163. Sed Maecenatem, sive naturali vitio sive adsciticio, ὑφαύχενα incessisse, nusquam memoriae proditum legimus: et sicut alienus ille erat ab arrogantia, ita haud dubie etiam a corporis gestu abhorrebat istud animi vitium palam faciente. In Juvenalis loco v. *supinus* proprie commendum est de eo, qui socordius negligentiusque in lecto jacet. Ita Octaviano exprobravit M. Antonius ap. Suetou. c. 16. cum *supinum, coelum intuentem, stupidum cubuisse.* Cum ignavia notione conjuncta est significatio mollitiei et deliciarum: inde Martialis Libr. II. Ep. 6. v. 13. *delicias supinieres* dixit. Ego non multum absum, quin v. *ambulare* n. *watschela* de Maecenate usurpatum respondere putem Gr. σαλεύειν: de quo vide Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 7. N. 23. Fuit enim Maecenas non tam ὑφαύχην quam σαλάχων: in quem cadebant verba Aristophanis Vespp. v. 1169. εἶτα πλουσίως αὖθι προβὰς τρυφερόν τι διασαλαχώνισον. Adde Clement. Alexandr. Paedag. Libr. III. c. 11. p. 185. Sylb. τὸ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν καὶ ἐξυπτιάζοντα παραβλέπειν εἰς τοὺς ἀπαντῶντας, εἰ ἀποβλέπουσιν εἰς αὐτόν.

caussam sitam esse ait in vita publica, et disciplina moribusque civitatis. Ad illius rationem attemperari solere orationem, probat exemplo Maecenatis §. 4. „*Quomodo Maecenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus aeque soluta est, quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni ingenii vir fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione diffluere-ret. Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, et errantem, et licentiae plenam.*“ Et prolatis aliquot istius eloquentiae Maecenatianae speciminibus, quibus probaret, mores quoque ejus non minus novos et pravos et singulares fuisse, pergit §. 6. „*Non statim haec quum legeris, hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis in urbe semper incesserit? Nam etiam quum absentis partibus Caesaris fungeretur, signum a discincto petebatur. Hunc esse qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter quam in Mimo divite fugitivi solent?*“ Idem §. 6. „*Hunc esse, cui, quammaxime bellis civilibus strepentibus, et sollicita urbe et armata, comitatus hic fuerit in publico: spadones duo, magis tamen viri, quam ipse.*“ Consulto haec exscripsi, quandoquidem ita comparata sunt, ut ea plenissimi in illum Horatii locum Commentarii vices teneant. Qui Elegiam in obitum Maecenatis compilavit miserrimus versificator, quamvis vix in idoneorum testium ordinem ac numerum recipi possit, tamen, cum sine dubio antiquos ea in re secutus sit auctores, videtur non prorsus indignus esse, qui et ipse hic audiatur [40]). Is igitur v. 21 sq.:

40) Elegiam illam ingenii scholastici fetum esse, dubio caret: vide Wernsdorfii P. L. M. Tom. III. p. 122 sq., sed pariter nequit dubitari, quin nonnulla in ea occurrant ex antiquis limpidisque hausta fontibus. Ruhkopfius ad Senecae Epist. CXIV. §. 4. desumpta quaedam putat ex deperdito Commentario Lollii cujusdam de Maecenate ob v. 10. Cf. Baehr. in *Geschichte d. Roem. Litteratur* §. 144. p. 218.

Quod discinctus eras animo quoque, carpitur unum,
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo:
Quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.
Invide, quid tandem tunicae nocuere solutae?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
Num minus Urbis erat custos et Caesaris obses?
Num tibi non tutas fecit in Urbe vias?

Atque testium, quos hac in caussa produximus, agmen claudat is, qui consulto a nobis in postremum rejectus est locum, utpote omnium gravissimus et locupletissimus. Dico Augustum Imperatorem, qui cum Maecenatem suum nosset esse stylo remisso, molli et dissoluto, talem se in epistolis, quas ad eum scribebat, saepius exhibebat, et contra castigationem loquendi, quam alias ille scribendo servabat, in epistola quadam familiari cum plura alia in jocos effusa, tum etiam haec, ut Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4. p. 359. Z. refert, subtexuit: „*Vale, mel gemmeum Medulliae, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum zmaragde, jaspis figulorum, berylle Porsenae, carbunculum Italiae, καὶ ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα moecharum*“: ut cum Casaubono ad Suetonii Octav. c. 86. scribendum duco. Ecce hic *Malchinum tunicis demissis ambulantem*, derisum ab Horatio ea in Satira, in qua praecipue adulteria et incesti amores aequalium perstringuntur!

Jam haec scriptorum veterum testimonia Scholiastarum fidem et auctoritatem mirifice stabiliunt omnique paene dubitatione eximunt. Quapropter eis assensum praebuerunt Julianus Aurelius, Jodocus Badius, P. Gualth. Chabotius, alii, et commemorati et vituperati a Meibomio in Maecen. c. XX. 3. p. 122. Quid? quod Lambinus noluit pertinacius repugnare contendenti, Maecenatem, non ullum alium ab Horatio significari. Sine ulla dubitatione in Scholiastarum sententiam transiere Turnebus Advers. Libr. VI. c. 9. et Baxterus, in eo tantum falsus, quod Horatium de Maecenate, patrono jam et amico, hic jocatum esse opinatus est male usus Persii loco Sat. I. v. 116. At post

illos aliis satius visum est Torrentium sequi, qui istam Maecenatis irrisionem et audacem periculosamque et alienam ab humano poetae animo esse arbitratur. In his nomen profitetur suum Dacerius T. VI. p. 78., cui adstipulatur Sanadonus T. V. p. 50. Neque tamen quisquam Scholiastarum fidem disertius impugnavit eosque vanitatis stoliditatisque gravius cum indignatione quadam insimulavit, quam Wielandus noster T. I. p. 57 sq., cujus judicium Fr. Aug. Wolfius in Anal. Litter. Vol. I. p. 267. suo assensu ita comprobavit, ut diceret, ne posse quidem *tunicas demissas* apud Horatium comparari cum *tunica soluta* apud Senecam. Quod discrimen vellem docuisset Vir eximius. Nam cui tunica soluta est neque constricta cingulo, ita ut sit *discinctus*, uti Maecenas a Seneca Epist. CXIV. §. 6. appellatur, is habet tunicam demissam ad talos. Ita Balbus, flagitiosus iste Asinii Pollionis Quaestor, pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis, inambulabat, ut Pollio Ciceroni scribit ad Divers. Libr. X. Ep. 32. §. 7. Itaque a Wielandi sententia recte discessionem fecere Heindorfius et Buttmannus l. c. p. 36. imprimis Senecae testimonio permoti, quo nullum sane reperiri potest certius magisque perspicuum. Verissime enim Buttmannus negat, ovum ovo similius videri posse, quam Senecae Maecenatem Malchino Horatiano. Accedit, quod fictum illud nomen ita comparatum est, ut vero, quod Poeta intelligi voluit, et numero et quantitate syllabarum conveniat, et legi illi, de qua supra diximus, in ejusmodi nominum permutatione a poetis observari solitae prorsus respondeat. Ipse quidem Wielandus concedit, fieri potuisse, ut Maecenas, lecto hoc Horatii loco, sentiret, illa verba ad se referri posse; sed idem negat, Horatium potuisse eo imprudentiae atque inhumanitatis progredi, ut virum civitatis praepotentem et bene de se meritum ob vestitus mollitiem ad stultos relegaret: id quod etiam Wolfius urget. Ponderosa sunt verba, quibus usus Wielandus nihil aliud inde colligi posse ait, nisi hoc: „*Dass Mäcenas sich in dieser Stelle habe getroffen finden können, und dass Horaz freimüthig genug gewesen sey, ein Betragen,*

das gegen den Wohlstand anstössig war, zu tadeln, wiewohl dieser Tadel auch einen Mäcenas traf. Dies liesse sich noch begreifen und entschuldigen: vorausgesetzt, dass Malchinus, auf den der Tadel geradezu geht, eine wirkliche damals lebende Person war. Aber nichts hätte den Horaz entschuldigen können, wenn er, unter dem erdichteten Namen eines Malchinus, auf seinen Wohlthäter und Freund gestichelt hätte, der eben damals eine der ersten Personen im Römischen Reiche vorstellte. Sein Kopf und sein Herz müssten eines so schlecht gewesen seyn als das andre, um einer solchen Scurrilität fähig zu seyn.“ Huic Wielandianae disputationi vel refutandae vel elevandae minime sufficiunt, quae Buttmannus observat, non premendum hic esse *stulti* nomen, quo Romani quemlibet, qui caetera sapiens vel una in re aliquid inconsiderate et ridicule egerit dixeritve, appellare consuevissent. Nam, ut hoc verum sit, quod praesertim ex Stoicorum placitis verum esse constat; tamen ejusmodi jocus et tanti viri irrisio scripto evulgata non poterat non esse et offensionis et periculi plena. Perridiculum autem, ne gravius quid dicam, est quod Dacerio in mentem venit opinanti, Horatium illo de Maecenate joco blandiri voluisse Augusto, utqui saepe reprehenderit in Maecenate mollitiem et muliebrem habitum ideoque eum *μάλαγμα moecharum* nominaverit. At, quo Satira secunda scripta est tempore, Horatius tantum aberat ut isti principi blandiretur et ejus favorem ambiret, ut eum, libertatis publicae oppressorem perosus, cum alibi, tum hac ipsa in Satira tecte carperet. Nec multum abest, quin ego Augustum, procul dubio illa longe serius scribentem, suum illud *μάλαγμα moecharum* per jocum ex hoc Horatiano loco mutuum sumpsisse suspicer.

Aliam igitur necesse est circumspiciamus viam et rationem, qua a Poeta propulsetur imprudentiae et ingrati animi crimen, in quo exaggerando mirifica fuit nonnullorum Interpretum sedulitas. Utroque autem illum crimine immunem fuisse, demonstrari potest accurata temporis, quo illa scripta sint, notatione, diligentique necessitudinis

et ortae inter Maecenatem et Horatium et auctae sensim nutritaeque observatione. Qua in re mihi nunc licebit esse breviori, cum eadem via progressus idem copiose docteque exposuerit Theodorus Schmid, Halberstadiensis, in *Allgemein. Schulzeitung* 1829. Sect. II. N. 35. p. 284 sq., exempturus scrupulum ac dubitationem Doeringio, qui se adduci posse negat, ut credat, Horatium inter homines, quos producat ridiculos, simul dulce decus suum et praesidium, Maecenatem, ut hominem ridiculum tecte designare voluisse.

Horatium in bello civili, quod post Julii Caesaris caedem exarsit, M. Bruti castra secutum in pugna Philippensi, sub finem autumni a. U. C. 712. commissa [41]), contra Octavianum et Antonium dimicasse satis inter omnes constat. Duplex illa pugna fuit: in priore Cassius, amissis castris, Brutum etiam devictum ratus, manum sibi intulit; Brutus, per viginti dies bellum ducens, tandem a militibus coactus manus conseruit et victus est: pertentatis in fuga militum animis, cum novam pugnam detrectarent, voluntaria morte ille periit. Ex hac altera pugna fugiens Horatius Romam venit circa initium a. U. C. 713., ibique non, ut jocose ait Libr. II. Epist. 2. v. 49 sq., quo paupertatem toleraret suam, sed ut innotesceret et in potentium gratiam se insinuaret, versus facere coepit. Scripsit, ut jam in Comment. *de Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus* §. 4. docuimus, Libri I. Satiram *septimam*, quam proxime insecuta est Satira *secunda*, per autumnum a. U. C. 714. composita, in qua cum Tigellium nuperrime demortuum aliosque Octaviani familiares vivos adhuc et potentes, tum etiam *Malchinum* istum, ut homines stultos ridiculosque produxit. Magna inde suscepta invidia, per aestatem a. U. C. 715. scripsit Satiram *quartam*, in qua viris Octaviano gratiosis non magis quam antea pepercit. Tametsi Horatius utraque hac Satira in multorum obtrectationem incurrebat et odium, tamen Maecenati, Satira *quarta*, per Virgilium et Varium ad

41) Hoc probavit Norisius in Cenotaphiis Pisan. Dissert. II. p. 133 sq., et accurate de hac pugna exposuit Massonus in Vit. Horatii ad a. U. C. 712. §. 3. p. 50.

illum delata, videtur innotuisse. Satiram quartam secuta est Satira *tertia*, ineunte anno U. C. 716. exarata. Haec demum, intercedente Virgilii Variique amicorum commendatione, effecit, ut Horatius, nono post primum congressum (Satir. VI, v, 61.) mense, in Maecenatis adscriberetur convictum et familiaritatem; nam ab hoc comitem itineris Brundisini, quod mense Aprili a. U. C. 716. factum est, assumptum videmus Poetam Satira *quinta*, quae, per aestatem ejusdem anni composita, artioris cum Maecenate familiaritatis et amicitiae exstitit conciliatrix. Ab hoc inde tempore Maecenas Horatio in dies familiarius uti, sibique eum beneficiis aliisque studii ac liberalitatis documentis magis magisque obstringere coepit. Et Poeta, commodissimum nactus otium, quod ad Archilochi et Alcaei studium transtulit, primam eamque publicam sui in patronum animi studiique testem exstare voluit Satiram *primam*, quam huic patrono suo inscripsit et per hiemem anni U. C. $717/18$. in vulgus edidit [42]). Post hanc, interjecto totius anni, ut videtur, intervallo, scripsit Satiram *nonam*, qua molestam aliorum illius patroni convictu frui eique per ipsum commendari cupientium importunitatem repelleret. Haec Satira si qua alia disertissima est testis, ut sensim tantum pedetentimque Maecenati et innotuerit Horatius et carior in dies factus fuerit, neque nos dubitare sinit, quin is a. U. C. 714., quo anno Satiram *secundam* scriptam esse vidimus, illi civitatis principi vix nomine innotuerit, nedum aliquo beneficio officiove fuerit obligatus. Et quid est verisimilius, quam Horatium, ex pugna Philippensi nuper reducem, pariter infensum fuisse Maecenati, Octaviani Triumviri amico et administro, ac caeteris adversariae partis sectatoribus? Quid igitur est, quod nobis mirationem faciat, Poetam, pristinae libertatis memorem et virilis majorum sim-

42) Ante Satiram Libri I, *primam* haud dubie scripta est Epodos *tertia*, privatim communicanda cum amicis et Maecenate. Ab hoc inter epulas allio delusus hoc ipsum luserat carmen circiter a. U. C. 717. Quamquam nuper demum Maecenatis convictor factus, tamen, salva modestia, eum poterat dicere *jocosum* v. 20. Cum caeteris Epodis hoc quoque carmen publici juris fecit Horatius a. U. C. 729.

plicitatis studiosum, vehementer offensum esse insolenti Maecenatis incessu habituque discincto et muliebri, qui et publicae temporum tristitiae disconveniret, et prorsus dedeceret virum partibus Caesaris absentis fungentem? Virum enim militarem et publica obeuntem negotia oportebat esse accinctum et praecinctum, ut docuit Rubenius d. Re Vestiar. l. 6. Itaque tantum abest, ut ob illam irrisionem Horatium, qui illo tempore nullo dum humanitatis officio ac liberalitatis documento Maecenati devinctus esset, ingrati in patronum animi reum agamus, ut contra, qui depravatos aequalium mores irridens ne potentissimis quidem civitatis viris pepercerit, eum meritis ornemus laudibus.

Quemadmodum vero Horatius ingrati animi crimine absolvendus est; ita etiam imprudentiae et temeritatis minime accusari potest. Nam cum carminum genus, quod scribere et in vitam usumque revocare instituerat, secum ferret, ut suae aetatis corruptelam castigaturus, Luciliano more modoque, directis hominum nominibus uteretur, non mirabimur, eum, quamvis humilem decisis pennis, ut ipse ait Libr. II. Epist. 2. v. 50., inopemque paterni et laris et fundi, ausum esse, Octaviani familiares nominatim producere et deridere. Laudabimus nobilem παῤῥησίαν ejus, qui Graecos priscae Comoediae poetas aemulatus, notaret, si quis erat dignus describi, quod malus aut fur, quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui famosus, ut ipsius verbis utar Libr. I. Sat. 4. v. 3. At cauti et prudentis animi fuisse dicemus, quod tantae, quantae tum Maecenas in civitate esset, potentiae virum recto nomine deridendum producere noluerit. Fieri quidem non poterat, quin cuivis haec legenti occurreret Maecenas, si quidem is, ut Seneca ait, minime voluerit vitia latere sua, et in tribunali, in rostris, in omni publico coetu apparuerit solutis tunicis discinctus. Cum autem ficto nomine usus esset, habebat, quo se tueretur et ab ultione poenaque defenderet. Quid enim obstabat, quo minus praefracte negaret, se *Malchini* nomine certum quemdam hominem voluisse designare, praesertim cum, quem huic Malchino opposuerat hominem tunicis ad inguen obscoenum usque subductis

facetum, ne ficto quidem produxisset nomine? Sic veri erat simillimum, haec omnia conficta esse, ut doceretur, stultos homines, dum vitia vitent, in contraria incurrere, et neminem esse, qui medium tenere sciat. Quis vero est, qui hic justam Horatii prudentiam et, quam tristis et suspiciosissima temporum illorum ratio suadebat, circumspectionem modestiamque desideret?

Non est silentio hic praetereundum, esse, qui hominis ad inguen subductis tunicis faceti nomine *Agrippam* a Poeta carpi suspicentur: a qua suspicione ipsum Buttmannum non alienum fuisse, vehementer miror. Fuit quidem, ut Quintilianus Inst. Or. Libr. XI. 3. §. 138. ait, centurionum, tunicam supra poplites gestare; scimus etiam, Agrippam, obscuro tenuique natum loco, per omnem vitam rusticitati propiorem mansisse, quam deliciis Urbis: at cui tandem est credibile, virum militia tam bonum, et antiquae virtutis tam studiosum, adeo omnem ejurasse pudorem, suique esse oblitum, ut ne obscoenis quidem partibus velatis in publico incederet? Equidem in ea sum sententia, ut tantae obscoenitatis hominem Romae nullum exstitisse, sed talem a Poeta callide confictum esse credam, quo tutius Maecenati, haud dubie non sine multorum indignatione demissis ambulanti tunicis, illudere posset [43]). Mihi

43) Nondum eo, quo Horatius Maecenatem *Malchini* nomine irrisit, tempore pristinae et libertatis et simplicitatis amor ita in omnium animis exstinctus erat, ut nemo praeter Horatium Romae fuisset, qui discinctum habitum Maecenatis, viri in civitate potentissimi, perindigne ferret. Senecam, quo neminem puto esse judicem de illo viro amantiorem veri et subtiliorem, ad calumniatores ablegat Melbomius in Maecenat. Cap. VII. §. 17. Sed ille philosophus de Provident. c. 3. §. 10. sapientissime scripsit: *Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an, electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam malit.* Maecenatem disertius quam verius excusatum ivit Wielandus ad Horatii Satir. T. I. p. 59. et Epistol. T. I. p. 15 sq. Scholastico acumine enm defendit Auctor Elegiae in Obit. Maecenatis v. 49.

Pax erat: haec illos laxarunt otia cultus.
Omnia victores Marte sedente decent.

et v. 93 sqq.

Sic est: victor amet, victor potiatur in umbra
Victor odorata dormiat inque rosa.

etiam non est dubium, quin Maecenas probe senserit, se esse, quem ficto illo *Malchini* nomine Venusinus iste libertino patre natus et in M. Bruti castris nuper tribunus perstrinxerit; sed quo minus eam injuriam ulciscceretur, cum ipsius animus excelsus et natura mitis obstabat, tum imprimis Virgilius Variusque precibus et commendatione videntur intercessisse. Atque istam irrisionem haud scio an non in caussa fuisse dicamus, ut Maecenas, ficticio *Malchini* nomine leviter morsus offensusque, utrique illi poetae, amicum iterum iterumque commendanti, non statim se praeberet facilem, et Venusinum Poetam nono demum, postquam commendatus et primum adductus esset, mense in convictorum familiariumque suorum numero esse juberet.

Haec autem familiaritas temporis progressu interior facta est: hinc major etiam concessa fuit Poetae Venusino libertas et irridendi patronum et sine offensione carpendi ejus vitia, in quibus per omnem ille vitam sibi placuit. Quae igitur de Horatio ejusque cum Maecenate necessitudine non minus pulchre quam verissime scripsit Persius Sat. I. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia, ludit:

ea cum Baxtero et Buttmanno minime referri possunt ad illud tempus, quo Poeta, publicae libertatis ad Philippos interitum alta adhuc mente repostum habens, procul dubio Maecenatem aeque ac caeteros Caesarianos aversaretur eumque non verecundia quadam et amore ductus, sed metu et prudentia retentus ob discinctum habitum ficticio nomine perstringeret, sed ad grandiorem utriusque aetatem, qua, facta animorum reconciliatione et confirmata voluntatum, studiorum sententiarumque consensione, liberior etiam publice privatimque accesserat amicitiae usus. Id quam verum sit, documento est Libri I. Epistola septima, qua

---

Victus aret, victusque metat: metus imperet illi,
Membra nec in strata sternere discat humo.
Tempora dispensant usus, et tempora cultus:
Haec homines, pecudes, haec moderantur aves.

haud scio an nulla verior disertiorque exstet testis necessitudinis, quae Maecenatem inter et Horatium intercessit. Scripta autem est illa a. U. C. 731. Pari modo patroni sui et amici delicias in vestitu facientis *μικρολογίαν* carpit Libr. I. Epistola prima v. 94 sqq., quae, ut mihi quidem idoneis ducto rationibus videtur, non ante annum U. C. 737. exarata est. At haec irrisio amici vide quantum habeat humanitatis urbanitatisque temperamentum prae illa, quam in Satira secunda legimus. Scilicet in Satira adversarius adversarium potentiorem cum indignatione perstringit, nullo dum illi aut officio aut beneficio obstrictus [44]); in Epistola amicus amicum tangit et admissus circum praecordia ludit tanta usus vafritie, ut non ridere, sed probare, nec vituperare, sed laudare videatur dulce decus suum et praesidium, Maecenatem.

§. 8.

Horatius igitur a. U. C. 716. ineunte Maecenatis convictoribus itinerumque adscriptus comitibus, cum non statim, sed temporis progressu ad interiora illius consilia et curas admitteretur; licuit ei domesticam quoque patroni sui vitam et, si qua erat, felicitatem suismet oculis videre et observare. De ista autem Maecenatis felicitate Lucilio amico scribit Seneca de Provident. c. 3. §. 9. *Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quaeritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille* (Re-

44) Non igitur erat, quod Jul. Caes. Scaliger in Poetic. Libr. III. c. 97. p. 344. indignabundus scriberet: *Ingratus Horatius, atque animo barbaro et servili: qui ne a Maecenate quidem abstinere potuit: si quidem, quod ajunt, verum est, Malchinum ab eo appellatum, cujus demissas notaret tunicas. Ager enim Sabinus, quo canicula illa a divino viro donata fuerat, tantus tantique erat, ut objectu suo posset malefici oculi visum intercipere, quo minus tunicarum demissione offenderetur.* At Horatius illam Satiram scripsit a. U. C. 714., et agrum Sabinum dono accepit a. U. C. 728!

gulus) *in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad causam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem, magis his quae patitur vexat causa patiendi.* Mirum, ni Horatius infucatam hanc delicatamque patroni felicitatem alicubi tetigit, neque eum, *qui*, ut idem Seneca Epist. CXIV. §. 7. ait, *uxorem millies duxit, quum unam habuerit*, ullo in carmine ob quotidiana repudia de more suo levius gravius pupugit. In matrimonio habebat Maecenas *Terentiam*, mulierem formosam quidem, at morosam, cujus amore Augustus ita deperibat, ut, quoniam multi Romae de ipsorum amore rumores per vulgus sererentur, a. U. C. 738. peregre abierit et in Galliam profectus sit, si fides est Dioni Cass. Libr. LIV. c. 19. ibique Intpp. Vol. VI. p. 119. Strz. Est profecto quod miremur, hanc Maecenatis uxorem ab Horatio, cujus tot carmina tum suos ipsius tum aliorum amores celebrent, ne semel quidem esse commemoratam. Putabimusne, pudorem in caussa fuisse, ut ne patronum zelotypia in uxorem diu noctuque maceratum gravius etiam vulneraret, an timorem ne Augustum, Terentiae amatorem, offenderet? Equidem, rebus ac rationibus accurate pensitatis omnibus, utramque istius de Terentia silentii caussam verisimilem esse puto. Aucta vero Terentiae in maritum perfidia, adauctus etiam est Maecenatis dolor, praesertim cum hunc inter et Augustum levis quaedam frigoris suspicio inde subnasceretur: id quod a. U. C. 738. factum esse testatur Dio Cassius l. c. his usus verbis: *τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρε:* cl. ejusdem Libr. LV. c. 7. Isti Maecenatis dolori fas erat a Poeta Venusino, amico jam facto vero et candido, publice privatimque parci: hinc illud de Terentia silentium!

Verum tamen, cum leve adhuc esset istud animorum inter conjuges dissidium, Horatius non praetermisit quin patronum suum, quocum jam joca atque seria agere soleret, consolaretur ejusque animum vehementiori in uxorem amore accenderet. Hoc autem bis factum esse videmus et ita, ut altero loco Terentiam tecte significaret,

altero eam ficto nomine designaret: utroque autem loco cum studiis suis poeticis tam callide conjungeret illius amoris mentionem, ea ut non quaesita, sed sponte oblata videretur.

Nam cum Maecenas aliquando ab Horatio carmen, quod promiserat, iambicum identidem flagitaret, respondet Poeta in Epodo XIV., se ab Amore adhuc esse impeditum, quo minus datam fidem exsolverit, et pergit v. 13.

Ureris ipse miser: quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

ubi Acron Scholiastes ad v. *pulchrior: quod gratificans dicit Terentiae, quam amavit Maecenas;* Porphyrion ad v. *ureris: Maecenati hoc dicit, quia et ipse Terentiam dilexit, cujus et supra* (Epodo III. v. 21.) *sic meminit:*

Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

ubi, Porphyrione tacente, solus Acron ait: *Quidam volunt Terentiam concubinam eum significare voluisse.* At Porphyrion ad v. *pulchrior: in honorem Maecenatis, gratificatur Terentiae, Helenae eam comparans.* Scholiastes Cruq. *si Helena, quae fuit caussa incendii et subversionis Trojae, non fuit speciosior, quam Terentia, quam deperis, illa utere et gaude fato tuo, quo nactus es puellam tam pulchram.* Ego non video quid obstet, quo minus hic Scholiastis fidem habeamus. Blanda enim et accommodata est Terentiae cum Helena comparatio, cum illa esset pulcherrima, et Maecenatis animum vehementi erga se amore accendisset. De libertina, quamvis formosa, res secus se habet. Neque etiam verba: *gaude sorte tua*, nisi de legitima uxore, commode possunt explicari. Et cum Maecenatem ardentiore amoris in uxorem affectu et zelotypia maceratum esse constet; apertum est quam scite dicatur: *ureris ipse miser!* Magis dubium est, num Epod. III. v. 21. de Terentia sit cogitandum, licet v. *puella* de recens nuptis saepe dicatur: vide Intpp. ad Libr.

III. Od. 14. v. 10. et Od. 22. v. 3. Sed in spurcissimo illo carmine non crediderim Horatium, nuperrime demum Maecenatis convictoribus adscriptum, mentionem fecisse Terentiae, uxoris adolescentulae et honestae. Illam enim Epodon Horatius per jocum scripsit, eamque Maecenati *jocoso* inscripsit, non item Epodon XIV., in qua seria tractantur. Et cum in ea patronus ille salutetur: *Candide Maecenas*, non dubito inde colligere, longiorem jam utrique fuisse amicitiae mutuaeque benevolentiae usum. Quapropter hoc carmen non puto scriptum esse ante a. U. C. 720. Meibomius in Maecenate Cap. XXVII. §. 9. in Scholiastarum sententiam transiit, quam plerique Editorum vix memoratu dignam habuerunt. Dacerius T. V. p. 208. intelligit meretricem *Liciniam* seu Licymniam memoratam Libr. II. Od. 12. et „*Horace*, inquit, *flate agréablement Mécénas par la difference qu'il met entre sa maitresse et celle de ce favori d' Auguste. Phryné étoit une affranchie, et Licinia étoit d'une des plus nobles familles de Rome. Phryné ne se contentoit pas d'un seul amant, et Licinia n'aimoit que Mécénas.* In qua adnotatione nihil nisi hoc verum est, utroque in carmine de una eademque puella, Terentia, sermonem esse. At *Licinia* si ingenua fuit puella nobilique loco nata, quis eam dicat fuisse Maecenatis meretricem? Et quis non videt, a Poeta Phrynen libertinam, in qua ipse ardeat, eamque perfidam in amore, hic opponi et nobiliori et formosiori puellae, quae Maecenati obtigerit? Hinc patronum sua sorte gaudere jubet, eumque vel ob suspectam Terentiae fidem vel propter morosiorem ejus animum tecta hac cautaque ratione consolatur. Eam ob caussam par quoque erat, Terentiae nomen plane hic reticeri eamque non nisi eximiae ejus formositatis mentione designari. Et cum Horatius suum ignem, Phrynen libertinam, opposuisset pulchriori Maecenatis igni, Terentiae, uxori legitimae et ingenuae, ne ficto quidem nomine eam hic poterat significare, quin aut ipsum Maecenatem aut Terentiam offenderet. Sed quod hoc loco ac tempore prudentia ei dissuasit, id eamdem ei alio tempore locoque suasisse videbimus.

Cum enim Poeta sub finem anni U. C. 725., quo anno Libri II. Oda *duodecima* probabiliter scripta est [45]), a Maecenate rogatus esset et incitatus, ut Augusti res gestas versibus scriberet, suo de more ea usus est excusatione, ut se tantis rebus rite canendis parem esse negaret, dictitans, suam Musam non nisi levioris argumenti poematis et amatoriis lusibus nugisque sufficere. Subveritus igitur, ne tam sublimis argumenti dignitatem, cujusmodi sit laus Augusti bello parta, sui ingenii tenuitate et culpa obtereret, perurbana conversione id negotii delegavit ipsi Maecenati, quem vel soluta oratione res ab Augusto gestas melius digniusque dicturum esse ait. Postquam illius argumenti sublimitatem difficultatemque praemissa similium argumentorum partim ex Romanorum historia partim ex Graecorum mythologia repetitorum enumeratione declaravit, Maecenatem, quem periculum erat ne sua tergiversatione offenderet, veluti placaturus non modo ejus doctrinam scribendique artem laudat, sed etiam pergit v. 13 sqq.

Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare joco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.

45) Tempus, quo haec Oda composita sit, non nisi universe definiri potest. Dacerius T. II. p. 160. existimat, v. 11. respici triplicem triumphum, Dalmaticum, Actiacum et Alexandrinum, quem Caesar Octavianus, ex Asia mense Sextili a. U. C. 725. rediens, continuo triduo egit, testibus Suetonio c. 22. et Dion. Cass. Libr. LI. c. 21. Dacerio adstipulatur Massonus in Vit. Horatii ad a. U. C. 725. p. 183., nec mihi videtur improbabile, haud longe post gloriosum illum Caesaris Octaviani ex Asia reditum a Maecenate rogatum esse Poetam, ut illius res gestas carmine describeret. Dacerio autem opinanti, hanc Odam compositam esse in nuptias Maecenatis et Terentiae, non male opponit Dorighello Tom. I. p. 113. primum, si ita se haberet, Maecenatem potiori jure avocandum fuisse a condenda bellorum et victoriarum Caesaris Octaviani historia; deinde negat credibile esse, Maecenatem, illo anno circiter quadragesimo annos natum, uxorem duxisse, quam haud dubie multo ante sibi adjunxerit.

Num tu quae tenuit dives Achaemenes
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos,
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet?

Pulcherrimus hic locus uberrimam nobis praebet disputandi materiam. Primum de scriptura nominis *Licymniae* breviter dicemus. In Codd. Mstis varie illud exaratum legitur, ut *Liciniae*, *Licinniae*, *Laciniae*, *Lycimniae*, *Licimniae*, *Lacymniae*, *Lycymniae*, quas lectiones diligenter adnotavit Janius ad h. l. Tom. I. p. 359. Veram nominis illius scripturam ex Codd. primus in textu reposuit Bentlejus, quem tacite secutus est Carolus Fea, unde colligas, eum suorum Codicum assensui obtemperasse; addicunt etiam duo Codices Vanderbourgii Vol. I. p. 421. Accommodate laudavit Bentlejus Virgilii Aen. Libr. IX. v. 545.

quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat.

ubi veram hanc nominis in aliis Codicibus aliter depravati scripturam offerunt Codd. Medic. et Gud. vid. Heynii Not. Crit. — Nomen est Graecum. Sic *Λιχύμνιον Βουπρασιέα ἀοιδὸν* commemorant Eustathius et Schol. Antiq. ad Homeri Odyss. Libr. III. v. 267. p. 95. ed. Buttm. Est etiam Licymnius Electryonis filius, quem cecidit Tlepolemus, Argis inde cedere Rhodumque migrare coactus, de quo Homerus Iliad. Libr. II. v. 663. et Pindarus Olymp. VII. v. 20 sqq. ibique Boeckh. Vol. II. P. 2. p. 170. Licymnii hujus sepulcrum vidit Pausanias Libr. VII. c. 22. §. 8., et ad ejusdem monumentum, vulnere accepto, equo delapsus est Pyrrhus rex, teste Plutarcho c. 34. ibiq. Baehr. p. 249. Memoratur etiam *Λιχύμνιος*, tragoedia Euripidis: vid. Valckenarii Diatribe Cap. II. p. 17. Ab Strabone Libr. VIII. p. 373. Cas. et Cap. VI. §. 11. T. III. p. 231. Tz. commemoratur *ἡ ἀκρόπολις Λιχύμνα ἐπώνυ-*

μος Λιχυμνίον, ut Tzschuckius pro vulg. Λύκυμνα edidit: inde *stagna Licymnia* apud Statium Theb. Libr. IV. v. 734., ubi item *Lycymnia* seu *Lycimnia* vitiose editur. Torrentius cum Lambino edidit *Lycymniae*, et in loco Virgiliano probat *Lycimnia*, additque *Lycimnium* dictum fuisse Julii Caesaris Dictatoris libertum, qui sub Augusto Gallias spoliaverit. At is appellatur Λικίννιος seu Λικίνιος, *Licinius*, a Dione Cass. Libr. LIV. c. 21. ibiq. Intpp. Vol. VI. p. 123. Strz. et ab Seneca de Morte Claudii c. 6. Miror Bothium cum Jo. H. Vossio probasse lectionem *Lycimniae* [46]), adeoque apud Sueton. Octav. c. 67. restituendum censuisse *Lycimnium* pro *Licinium*, ubi ego legendum duco: *multos libertorum in honore et usu maximo habuit: ut Licinum, Enceladum aliosque.* Massonus in Vit. Horatii p. 183 sqq. amplectitur lectionem *Lycimniae*, merito confutans eos, qui, ut Tan. Faber in Epist. 54. Vol. II. p. 142. et Dacerius ad h. l. Tom. II. p. 165. vitiosam Codicum lectionem *Liciniae* defenderunt, et versus mensurae ita consulere studuerunt, ut ex aliq. Codd. *Licinniae* reponendum esse censerent. At ista scriptura temere ex Graecorum usu Λικίννιος defensa, manifesto a librariis profecta est metro succurrentibus. Dorighello T. I. p. 114. ne opus quidem esse ait tali fulcro, si quidem Horatius secundam illius nominis syllabam pro lubitu vel corripere vel producere potuerit pariter atque in n. *Appulus* et *Apulia!* Inscite! — Scripturam *Licymniae* bene tuitus est Sanadonus ad h. l. T. III. p. 147., eamque hodie, quod sciam, omnes Editores expresserunt.

Porro ambigua hic est verborum junctura. Acron Scholiastes ea ita ordinat: *Dulcis Musa dominae Licymniae voluit me dicere* etc. Schol. Cruq. sic: *Musa domi-*

---

46) Hanc scripturam praefert etiam Gesnerus, quod nomen *Lycimniae* videatur habere cognationem cum *Lyco*. At ego aut egregie fallor aut cognatum illud arbitror cum λιγὺς et ὑμνεῖν, ut sit *Licymnia*, λιγέως ὑμνοῦσα i. e. λιγύθροος, argute cantans: est enim ὑμνεῖν cantare: vid. Astius ad Platonis d. Republ. Libr. V. c. 11. p. 519. Iade ille ἀοιδὸς ap. Homerum Λιχύμνιος. Praedicovii commentum *Glicymnia* s. *Glychymnia*, quo nomine Liviam, Augusti uxorem, intelligit, merito irridet Vanderbourgius Vol. I. p. 871.]

nae Licymniae voluit me dicere dulces cantus etc. Equidem v. *dulcis* ad v. *cantus* referendum puto, et singula ita copulo: *Musa voluit me dicere dulces cantus Licymniae dominae* [47]). Hunc enim nexum oppositorum ratio flagitat, quae haec est: non Caesaris Augusti res gestas, sed Licymniae virtutes me dicere voluit Musa, quae Libr. I. Od. 6. v. 10. *imbellis lyrae potens* vocatur. Neutiquam Poeta semet ipsum Licymniae amore ita captum fatetur, ut ipsius animus in eximiis ejus virtutibus defixus ne admittat quidem ullam aliam cogitationem, sed se fingit a Musa juberi, ut Licymniam dicat ejusque virtutes. In his vero virtutibus ponit canendi facultatem, venustatem, amoris constantiam et saltandi artem.

Jam cum apud Romanos nulli matronae laudi duceretur saltare et cantare; fuerunt qui inde colligerent, Licymniam fuisse libertinam, pariter ac Chloen, de qua Horatius Libr. III. Od. 9. v. 10. *Me nunc Thressa Chloe regit, Dulces docta modos, et citharae sciens.* Acron Scholiastes dubitanter, *Licymnia*, inquit, *aut uxor Maecenatis aut ipsius Horatii amica* [48]). Hinc in diversas partes abiere Virorum Doctorum sententiae, quas obiter examinavit Janius in Excursu I. ad Horatii Vol. I. p. 429 sqq. Fuere haud pauci, qui priorem Acronis sententiam adoptarent et Terentiam significari statuerent vel virginem

---

47) Alii vv. *Licymniae dominae* tertio casu accipiunt h. s.: Musa me voluit dulces cantus dicere in honorem Licymniae. Quae ratio etiam pejor fit, si Licymnia de ipsius Horatii amica explicatur, ut fecit C. F. A. Schellerus, qui convertit v. 13.

Mir heisst, süssen Gesang meiner Licymnia,
Die mich fesselt, zu weih'n, singen die leuchtenden
Hellen Augen, das Herz, traulich die innige
Lieb' erwiedernd, Pieria.

Hoc si voluisset Horatius, sine dubio cantus suos non *dulces*, sed *molles* dixisset. Praeclare Jo. H. Vossius in nostrum sermonem transtulit vs. 13 sq.

Ich, die Muse gebot's, melde Lycimnia's
Honigsüssen Gesang, melde der Herrscherin
Klar anstralendes Aug', und das getreue Herz
Wohl antwortender Liebe voll.

48) Vanderbourgius ad h. l. Vol. I. p. 368. in quatuor Codicibus Scholia invenit, in quibus *Licymnia* Maecenatis uxor hic designari diceretur.

adhuc et Maecenati desponsam, vel nuper nuptam, vel post divortium reductam. Qui depravatae Codicum lectioni *Liciniae* adhaerebant, ut Dacerius ad h. l., ii opinati sunt, Terentiam, quia per fratrem ad gentem Liciniam pertineret, domestico veluti nomine *Liciniae* esse vocitatam. Terentia enim fuit soror L. Licinii Varronis Muraenae, cui Horatius Libr. II. Odam decimam inscripsit: cl. Libr. III. Od. 19. v. 11. Libr. I. Satir. 5. v. 38. ibique Interpp. Haec Dacerii opinatio quam vana sit, non est quod multis doceatur. Altera sententia de Licymnia Horatii amica, ut Acron ait, nacta inter veteres Interpretes patronum Landinum, qui, *Non placet*, inquit, *quod Maecenatis sit uxor, cum veluti lascivam illam laudet: sed potius poetae amica quam a more amantium Dominam vocat.* Id a Landino haustum suspicatur Vanderbourgius ad h. l. Vol. I. p. 369. ex Scholiis antiquis, quibus similes glossas ipse in Codicibus suis repererit. Haud dispar est Torrentii sententia negantis, ab Horatio usquam puellarum amorem, praesertim ingenuarum, jactatum esse. Inde Licymniam dicit fuisse libertinam, Poetae amatam: cui sententiae calculum addit suum Massonus in Vit. Horatii p. 184 sq., eidemque cum Wetzelio accedit Mitscherlichius in Argument. Vol. I. p. 459. — Vanderbourgius, laudato quidem Landino, quod sensu pulchri rectique quodam ductus negaverit, Terentiam, Maecenatis uxorem, hic describi, ipse tamen contendit, interpretationem hujus loci unice veram inventam esse a Cruquio, qui non Horatii, sed ipsius Maecenatis amicam hic celebrari statuerit. Hanc Cruquii rationem Vanderbourgius ita exornat, ut dicat, indecorum fuisse, in Oda patrono inscripta poetam loqui de virtutibus suae ipsius puellae, et magis etiam indecorum, si is Licymniae nomine significare voluisset Terentiam Maecenati sive desponsam sive nuptam. Deinde negat, Horatium tam stolidum impudentemve fuisse, ut coram Maecenate confiteri sustinuerit, se ita captum teneri Terentiae, uxoris ejus, amore et venustate, ut alia nequiret cogitare. Denique perquam inscite, ait Vanderbourgius, ab Horatio factum esset, si dixisset: Augusti

triumphos dicere me vetat Musa, sed jubet me versibus celebrare Licymniam, dominam meam, puellam a me amatam; vel sic: Augusti triumphos canere nequeo, sed non possum, quin canam Terentiam ejusque virtutes. Utramque rationem rejecit Vanderbourgius et praestare ait hunc sententiarum nexum: Musa mea negat se celebraturam esse Augusti triumphos, sed celebrabit amores tuos, o Maecenas, cum Licymnia, qua nihil tibi est carius. Haec Vanderbourgius, sive consulto sive casu ignorans, quae Janius ad h. l. huic sententiae opposuit levia sane et futilia! Is enim de Horatii amica cogitat: qua tamen opinatione haud scio an quidquam vanius et, ut dicam quod sentio, esse cogitarique possit stolidius. Id quam verum sit, nemo negabit, qui haec mecum reputaverit. Horatius Maecenati roganti, ut Caesaris Augusti victorias carmine scribat, hac Oda respondet: se a Musa sua, quippe imbellis lyrae potente, vetari, ne illud facere instituat, sed ab ea juberi, ut virtutes dicat Licymniae. Jam si sumimus, Licymniam fuisse ipsius poetae amicam, quis non intelligit, Horatium ista excusatione utentem non potuisse non incurrere in gravem indignationem cum Maecenatis, cui dicto audientem se non praeberet, tum maxime in offensionem Augusti, cujus victoriis praeferret suae puellae laudes? Porro Horatius laudat Licymniae suae, quippe libertinae, crines pulcherrimos omnique pretiosiores auro, et imprimis laudat ejus flagrantia oscula facilemque ejus in osculando saevitiam, scilicet ut — risum teneatis amici! — salivam moveat patrono suo eumque faciat osculorum illorum appetentem! Scio quidem, Maecenatem a talibus deliciis non alienum fuisse, utqui ipse, auctore Seneca Epist. CXIV. §. 5. scripserit: *Quid si quis feminae cirro crispatae et labris columbatur?* At numquam mihi persuaderi patiar credamque, Horatium tam delirum fuisse, ut, in quo carmine demandatam sibi Augusti celebrandi provinciam modeste deprecari vellet, ejus potiorem majoremque partem in celebrandis libertinae alicujus a se amatae laudibus consumpserit. Accedit, quod, ut jam supra significavi, Poeta non tam amore Licymniae captum se

esse dicit, quam virtutum ejus admiratione plenum. Hoc autem, quod modo dixi, tantum abest, ut Cruquianae de Licymnia, ipsius Maecenatis amica, sententiae fidem aliquam et commendationem conciliet, ut eam si non pluribus, certe haud multo levioribus premat difficultatibus. Quod si enim Licymniam a Maecenate amatam esse ponimus, utique non verendum erat Horatio, ne patronum illius virtutibus eximie praedicandis offenderet. At cum is Terentiam in matrimonio haberet, oportuit illam esse libertinam et meretricem. Jam videant mihi, qui hic Maecenatis amicam laudari dicunt, an Horatius publica hac furtivi illius amoris praedicatione satis caute prospexerit domesticae patroni sui felicitati et, ut amicum decebat, consuluerit ejus cum uxore pulchra, morosa et superba concordiae, quam rixis dissidiisque saepe interruptam esse proditum legimus? Neque Licymniae libertinae laudes, quamvis fortasse ipsi Maecenati blandirentur, tamen Augusto poterant non esse graves et molestae. Habebat ille, quod succenseret Poetae non erubescenti dicere, se malle libertinae alicujus virtutes canere, quam victorias, quibus totus terrarum orbis obstupesceret.

Utramvis igitur sequimur sententiam, qua Licymnia illa putatur aut Maecenatis aut Horatii amica fuisse, manifestum est, nos, tamquam ad scopulos, ad multas magnasque adhaerescere difficultates. Hanc rerum ἀσυστασίαν vehementer miror non esse intellectam a Vanderbourgio, viro eruditissimo. Qui cum suae sententiae patronis etiam Jo. H. Vossium accenset, admodum vereor, ne inscius in fraudem inciderit. Vossius enim interpretatus v. 23.

Nähmst du alle Besitzthümer Achämenes,
Und Mygdoniergut phrygischer Segensaun,
Zum Ersatz für das Haar deiner *Lycimnia?*

id modo declarat, rejectam a se esse absurdam eorum opinionem, qui Horatii puellam amatam hic celebrari autumant. Et quo verius est, quod Vanderbourgius de Vossio vivo adhuc et vegeto scripsit: *il a trop de tact et de goût pour se tromper en pareille matière;* hoc minus du-

bitari potest, quin eximius ille vir in tanto sententiarum de Licymnia divortio a Bentleji partibus steterit. Quas cum nos quoque sequimur, nihil facimus, nisi ut Scholiastarum veterum auctoritatem, aliorum fide scriptorum saepe contestatam, hac etiam in re anteponamus Interpretum recentiorum ariolationibus et nugis. Nam Bentlejus merito hic obsecutus est testimonio Acronis ad Horat. Libr. I. Satir. 2. v. 64., cujus verba §. 5. descripsimus, et probabile censuit, sub ficto *Licymniae* nomine Terentiam, Maecenatis uxorem, signari. Nam si vero nomine haec Licymnia diceretur, debebat ea esse libertina et meretrix, quam ab hoc loco alienam esse cum pulchre sensit Bentlejus, tum acute collegit ex choris sacris in Dianae honorem celebratis, quibus Licymnia saltatrix interesse dicitur v. 17 sqq. In sacris enim sollemnibus non nisi Liberas et Honestas, seu Virgines seu Matronas, saltitasse, probat Bentlejus ex Horat. Libr. IV. Od. 6. v. 31.

Virginum primae, puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela Deae fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum.

et ex Epistola ad Pisones v. 232.

Effutire leves indigna Tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.

Hoc Bentleji argumentum Janius, Mitscherlichius et Vanderbourgius sic elevare connituntur, ut has choreas ad domesticam religionem festamque laetitiam, qua publicam privatim prosequerentur, referendas esse dicant: qua ratione quid fieri potest contortius? et quid opinioni de Licymnia libertina magis est adversum? [49]) Ex privatis

---

49) Verissime Buttmannus l. c. p. 39. disputat: *Und so glaube ich mit Recht sagen zu können, dass die Notiz des Scholiasten keineswegs verwerflich ist, welche dadurch allein schon Aufmerksamkeit verdient, dass man nicht wohl begreift, wie man auf eine solche, dem ersten Anblick nach eben nicht wahrscheinliche Idee habe kommen können, wenn*

enim saltationibus parum profecto laudis redire poterat ad libertinam! Et num credibile est, libertinarum saltationibus domesticis, non religionis, sed delectationis caussa institui solitis, admixtas fuisse virgines ingenuas et honestas? Atqui Poeta hoc loco exhibet Licymniam ludentem nitidis virginibus. Et licet ego non, ut Bentlejus, ex v. *dedecuit* colligam, sub Licymniae titulo non matronam tantum, sed et nobilem et primariam delitescere, si quidem vv. *nec ferre pedem dedecuit* per λιτότητα et ἀοριστως pro *eximie decere solet* accipi malo; tamen cum summo illo viro in eo faciundum arbitror, ut de Terentia non virgine adhuc et Maecenati fortasse desponsa, ut Dacerius putat, sed de nupta jam et uxore cogitetur. Quae cum matrona virginum chorum nitidarum ornare dicitur, simul puellaris ei tribuitur formositatis et decoris laus. Denique quod, Acrone auctore, Bentlejus observavit, poetas veteres solitos esse, pro veris nominibus ficta aequali syllabarum numero et quantitate substituere; id in promptu est quam apprime conveniat in fictum *Licymniae* nomen, pro quo, quibus Maecenatis in Terentiam uxorem amor cognitus esset, facile in Horatii carmine v. 13.

Me dulcis dominae Musa Terentiae

et v. 23.

Permutare velis crine Terentiae

salva versus mensura legere possent.

Jam si probabili admodum conjectura ducti statuimus, illo tempore, quo hanc Odam ab Horatio scriptam esse diximus, Maecenatem ardentissimo Terentiae, uxoris formosissimae amore, nunc interrupto rixis dissidiisque, nunc desideriis redintegrato, fuisse sollicitum et ob Caesaris Octaviani in illam amorem curis suspicionibusque agitatum; omnia nobis hocce in carmine plana erunt ac perspicua,

---

nicht eine Tradition vorhanden gewesen; und die ein noch grösseres Gewicht bekommt durch die von Bentley und andern gemachte, von Jani aber ohne allen Verstand beantwortete Bemerkung, dass die Erwähnung des Tanzes am Fest der Diana in einem römischen Gedicht, den Gedanken an irgend eine Freigelassene oder Flötenspielerin durchaus entfernt, Horaz also dadurch allein schon den Begriff einer edlen Römerin erweckt.

omnesque, quas supra de Licymnia, vel Maecenatis vel Horatii amica, moveri posse vidimus, difficultates sublatae evanescent. Nemo enim, nisi qui praejudicatis opinionibus accesserit, negabit, hanc *Licymniae* i. e. Terentiae laudem, quae majorem carminis partem amplectitur, minime alienam esse ab Oda, cujus scribendae occasionem ipse dederat Maecenas, illius maritus. Primum hac ratione Horatius non poterat Maecenatem offendere neglectis ejus precibus jussuque; immo vero illi uxoris amantissimo blanditus est, callide dicens, sibi a Musa imperari, ut Terentiae potius virtutes, quam Caesaris victorias mollibus citharae modis aptet. Neque etiam Caesari Octaviano, quem illo jam tempore Terentiae amore deperisse verisimillimum est [50]), offensioni esse poterat et molesta illius

---

50) Fortasse mihi hac in re licebat esse confidentiloquo: nam M. Antonius, auctore Suetonio in Octav. c. 69., exprobrata Caesari Octaviano mulierositate, scripsit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, necdum plane inimicus aut hostis: *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est. Nunc coepi, an abhinc annos novem? tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas, uti tu, hanc epistolam quum leges, non ineris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Salviam Titisceniam, aut omnes. Anne refert, ubi et qua arrigas?* Etsi annus, quo hoc epistolium a M. Antonio scriptum sit, accurate definiri nequit; tamen non veremur, ne magnopere fallamur, si illud circiter a. U. C. 719. seu 720. scriptum esse conjicimus. Nam a. U. C. 719. M. Antonius Octaviam uxorem, Caesaris Octaviani sororem, quae Roma Alexandriam profecta marito ad expeditionem Parthicam milites adduxerat a fratre muneri acceptos, his retentis, domum reverti jussit et Cleopatrae amori indulsit, teste Dione Cassio Libr. XLIX. c. 33. Anno sequente U. C. 720. Antonium non puduit Cleopatram pro uxore palam habere, eam *reginam regum* appellavit, et ejus filiis regna pollicitus est, ut refert Plutarchus in Anton. c. 54. Circa hoc tempus videtur ab Octaviano per litteras de propudioso in Cleopatram amore et perfida insolentia in Octaviam castigatus, ista rescripsisse, quae apud Suetonium legimus. Nam anno U. C. 721., quo anno Antonius Octaviam, Roma profectam, Athenis subsistere et se praestolari jussit, res jam ad bellum spectare coepit. Octavia enim, eximiae virtutis mulier, diu ludibrio habita, Athenis Romam redux, non cessit Antonii domo et liberis cum cura prospiciens Antoniique amicos hospitio excipiens, atque inscia et invita marito majorem in dies invidiam conflavit, auctore Plutarcho c. 53. et 54. Anno proximo U. C. 722. inimicitiae M. Antonii et Octaviani in apertum eruperunt bellum. Jam cum Suetonius perspicue attestetur, illa ad Octavianum scripta esse a M. Antonio familiariter adhuc, necdum inimico aut hoste, patet, id fieri debuisse ante a. U. C. 721. Inter alia autem stupra Antonius Octaviano etiam objicit illicitum amorem cum *Terentilla*, quae vix dubitari potest quin sit Terentia, Maecenatis uxor. Utcumque autem est, id tamen in promptu est, videre, quam verisimile sit, Caesarem Octavianum a. U. C.

laus, attexta carmini, quod de rebus ab ipso praeclare gestis scribendum esset. Ita igitur Horatio neutiquam erat metuendum, ne in alterius utrius reprehensionem incurreret atque invidiam: utrique, et marito et amatori, pergrata esse debuit Terentiae laus. Nec quidquam in universa argumenti descriptione video, ut Janius in Excurs. I. Vol. I. p. 431. crepat, quod displicere possit, constituto hoc sententiarum nexu: „Non possum Caesaris victorias imbelli lyra canere: eas tu, o Maecenas, dignius vel pedestri oratione describes; me jubet Musa Terentiae, uxoris tuae, virtutes carmine celebrare.“ Quod cum non suapte animi inductione, sed Musae jussu se facere profitetur, et Maecenatis et Terentiae vanitati et honori vaferrime velificatur, et apud Caesarem excusationem quamdam paratam habet. Appellat autem eam *dominam*, *δέσποιναν*, non sui ipsius, sed solius Maecenatis habita ratione, cui utpote mulieroso homini iste uxoris titulus nequaquam poterat videri ineptus, nedum gravis esse, quandoquidem hoc nomine non solum puellae amatae, sed uxores etiam et matresfamilias passim signantur, ut apud Virgil. Aen. VI. v. 397. „*Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti:*“ ubi Servius: *Aut de Graeco tractum est, qui uxorem δέσποιναν dicunt: aut* Ditis thalamo, *ut* dominam *Charon ad se retulerit.* Suetonius in Claud. c. 39. „*Occisa Messalina, paulo post, quam in triclinio decubuit*, cur domina non veniret, *requisivit.*“ Cf. Creuzeri libr. *Abriss d. R. Alterth.* §. 58. p. 57. Praeterea fuit Terentia mulier superba et imperiosa, quae ipsum Caesarem Octavianum amore captum tenebat. Quare ab Horatii ingenio et arte non alienum fuerit statuere, dictam illam esse *dominam* respectu Caesaris amatoris. Et fortasse ex hoc Caesaris in Terentiam amore caussa est repetenda, ob quam Horatius, receptum ab aliis poetis morem secutus, illam non recto, sed ficticio *Licymniae* nomine designarit, ut furtivo illius Principis amori nomen

725. amore Terentiae captum Maecenati potuisse sollicitudinem et curam movere.

abesset, nominique pudor. Atqui etiam dubitari nequit, quin iste Caesaris in Terentiam amor ipsius Maecenatis animum habuerit valde sollicitum, et, accedente uxoris morositate, effecerit, eam ut maritus nunc repudiaret, nunc repudiatam cum desiderio domum reduceret, et, ut Seneca ait, millies duceret uxorem, cum unam habuerit. Jam vide mihi artificium poetae, qui Maecenatem amoribus anxium et morosae uxoris quotidiana repudia deflentem consolaturus inter alias, quas Terentiae attribuit, virtutes etiam *bene mutuis fidum pectus amoribus* v. 15. commemorat. Et omnes, quas in illa effert Horatius, virtutes, dulce canendi facultatem, saltandi artem, formositatem et leporem, quis putat parvi factas esse in uxore a marito docto pariter ac delicato, qualem Maecenatem fuisse novimus? Nonne haec omnia eo scripta putabimus consilio, ut refrigescenti nonnumquam Maecenatis in Terentiam amori fomenta adderet et nutrimenta, eumque subjecto novo velut igne incenderet? Quid? quod postrema stropha, in qua facilis illius saevitia marito multa basia basiaturo nunc benigne obsequendi, nunc male repugnandi praeclare depingitur, prorsus ita comparata erat, ut Maecenatis, sicut sermone, ita ore etiam lascivientis et, ut Cn. Mattii verbis apud Gellium N. A. Libr. XX. c. 9. utar, columbulatim labra labris conserentis desiderium et amorem acueret inflammaretque. Neque ejusmodi mores cum Vanderbourgio existimandi sunt alieni a Terentia, quam nobili quidem loco natam, sed parum castam pudicamque fuisse matronam scriptores contestantur fide dignissimi. Accedit, quod, quo tempore illa scripta sunt, Terentiae haud dubie id aetatis adhuc esset, in quam ejusmodi puellaris lepor et procacia caderet, saltem a Poeta accommodate transferri posset. Huic enim id unice hic spectandum erat, ut *Licymniam* effingeret forma, ingenio moribusque placentem, et uxorem adumbraret *Malchino* dignam.

Ecce igitur nobile par conjugum, *Malchinum* et *Licymniam*, quos ut in vita nonnumquam mala disjunxit discordia, ita post mortem quoque concors quoddam po-

steritatis studium facto veluti divortio divulsit. Hos ego, tamquam confarreationum et diffarreationum sacerdos, non usu et coemtione, sed farre adhibitisque testibus studui conjungere. Verum tamen arbitrium esto penes alios, an novis his conjugibus rite fuerit acclamatum:

Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,
Atque pari semper sit Venus aequa jugo!

INDEX SCRIPTORUM,

QUI VEL EXPLICANTUR VEL EMENDANTUR.

A

Acron ad Hor. Od. III, 1, 2. — 85.
Epod. XIV, 13. — 460.
Sat. I, 2, 3. — 300.
I, 2, 25. — 446.
I, 2, 64. — 413.
I, 4, 21. — 291.
I, 8, 24. — 416.
I, 10, 18. — 283.
I, 10, 36. — 337. 341.
I, 10, 84. — 221.
I, 10, 91. — 284.
II, 1, 48. — 416.
II, 3, 161. — 420.
II, 5, 41. — 342. 344.
Epist. I, 1, 67. — 277.
I, 3, 9. — 371.
I, 19, 15. — 397.
Art. poet. v. 388. — 173.
Alanus ab Insulis in Anticland. — 324.
Alciphron. — 289.
Ammianus Marcell. XV, 2. — 426.
XV, 9. — 394.
XVII, 11. — 133.
XXVII, 9. — 105.
Antiphanis epigr. — 282.
Anthologia Latina. — 219.
— — — 265.
Anthologia Latina. — 359.
— — — 369.
Apollonius Rhodius II, 536. — 192.
Appianus de B. C. II, 147. — 152.
IV, 62. — 243.
de B. Mith. c. 11. — 441.
Apulejus in Apol. — 4. 49. 114. 361. 412.
Apulejus de Orthograph. — 87. 156. 182. 262. 412.
Aristophanes Ran. 861 sqq. — 389.
Plut. 58. 61. — 288.
Aristoteles Poet. I, 12. — 61.
Asconius Ped. ad or. pro Sc. — 127.
ad or. in T. Cand. — 135.
Athenaeus VII. — 257.
XIII. — 60.
Auctor Dial. de Oratt. cap. 13. — 285.
21. — 294.
22. — 327.
26. — 287.
34. — 108 sq.
Ausonius Idyll. VI. — 21.
Mosell. — 384.
Parecb. — 33.
Cent. Nupt. — 126.

C

Callimachus. — 388.

Catullus c. 14. — 141.
c. 29. — 131.
c. 54. — 118. 345.
c. 79. — 417.
c. 95. — 168 sqq.
c. 96. — 121.
Censorinus de D. Nat. c. 14. — 8.
Chalcidius in Tim. Pl. c. 5. — 87.
Charisius Inst. Gr. I. — 85.
143 bis. 144 bis. 145. 146.
190. 234. 235 ter. 236.
268 sq. 362.
Inst. Gr. II. — 46. 59. 114.
Cicero in Brut. c. 45. — 372.
c. 48. — 425.
c. 64. — 96 sq.
c. 75. — 101.
Orat. c. 48. — 17.
in Cat. III, 7. — 26.
pro Domo c. 10. 18. — 417.
pro Sext. c. 51. — 345.
Philippic. II, 11. — 242.
de Fin. I, 2. — 136.
Quaest. Tusc. I, 16. — 2.
III, 19. — 122. 288.
IV, 11. — 140.
V, 22. — 141.
de Legg. I, 2. — 28. 93.
de Amic. c. 5. — 26.
Epp. ad Div. II, 9. — 414.
VII, 9. 16. — 419.
VII, 24. — 304.
VII, 25. — 306.
IX, 12. — 26.
XV, 21. — 108.
ad Attic. I, 9. — 149.
I, 14. — 387.
I, 16. — 108.
XII, 13. 14. — 420.
XII, 25. 31. — 306.
XIII, 49. — 304.
XIII, 50. — 306.
XIII, 51. — 307.
XIV, 20. — 140.
XVI, 2. — 366.
XVI, 11. — 367.
ad Q. fr. II, 3. — 305.
Fragm. Epist. — 218.
Columella Praef. lib. I. § 3. — 285.
§ 33. — 27.
VIII, 17, 9. — 319.
X, 225. — 26.

D

Dio Cass. lib. 44. c. 50. — 152.
Dio Cass. lib. 47. c. 30. — 243.
Diomedes. — 92. 235. 268. 355.
Dionys. Halic. Arch. I, 7. 80. — 94.
VI, 11. — 94.
VII, 1. — 95.
Donatus Vit. Terent. — 239.

E

Ennius ap. Varr. L. L. IV. — 422.

F

Festus. — 14. 16. 48. 60. 73. 76.
127. 231 bis 235. 345.
Fronto. — 49. 110. 345. 373.
Fulgentius. — 59. 139.

G

Gellius N. Att. Praef. — 353.
Lib. II, 24. — 35. 47.
III, 11. — 47.
VII, 7. — 33.
IX, 12. — 145. 200.
XII, 3. — 234.
XII, 10. — 78.
XV, 24. — 140.
XVIII, 11. — 348.
XIX, 7. — 54.
XIX, 9. — 34.
XIX, 13. — 199.
XX, 8. — 33.

H

Hephaestion. — 388.
Homerus Il. XII, 208. — 64.
Horatius Od. I, 35, 39. — 338.
II, 4, 25. — 384.
II, 9. — 203 sqq.
II, 9, 10 sqq. — 229.
II, 12, 13 sqq. — 462 sqq.
Epod. III. 21. — 460.
IV, 10. — 444.
XIV, 13. — 460.
Sat. I, 1, 110. — 321.
I, 3, 19. — 298.
I, 3, 21. — 321.
I, 3, 44 sqq. — 230 sq.
I, 4, 10. — 25.
I, 4, 21. — 277. 290.

Horatius Sat. I, 4, 56 sq. — 278.
I, 4, 71. — 301.
I, 4, 100. — 428.
I, 5, 52. — 224.
I, 6, 7. — 37.
I, 9, 23. — 303.
I, 10, 1 sqq. — 360.
I, 10, 16 sq. — 89 sq.
I, 10, 18 sqq. — 283.
I, 10, 36 sqq. — 334.
I, 10, 65 sqq. — 279 sq.
I, 10, 75. — 25.
I, 10, 81 sqq. — 217 sqq.
I, 10, 90 sq. — 283. 302.
II, 1, 1. — 277.
II, 1, 49. — 97.
II, 2, 3. — 26.
II, 3, 56. — 231.
II, 3, 61. — 176. 420.
II, 5, 40. — 342.
II, 9, 20 sqq. — 222.
Epist. I, 1, 55. — 25.
I, 1, 65. — 276.
I, 3, 4. — 378.
I, 3, 6. — 380.
I, 3, 9 sqq. — 365 sq.
I, 3, 15—20 — 381.
I, 5, 26. — 374.
I, 11, 28. — 135.
I, 15, 36. — 420.
I, 18, 12. — 25.
I, 19, 15 sqq. — 392.
I, 20, 1. — 40.
II, 1, 1. — 20 sq.
II, 1, 13 sq. — 21.
II, 1, 18. — 23.
II, 1, 23. — 27.
II, 1, 35. — 13.
II, 1, 58. — 30.
II, 1, 56. — 13. 271.
II, 1, 60. — 23.
II, 1, 63. — 24.
II, 1, 69. — 25.
II, 1, 76. — 26.
II, 1, 79. — 345.
II, 1, 100. — 25.
II, 1, 170. — 271.
II, 1, 268. — 291 sq.
II, 2, 115. — 316.
Art. poet. v. 18. — 339.
55 sqq. — 315.
95 sqq. — 387.
136 sq. — 322.
Horatius Art. poet. v. 270 sqq. — 271 sq.
Hyginus fab. 251. — 171.

I

Isidorus Origg. VI, 12. — 194 sqq.
XIX, 2. — 194.
XIX, 4. — 238. 291.
XIX, 33. — 201.
Iustinus' Hist. 38, 3. — 440 sq.
Iuvenalis Sat. I, 2. — 407.
I, 7 sqq. — 411.
I, 66. — 448.
III, 203. — 408.
XII, 37. — 420.

L

Livius Hist. IV, 20. — 98.
Longinus. 24 bis.
Lucanus Phars. V, 303. — 386.
Lucretius de R. N. IV, 330. — 23.

M

Macrobius Sat. I, 9. — 166.
I, 18. — 49.
II, 1. — 361.
II, 3. — 130. 205.
II, 4. — 115. 450.
II, 6. — 115.
III, 8. — 145.
VI, 1. 3. 4. — 351.
VI, 3. — 15.
VI, 4. — 127.
VI, 5. — 16. 165.
Marius Victorinus Art. Gr. — 64.
de Orthogr. — 128.
Martialis Epist. ad Lect. — 250.
Epigr. I, 35. — 434.
II, 50. — 417.
II, 57. — 409.
II, 71. — 248.
II, 77. — 249.
III, 11. — 248.
III, 15. — 408.
III, 82. — 433 sqq.
IV, 13. — 253 sq.
IV, 29. — 253. 412.
IV, 41. — 400.
IV, 60. — 305.
V, 5. — 251.

Martialis Epigr. V, 23. — 409.
V, 26. — 409.
VII, 28. — 230.
VII, 29. — 260.
VII, 53. — 419.
VII, 99. — 253.
VIII, 3. — 25.
VIII, 56. — 258.
IX, 51. — 340.
X, 13. — 447.
X, 76. — 325.
X, 79. — 104.
XI, 46. — 325.
XI, 62. — 435.
XI, 91. — 13.
XII, 2. — 178.
XII, 54. — 433.
XIV, 142. — 400.
XIV, 187. — 261.
XIV, 192. — 40.

N

Nonius. — 43. 47. 48. 55. 79 bis. 82. 92. 93. 192. 193. 194. 200. 201 bis. 231, 262. 345 bis. 348. 350. 400. 413. 430. 438.

O

Orpheus Arg. v. 1040. — 192.
Ovidius Epist. VII, 4. — 196.
Met. XII, 210. — 63.
XII, 224. — 63.
Trist. II, 269. — 37.
II, 433. — 361.
II, 435. — 165.
II, 441. — 126.
II, 519. — 286.
V, 7, 25. — 286.
ex Pont. I, 1, 23. — 126.
IV, 10, 56. — 379.
IV, 16, 21. — 11.
IV, 16, 30. — 167.

P

Persius Sat. I, 51. — 25.
I, 116. — 457.
I, 121. — 417 sq.
III, 65. — 420.
VI, 37. — 422.
Petronius Sat. c. 26. — 434.
Petronius Sat. c. 27. — 436 sq.
71. — 439 sq.
89. — 76.
Philargyrius ad Virg. Ecl. III, 90. — 266. 310.
IX, 35. — 189.
ad Georg. III, 176. — 238.
Photius. — 388.
Plato Euthydem. — 25.
Plinius H. N. Praef. — 344.
lib. VII, 31. — 293.
VII, 50. — 90.
Plinius Epist. I, 2. — 111. 388.
I, 16. — 356.
II, 14. — 77.
IV, 14. — 20.
IV, 27. — 124.
V, 16. — 250.
V, 17. — 42 sq.
Plutarchus Romul. — 3.
Pompej. — 442.
Caes. — 153. 205.
Cicer. — 2. 103. 115. 141. 150.
Anton. — 224.
Polybius lib. XXVI, 7. — 11.
Porphyrion ad Hor. Od. III, 1, 2. — 35.
Epod. XIV, 13. — 460.
Sat. I, 2, 25. — 447.
I, 2, 64. — 413.
I, 3, 3. — 136. 304.
I, 5, 52. — 225.
I, 9, 22. — 221.
II, 1, 49. — 97.
II, 2, 3. — 26.
Epist. I, 19, 15. — 397.
II, 1, 13. — 21.
II, 1, 26. — 28 bis.
II, 1, 68. — 24.
II, 1, 71. — 25.
Priscianus lib. V. — 143. 269. 361.
VI. — 16. 53. 61. 71. 78. 187.
VII. — 82. 414.
IX. — 44. 78. 144.
X. — 44. 76. 86. 92. 96.
XI. — 44.
XIII. — 92.
Probus Gr. — 144 bis.
Probus ad Virg. Georg. I, 127. — 251.
Propertius Eleg. I, 2, 27. — 6.
II, 10, 9. — 7.
II, 10, 11. — 6.
II, 19, 40. — 121.
II, 25, 83. — 160.

Propertius Eleg. II, 25, 89. — 121.
III, 18, 7. — 6.

Q

Quintilianus Inst. Or. I, 6, 42. — 123.
III, 1, 18. — 233. 363.
III, 5, 17. — 233.
V, 10, 4. — 233.
VI, 1, 51. — 113.
VI, 3, 58. — 226.
VI, 3, 102. 105. — 264.
VIII, 3, 31. — 74.
VIII, 6, 50. — 23.
IX, 1, 72, 92. — 22.
IX, 2, 4. — 170.
IX, 2, 25. — 113.
IX, 3, 56. — 114.
X, 1, 96. — 354.
X, 1, 97. — 13.
X, 2, 7. — 28.
X, 3, 13. — 369.
XI, 1, 73. — 117.
XII, 6, 1. — 109.

S

Scholiastes Cruq. ad Hor. Od. III, 1, 2. — 35.
Sat. I, 2, 3. — 300.
I, 3, 3. — 136.
I, 4, 21. — 290 sq.
I, 10, 18. — 283.
I, 10, 36. — 337.
I, 10, 84. — 221.
I, 10, 90. — 284.
II, 1, 1. — 20.
II, 1, 49. — 97.
II, 2, 3. — 26.
II, 5, 41. — 392.
Epist. I, 1, 67. — 277.
I, 3, 1. — 370 sq.
II, 1, 26. — 28 bis.
II, 1, 71. — 25.
II, 1, 76. — 26.
II, 1, 79. — 345.
Schol. Juvenal. ad Sat. I, 2. — 408.
V, 3. — 225 sq.
VI, 155. — 189.
Scholiastes Juvenal. ad Sat. VII, 12. — 240.
VIII, 16. — 362.
Scholiastes Persii ad Sat. II, 42. — 417.
Seneca Controv. III, 19. — 110. 119 sq. 132. 202.
V, 30. — 134.
VII. — 426 sq. quater.
Suasor. VII. — 425.
Seneca de Ira III, 23. — 394.
de Tr. an. c. 8. — 22.
de Clement. c. 24. — 22.
Epist. 51. — 236.
66. — 432.
86. — 424.
91. — 396.
Servius ad Virg. Ecl. III, 90. — 309.
VI, 47. — 144.
VII, 22. — 237. 403.
VIII, 8. — 144.
IX, 35. — 172.
Georg. I, 210. — 312.
I, 288. — 188.
Aen. VIII, 58. — 146.
XI, 169. — 146.
XI, 457. — 238.
XII, 121. — 14.
Severianus Syntom. Rhet. — 113.
Sidonius Apollin. — 250. 251.
Spartianus. — 369.
Stobaeus. — 50.
Strabo. — 233. 380.
Suetonius in Jul. Caes. c. 49. — 131.
52. — 152.
84. — 141.
85. — 151.
Tib. c. 42. — 416.
Calig. c. 55. — 325.
de Illustr. Gr. c. 4. — 360.
9. — 29. 266. 357.
11. — 198 sq. 357.
16. — 267.
18. — 184.
in Vit. Hor. — 20.

T

Tacitus Ann. III, 40. — 369.
IV, 34. — 355.

Terentianus Maurus de Metr. v. 1816. — 83.
1920 sqq. — 63.
1932. — 65.
1952. — 70.
1998. — 23.
2416. — 320.
Tertullianus Apologet. c. 15. — 17.
Theocritus Idyll. XVII, 137. — 22.
Tibullus Eleg. I, 4, 73. — 372.
I, 10, 11. — 215.

V

Valerius Flaccus Arg. VI, 340. — 425.
Valerius Maximus VIII, 14. — 280.
Valerius Maximus IX, 9. — 152.
IX, 12. — 104 sq.
Varro de L. L. V. — 82. 141.
VI. — 141.
VII. — 59.
Vellejus Pat. I, 13. — 13.
II, 9. — 13. 99.
Virgilius Ecl. V, 10. — 402.
VII, 21. — 402.
VIII, 35 sq. — 156.
VIII, 71. — 401.
Georg. I, 299. — 313.
II, 43. — 15.
IV, 125. — 379.
Aen. VI, 625. — 15.
XII, 365. — 424.
Ciris v. 165. — 425.
Catalect. IX. — 119.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A

Ablativi et Dativi formae in *e* et *i* a vett. Lat. promiscue adhibitae 56.
Achaicus et Achaius 323.
Acron fortasse auctor est operis de Personis Horatianis 391.
Addicere 305.
Addua, flumen 180. quomodo Graece scribendum *ibid.*
Adonis. De declinat. h. v. 53 sq.
Aemulus 400.
Aeneidomastix Carvilii Pictoris 275.
Aetna cur *unicus* dicatur Valgio et Mess. 236.
Agrippae de Virgilio iudicium 275. eius mores num ab Horatio carpantur 456.
Albinovanus, Celsus et Pedo, 382.
Alcestis Laevii 40. 54. 55. non fuit tragoedia 56. 58. sed pars Erotopaegnion 57. huius fab. argumentum etiam a Phrynicho et Antiphane Comicis tractatum 139.
Alexis 175. 258. 286. 413.
Alpinus. Vid. Furius Bibaculus.
Amazonis, Domitii Marsi carmen 257. quinam ante Domitium hoc argumentum tractarint *ibid.*
Ambulare 448.
Amici dicebantur qui sine officio magistratus in provincias comitabantur 370.
Ampulla 387. 389.
Ampullari metaph. sign. ap. Hor. 387. 389.
Anaxilaus *Παίγνια* scripsit 38 sq.
Anguina 193 sq.
Annales Maximi s. Pontificum M. 28.
Annianus, Fescenninorum scriptor, quando vixerit 33.
Annius Cimber 242.
Anquina 193.
Anser, Antonii poeta et familiaris, 162. 163. hinc Virgilii iniquus iudex *ibid.* a quo perstringitur 161. 404. facultas eius poetica 164. et fama 165. rara eius mentio 166 sq.
Antias, A. Furius. Vid. Furius.
Antibucolica quando et a quo scripta 314. duabus Eclogis constabant *ibid.* initium primae *ibid.* initium secundae 315.
Antimachus cur *tumidus* 182. veterum et recentt. de eo iudicia *ibid.* eius carmen Thebais *ibid.*
Antipater historicus 93. 95. magister L. Licinii Crassi 98. Eius aetas 98. praestantia 95.
Antipathes, gemma nigra 50. eius usus 51.
Antiquarii 326.
Antiquus ambigua notione de scriptoribus 98.
Antonius quali fuerit instructus literarum scientia 164. cur ab Horatio numquam castigetur 445 sq.
Apollo Sauroctonos 52.
Apollodorus Pergamenus, rhetor 233. Augusti, Valgii Rufi aliorumque magister 234. 264. scribendi genere aridissimo utebatur *ibid.* eius libri (*Τέχνη*) a Valgio Latine redditi et fortasse ornatius explicati

ibid. veneficii reus Massiliam concessit *ibid.*
Apollonius rhetor, *Μαλακὸς* cognominatus 431.
ἀποστοματίζειν 25.
Apua 180.
Aquilia gens 367 sq.
Aquilius Florus pater et filius ab Octaviano morte multati 368.
Asconius Pedianus 274. scripsit contra Virgilii obtrectatores libellum *ibid.*
Asinius Pollio. Eius indoles 395. eius oratio Latina horridior 327 sq. Timageni amicus ob morum et studiorum similitudinem *ibid.* primus bibliothecam publicam Romae instruxit 155. 293. eamque imaginibus clarorum scriptorum ornavit 294. a Cinna celebratus 190 sqq.
Assectatores 370.
Atax 178.
Ateji *Διδασκαλικά* 46.
Atta, T. Quintius, Togatarum scriptor. Eius fabulae recensentur 345. De significatione nominis *Atta* vid. *ibid.*
Attilius, Tragicis plerumque adnumeratus 139. a Volcatio Sedigito inter Comicos numeratur 140. videtur Sophoclis Electram comice tractasse Latinis versibus 139. Porcii Licinii et Ciceronis de eo iudicia 138. eius nomen cum Attio confusum 141. 142. fortasse Menandri Misogynum Latine vertit 141.
Attius, L., tragicus poeta et Annalium scriptor 9. 12. 13. scripsit fabulam Iûs s. Ionis 71. et fortasse Electram 142. cum Pacuvio a scriptt. saepe componitur 13. *senex altus* quo sensu dicatur 13. eius nomen cum *Attilio* saepe confusum 142. falso ei opus *περὶ Διδασκαλιῶν* tribuitur 46.
Auctor et inventor quomodo differant 281.
Augustus. Vid. Octavianus.
Ausonius unum e libris selecta carmina continentibus *Eclogarium* inscripsit 367.

B

Baro Scurra 427. e Seneca Horatio obtrusus a Bentlejo *ibid.*
Basilica Porcia 434.
Bavius, M., genere et origine Romanus 310. functus est munere Curatoris 311. Maevium si non fratrem certe habuit familiarem 314. uterque Virgilio obtrectavit 312 sq. ducti antiquitatis cascae admiratione 315. a Virgilio castigati 310. 404. aliquot versus eorum 312 sqq. ubi et quando Bavius obierit 310.
Belidae 191.
Bellum Histricum, ab Hostio carmine celebratum 10. Succincta eius historia 10 sq. Vitellianum a Sexto fortasse versibus descriptum 252.
Bestius 421. eius nomen factum *θετικόν ibid.*
Bibaculus. Vid. Furius.
Bibliopolarum tabernae 301.
Bibliotheca publica prima Romae a Pollione instructa 155. 293. et imaginibus clarorum scriptorum ornata 294.
Bistones. De metro huius n. 425.
Bithyna carina 198.
Βλαισόπους 231.
Βλαισός 231.
Botrys, *Παιγνίων* inventor 38.
Βράγχος 389.
Brocchus, cognomen gentis Furiae 231.
Brutus. De eius carminibus 126.
Bucolica Virgilii cur et a quibus Eclogae inscripta 20 sq.

C

Cacozeli 326.
Caecilianus, Martialis obtrectator 248 sq.
Caecilius et Caelius, nomina a librariis saepe confusa 90.
Caecilius Epirota 267.
Caepio, Fannius 296.
Caesar, C. Julius. De eius carminibus 126. a Catullo et Calvo epigrammatis lacessitus 129 sq.
Caesar, C. Julius, Strabo 127.
Caesaris nomine ap. Hor simpl. appellatur Octavianus 220. 298.
Callimachi *Αἴτιοι* obscuri a Grammaticis explicati 184.

Callimachus statuarius, caelzotechnos 174.
Calpurnius Piso 347.
Calvus. Vid. Licinius.
Candida fasciola signum affectati regni 133.
Canidia, Horatii amica, vero nomine Gratidia dicta 415 sq.
Caninius Rebilus, consul 205.
Cantare 288. 302.
Capsae 291.
Capsarii 291.
Caput uno digito scalpere 134 sq.
Caput de fluvii ostio 338 sq.
Carina Bithyna 198.
Carmen in Messalam cuius sit auctoris 214.
Carmen pro opere poetico 40. sed non pro dramate 57.
Carvilii Pictoris Aeneidomastix 275.
Cascellius 115. Eius liber Benedictorum *ibid.*
Cassius Etruscus 276. 333.
Catius 417.
Catulus. Vid. Lutatius.
Catullus quo anno natus sit 32. Caesari infestus 129. ab Horatio cum contemptu memoratus 288.
Celsus Albinovanus 382.
Cereum ponere aliquem 292.
Chaeremon Tragicus 60. eius fabula *Centaurus* 61.
Cicero, M. Tullius. Eius annus natalis 32. eius jocus in Vatinium 115. de eius patrocinio Vatinii 116. et necessitudine cum Vatinio 116 sq.
Cicero, Q. Tullius, IV. tragoedias XVI. diebus absolvit 175.
Cicirrhus, Messii scurrae agnomen 226.
Cicuta, hominis cognomen 267. titulus libri epigrammatum Domitii Marsi *ibid.*
Cimber, cognomen plurium gentium Rom. 242.
Cimber, Tullius (?). 282.
Cimex de obtrectatoribus 282.
Cinctura togae signum animi et morum 442.
Cinna. Vid. Helvius et Cornelius.
Civitatis jus plurimis peregrinis datum inde a Sullanis temporibus 241.
Clitarchus 394.
Codrus, poeta a Valgio commemoratus 238. 403. a Virgilio 402 sq. a Juvenali 407. 408. a Martiali 408 sq. infelici successu artis poeticae studium et laudem affectans 403 sq. videtur idem esse, quem Horatius sub larbitae [Cordi] nomine irridet 402. 404 sq. 406. huius Codri nomen [pro Cordo] in Horatii scholiis reponendum 406. item Juvenal. et Martial. codd. fluctuant inter *Codrus* et *Cordus* 408. 409. Codri nomen a Virgilii aetate factum *θρυλλούμενον* pro poeta ambitioso et clamoso 257. 407 sq. 410 sq. 412. 422. Theseis, carmen epicum, a Juvenali memoratum, non est *Codri*, sed poetae Juvenali coaevi 410 sq.
Cognomen nomini gentili saepius praepositum 93 sq. cognomina pueris a formae vitiis imposita 231.
Cohors 370.
Columna Maenia 105. 321.
Commis s. gummi 201.
Contubernales 370.
Conviva de parasitis 296.
Copa. De huius carminis auctore 239.
Cordus, cognomen plurium gentium Romanarum 405. *Cordus* n. confusum cum n. *Codri* 406. 408. 409.
Cornelius Cinna 152. 157.
Cornificius, poeta 165. Maronis obtrectator *ibid.* 406 sq.
Corrector, epitheton Bestii ap. Hor. 421 sq.
Cosconius, obtrectator Martialis 249 sq. a Martiali lacessitus *ibid.*
Crassa Minerva 26.
Crassitius, Grammaticus 184. Cinnae Zmyrnam illustravit *ibid.*
Cratini fabula *Μαλθακοί* 431.
Crispinus chartapola, a Juvenali exagitatus, a Martiali celebratus 253.
Critici scenicarum fabularum num et quando sint publice constituti 335 sq.
Crystallus et Crystallinus 189 sq.
Culex. Quando scripserit hoc carmen Virgilius 165.
Curatores 311.
Curius, M'. 186.
Cyclicus et cyclius 323.
Cynthia, Propertii amica, vero nomine *Hostia* appellabatur 4. 413.

Cur Cynthiae nomine Propertius eam celebret 4. 7. nuptis fuit Hostii poetae 6 sq. eius pater quando vixerit 7. quando eam amare coeperit Propertius 8. fuit poetica facultate insignis 6. eius nomine librum I. Elegiarum Propertius insignivit 262.

D

Dativi et Abl. formae in *e* et *i* a vett. Latinis promiscue adhibitae 56.
De praepos. vis in verbis compositis 338.
Decimus Laberius, mimographus 333 sq.
Defingere et diffingere 338.
Delia, vero nomine Plania, Tibulli amica 4. 413.
Demetrius, Horatii obtrectator 283. fuit phonascus 285. fortasse etiam ab Augusto adhibitus 284. quo sensu *simius* ab Horatio dicatur 289. 290. qualem eum Horatius describat 283. fortasse successor Tigellii in schola mimarum 303. Spohnii de hoc Demetrio sententia 290.
Demetrius Megas 290.
Demetrius, Pompeji M. libertus et comes 442. non est Horatii Malchinus 445.
Demissicia tunica 442 sq.
Démochares, orator et historicus 393 sq.
Derigere et dirigere 67.
Desaevire 386.
Dictare 25.
Διδασκαλικὰ Ateji 46.
Diffringere et defringere 338.
Digito caput scalpere 134 sq.
Dinarchus Δημοσθένης ὁ κριθινος 218.
Dionysius Atticus 234.
Dionysius Halicarnassensis quos auctores Romanos secutus sit 94.
Dirigere et derigere 67.
Discincti male audiunt 442.
Docimen 73.
Docti κατ' ἐξοχὴν dr. poetae 6. 121. doctae puellae 6.
Dolentia, vox a Laevio formata 54. 58.
Dominae dicuntur puellae amatae, uxores et matres familias 472.
Domitia gens, plebeja sed antiqua 244. e qua duae imprimis familiae inclaruerunt *ibid.* in utram familiam huius gentis Domitius Marsus poeta adscriptus fuerit incertum *ibid.*
Domitius Afer, Nemausensis, orator praestantissimus judice Quintiliano 247. verum homo flagitiosus 246. eius mors 247. scripsit duo libros de Testibus *ibid.*
Domitius Marsus, poeta. Praenomen eius incognitum 244. Cuias fuerit incertum 241. videtur peregrinae originis fuisse *ibid.* item incertum in utram gentis Domitiae familiam fuerit adscriptus 244. quando vixerit a vett. non traditum *ibid.* fuit Virgilii et Horatii aequalis 245. mirum utriusque de eo silentium *ibid.* cur Horatius de eo tacere videatur 268. Virgilio et Tibullo amicus fuit 245. utroque superstes *ibid.* annus mortis eius incognitus *ibid.* scripsit carmina epica et elegiaca 257 sq. 260. Amazonis eius fuit carmen epicum *ibid.* Melaenis, carmen elegiacum 260 sq. cur illud Melaenidis nomine inscripserit 262. nobilis maxime epigrammatis nonnumquam longioribus et petulantioribus 248. 250 sq. Fabellae Domitii quales fuerint 263. scripta ab eo pedestri oratione composita 263 sq. eius epitaphium Tibulli 264 sq. et reliqua scriptorum eius fragmenta 264 — 269.
Durus poeta 211.

E

Ecaudes versus 64.
Ecloga quid significet 20 sq. 366. unde et cur hoc nomen Horatii Satiris et Epist. [et Virg. Bucolicis] impositum 20.
Eclogarii, de locis insignioribus, non de scribis, apud Cic. 367.
Edoni. De metro huius nom. 424.
Electa Plinii maj. 366.
Electae, Satirae selectae 366.
Elegia in obitum Maecenatis quando composita sit 449.

Eloquentiae Romanae aetates sec. Ciceronem 99 sqq.
Ennius an Lucilius ab Horatio dicatur rudis carminis auctor 279 sq. quot libros Satirarum Ennius scripserit 280. an Alcestin scripserit 59.
Epodῶν librum quando publici juris fecerit Horatius 454. Vid. Horatius.
Erotopaegnia Calpurnii Pisonis 43.
Erotopaegnia Laevii. De hac inscriptione eorum 38 sq. cuius argumenti carmina 39. in plures libros divisa *ibid.* cum odariis Anacreonticis quatenus possint comparari 34. 42. *implicata* quo sensu dicantur *ibid.* in scholis ea enarrata esse putat Bentlejus 37.
Erucius, C., Sext. Roscii Am. accusator 101.
Est ubi 24.

F

Fannia lex 48.
Fannius, C., trib. pl. coss. Caes. et Bibulo 297.
Fannius, Quadratus, poeta malus, Horatii obtrectator 290. a quo bis carpitur 290. cujas fuerit ignoratur 296. videtur genere Romanus et tenuioris sortis homo fuisse *ibid.* magno Romae in honore fuit 291. eius carmina et imago in admiratorum eius bibliothecis reposita 295. quid bilem eius in Horatium moverit 296. quo sensu ab Horatio *beatus* appelletur 295.
Fascias gestare muliebrium erat hominum 131.
Fasciola candida signum affectati regni 133.
Favonius, M., Octavianum et Pompejum conviciis proscidit 133. 225. de eius praetura et fatis 225.
Filum translate dictum 26.
Florus, Aquilius, pater et filius ab Octaviano morte mulctati 368.
Florus, cognomen gentis Aquiliae 367 sq.
Florus, Julius, Horatii familiaris 365. De praenomine eius 368. De gente, e qua originem duxerit *ibid.* fuit Porcii Latronis discipulus *ibid.* comitatus est Claudium Tiberium Neronem in Armeniam 370. postea Roma secessit in Galliam ibique Treveros ad defectionem exstimulavit 369. non scripsit ipse Satiras, sed priorum Satirographorum selectas Satiras edidit 366.
Fluvii pro terris, in quibus fluunt, apud poetas 178.
Focalibus vett. non sunt usi ad aures muniendas 400.
Fons. De sacris fontibus vett. superstitio 384.
Furius. Duo tantum huius nominis poetae exstitere 352.
Furius Antias, Aulus, poeta. Eius aetas 9. 12. 352. scripsit Annales 353. eius carminum reliquiae 351. a Virgilio expressus 351 sq. confunditur a Gellio cum M. Furio Bibaculo 353 sq.
Furius Bibaculus, M., poeta 331 sqq. Cremonensis 341 sq. annus eius natalis 342. Lucilii et antiquiorum poetarum cultor, Horatii obtrectator 363. Bibaculi nomen in scholiis Horatii corruptum 341. cur turgidus Alpinus ab Horatio dicatur 342 sqq. Memnonem quo sensu dicatur jugulasse 337. de irrisione Horatii a deformitate corporis eius repetita 344—348. vixit adhuc cum Horatius Satiras scriberet 347. 357. Horatii odium in eum unde excitatum 363 sq. an fuerit Virgilii et Varii magister 362. Valerium Catonem amicum suum epigrammatis laesit 360. Augustum perstrinxit 355. scripsit carmen Aethiopis dictum 337. porro Memnonis historiam et Rhenum flumen [fortasse in Pragmatia belli Gallici 344.] carminibus descripsit 337. fuit iamborum scriptor haud malus 354. 356. eius epigrammata quaedam 357. eius carm. fragmentum ap. Gellium 349. Lucubrationes eius, opus prosae orationis 361 sq.
Fuscus Aristius, grammaticus et poeta 220.

G

Gaetulicus, epigrammaticus Latii poeta 250.

Gallia Horatii aetate eloquentiam coluit 369.
Gallus, cognomen plurium gentium Rom. 243.
Gallus, poeta 312.
Gargonius Bentlejus apud Hor. pro Gorgonius reponit 424 sqq.
Γέλως Σαρδόνιος 307.
Gens Aquilia 367 sq. Domitia 244. Helvia 150. Hostia 1 sqq. Licinia 91 sq. Maecia 335. Metia s. Mettia *ibid.* utriusque nomen passim confusum *ibid.* Tullia 2. Plautia s. Plotia 218. Valgia 204.
Gentilia nomina Rom. duplici modo e primitivis formata 2.
Γλωττοποιεῖν 417.
Gnesippus Παίγνια scripsit 38.
Gorgonius et Gargonius 424 sqq. Gorgonius apud Hor. non est persona ficta 429. sed familiaris Octaviani 427 sq.
Graeci tituli librorum apud Rom. in usu fuerunt 46. sed Latinis litteris exarati *ibid.*
Grammatici in titulis carminum religiosi 47. haud raro aequalium poetarum carmina illustrarunt 184.
Gratidia sub Canidiae nomine ab Hor. castigata 415.
Gummi s. commis 201.

H

Helvia gens, Ciceronis et Senecae matribus clara 149 sq.
Helvius, nomen ap. Rom. non obscurum 149. sed a librariis passim corruptum *ibid.*
Helvius, amicus Caesaris, tribunus pl., dilaceratus 153. distinguendus ab Helvio poeta 157.
Helvius Blasio, amicus Bruti 150.
Helvius Cinna, poeta 148 sqq. de eius praenomine 150 sq. Cinnae cognomen unde nactus sit Helvius 151. quando floruerit 32. 34. 151 sq. 157 sq. distinguendus ab Helvio tribuno plebis dilacerato 157. quando obierit incertum 157 sq. videtur Octaviani gratia floruisse 159. Catulli et Virgilii amicus 151. 153. 155. et Virgilii 156. 159. de Helvii ingenio et carminibus 168 — 186. carminum eius reliquiae 187 — 202. praestantissimum eius carmen fuit Zmyrna 169. 187. Zmyrna an Smyrna sit scribendum 169 sqq. argumentum huius carminis 171 sq. novem annorum fuit opus 172 sq. breve quidem, sed valde obscurum 183 sq. unde orta illa obscuritas 185. interpretem nactum est L. Crassitium Grammaticum 184. num Horatius in Arte poetica hoc carmen respiciat 173 sqq. Propempticon Pollionis, alterum eius carmen 190 sqq. quando hoc scriptum sit 155. eius Poemata 186 sq. 194 sqq.
Hermogenes. Vid. Tigellius.
Hermogenes, nomen servorum 306.
Hippomanes 53.
Hipponacteum praeconium Calvi 136. 304. 307.
Hispanus et Hispaniensis quomodo differant 304 sq.
Histricum bellum carmine ab Hostio celebratum 10. succincta eius historia 10 sq.
Homerus. Eius lectione institutionis puerilis initium factum 37.
Homerus Sellius s. Sillius 38.
Horatius ubi et quando militaverit 453. quando carmina scribere coeperit 453 sq. eius necessitudo cum Maecenate quando et quomodo orta et aucta sit 453 sqq. quando convictoribus et itineris comitibus Maecenatis adscriptus sit 457 sq. quando Epodos publici juris fecerit 454. Epodos X. quando exarata videatur 317. Epod. XIV. quo anno sit scripta 461. quot annos natus Satiras scripserit 346. Satirae lib. I. priores quo ordine scriptae 423. 454. Sat. V. lib. II. quando scripta 326. Epist. lib. I, 3. 8. 9. 12 quando scriptae 370. 373. eius Sat. et Epist. cur *Eclogae* dictae 20 sq.
Hortensius quando natus sit 32. 34. cur a Catullo reprehendatur 176. Ciceronis de eo judicium 176. princeps tertiae aetatis eloquentiae Romanae 100. carmina eius invenusta 127. 176.
Hostia. Vid. Cynthia.
Hostia gens, antiqua et illustris 2

sq. a quo originem ducat *ibid.* plebeja fuit *ibid.* non inclaruit nisi per Hostium poetam 3.
Hostilius, Annalium scriptor a G. J. Vossio fictus 16 sq.
Hostilius, mimographus sub Domitiano 17.
Hostius, poeta 1 sqq. antiqua et illustri gente oriundus 2. 7. qua aetate vixerit 5. 12 sqq. a Grammaticis accensetur vetustioribus Latii poetis 9. 16. fuit avus Cynthiae, Propertii amicae 6. aequalis C. Lucilii, L. Attii et A. Furii Antiatis 12. 13. 18. scripsit carmen epicum de bello Histrico 10. [et fortasse Annales *ibid.*] carminum eius reliquiae collectae et illustratae 13 — 18. ambitus carminis de bello Histrico 14. huius carminis fragmenta 14—16. [Annalium eius fragmentum 16 sq.] iudicium de eius versibus epicis 9. Homerum imitatus est 13. 15. 16. vicissim a Virgilio expressus esse Macrobio videtur 13. 15 sq. [Hostii nomen in Prisciano latet, corruptum in *Hostilius* 16 sqq.]
Hostius Quadra 3.
Hostus, Hostius, Hostilius, nomina cognata 2. passim in Codd. confusa 3. 18.
Hostus Hostilius, gentis Hostiae princeps 2.
Hymnus in Supplicatione a. U. 545. decantatus a Livio Andronico erat scriptus 65.

I

Iarba, rex Mauritaniae 398.
Iarbitas 392. Scholiastarum Hor. de eo adnotationes 397. 399. nomen fictum 398. quo sensu et acumine 399. irridetur hoc Iarbitae nomine *Cordus*, natione Maurus 399 sqq. fuit poeta indoctus et ambitiosus bonorumque poetarum obtrectator 404. 407. de eius morte 397. 399. 400 sq. Videtur Cordus Horatii et Codrus Virgilii unus idemque esse 402 sqq. hinc alterutrum nomen videtur corrigendum 405. et in Horatii scholiis quoque nomen Codri reponendum 406. utrumque nomen alias quoque confusum 406. 408 sq. eius nomen serius factum est *Θετικόν* 257. 407 sq. 410 sq. 412. 422. Ceterum vid. *Codrus*.
Iecur, sedes vaticinandi 359.
Illex 52.
Imagines clarorum scriptorum in bibliothecis collocatae inde ab Asinii Pollionis tempore 294. et fortasse jam antea 295.
Incitatus nomen equi an equisonis ap. Sueton. 325.
Indolentia, vox a Cicerone formata 58.
Ineptus quis dicatur 299.
Infantes statuae 347.
Inlex 52.
Ino fabula 71.
Inscitus 95.
Institutio puerilis a lectione Homeri proficiscebatur 37.
Intelligere singulari usu 358.
Io, Ion, Ino, fabulae distinguendae 71.
Iudices fabularum scenicarum num et quando fuerint publice constituti 335 sq.
Iulius Africanus, orator praestans 247.
Ius civitatis peregrinis plurimis inde a Sullano tempore datum 241.
Iuvenalis quo modo eos, quos perstringit, designare soleat 411.
Ἰυγξ 51 sq.

K

Καταστερισμοί 43.
Κίγκλος 53.
Κολοιὸς ἐν ταῖς Μούσαις 159.

L

Laberius mimographus 334.
Laboriosus singulari usu ap. Calvum 145.
Lacus et rivus tropice de poetis 389.
Laelius, poeta Romanus ex depravata in Apulejo scriptura a quibusdam fictus 32. 41. 49.
Laevius, poeta. Pro Livio Andronico a Bentlejo Horatio intrusus 20. 27. utriusque nomen passim

confusum a librariis 31. 33. 44. 45. 53, 60. Laevii nomen corruptum a librariis in *Levius* 54. 61. in *Bebius* 85. in *Laelius* 32. 41. 47. 49 sq. confusum cum v. *Naevius* 48. 49. 55. et *Pacuvius* 43. [cum v. *Ennius* 59.] Laevius quando vixerit non diserte a vett. traditur 32. floruit ante Augusti principatum 32. 35. quod colligitur ex Ausonio 33. e Gellio 34. e scholiastis Horatii 35. e commemoratione legis Liciniae in eius reliquiis 35. 48. ex indole et argumento carminum eius 36. de vita et fatis eius nihil constat 36. videtur poeta fuisse ignobilis 36 sq. quid versibus tractaverit 35 sq. eius carminum reliquiae 38 sqq. eius Erotopaegnia 38 sqq. inscripta etiam aliis nominibus 80 sq. [conf. supra s. h. v.] eius Adonis 40. eius Alcestis 40. 54. 156 sq. Ino 40. Protesilaodamia *ibid.* quae pro tragoediis comoediisve Livii et Naevii a quibusdam habentur 40. eius Centauri 60. 62. eius Sirene 84. eius Polymetra qualia carmina 61 sq. dicitur Cypriae Iliados sive auctor sive interpres 85. fragmenta quae ex Laevii Erotopaegniis diserte citantur 43 sqq. quae probabiliter ex illo carmine sumpta sunt 49 sqq. reliqua eius carminum fragmenta 53 sqq. Vocabula a Laevio efficta in Alcestide 54 coll. 58.

Laudamia pro Laodamia. De hac scriptura 76 sq.

Laudicea pro Laodicea, scriptura serioris aetatis 77.

Laumedon pro Laomedon 76 sq.

Leda meretrix 435.

Legere singulari significatione 248, 359.

Leges sumptuariae 47.

Lentulus Gaetulicus 251.

Lentulus mimographus sub Domitiano 17.

Lepor 177.

Lesbia, Catulli amica 121. est fictum Clodiae nomen 413. serius nomen θετικὸν de libidinosa muliere 17.

Lesbius; putatur ap. Cat. hoc nomine Clodius perstringi 417.

Lex Fannia 48. Licinia 35. 48. sumptuariae leges 47.

Ληνάϊος Μοῦσα 388.

Ληναΐζειν 388 sq.

Ληναῖος proprie et tropice 387. 389.

Liber de collectione breviorum carminum 40.

Librorum tituli Graeci apud Romanos fuerunt in usu 46. sed Latinis litteris exarati *ibid.*

Licentia poett. in mediis syllabis nominum propriorum 424 sq.

Licinia gens 91.

Licinius Calvus, C., orator et poëta 89. de pleno eius nomine 105. filius fuit Licinii Macri 98. 106. quando natus sit 90. quibus magistris usus esse videatur 106. incertum an publicum munus administraverit 110. quo aetatis anno in foro prodierit orator 108 sq. de eius ingenio et dicendi facultate 108. 110. de domo, quam Calvus possedit 105. unum et viginti libros (orationes) reliquit 112. maximam laudem consecutus est oratione in Vatinium 112. cur Vatinium aggressus sit 113. 118. cur causam adversus eum non obtinuerit 115 sq. diversae vett. de eius virtutibus oratoriis sententiae 111. Ciceronis de eo judicium 107. eius simultas cum Cicerone unde sit orta 104 sq. 106. reliquiae eius orationis in Vatinium 113 sqq. Idem fuit poeta 120 sqq. carmina scripsit amatoria 121 sq. ceciuit Quintiliam amicam 120. cur haec carmina *joca* dicantur a Seneca 120. in numeris et verbis durior 123. orationis eius negligentia a Quintiliano notatur 123. eius epigrammata famosa 129. eius epistola ad uxorem 123. perperam ei tragoedia Io inscripta tribuitur, quum Ius errores heroicis versibus descripsisse videatur 144. ab Horatio cum Catullo contemptus 122. laudatur ab Ovidio, Propertio, aliis 120. Catulli fuit amicus 89, 118. 120 sq. ut voluntatum et consiliorum inter eos consensio

129; ita etiam in carminum generibus fuit inter eos similitudo 124. eius acerbitas in Caesarem et Pompejum 120. 130. 133. in Hermogenem Tigellium 130. Hipponacteum praeconium Calvi 136. 304. 307. praematura morte obiit 107. quo anno 108. cur a Quintiliano et Diomede inter Iambographos non laudetur 356. eius carminum reliquiae 131 — 146.
Licinius Calvus, P., tribunus militum consulari potestate 91.
Licinius Imbrex 138.
Licinius Macer, C., orator et historicus 92 sqq. cui falso praenomen *Lucius* tribuitur 98. Ciceronis aequalis 103. Annales scripsit 92. quot libros illi complexi esse videantur 93. de reliquiis horum Annalium 92 sq. ex iis Livius et Dionysius Halicarn. plurima hauserunt 93 sq. utriusque scriptoris de L. Macro judicium 91. 94 sq. judicium Attici de eodem 93. 95. hoc Attici judicium illustratum 96. judicium Ciceronis de Macro 96. 103. videtur is Vir Praetorius esse, quem Cicero praetor repetundarum accusavit 103 sq. eius filius est C. Licinius Calvus, orator et poeta 106. male nonnulli Macrum historicum et oratorem distinxerunt 97.
Licinius Porcius, M. 138. scripsit librum de Poetis *ibid.*
Licinius Stolo, C. 91. unde Stolonis cognomen *ibid.* tribunus plebis *ibid.* consul bis creatus *ibid.* leges ab eo promulgatae *ibid.*
Licymnia. De scriptura huius nominis 463 sq. Unde hoc voc. derivandum 464. non significatur hoc nomine puella amata vel Horatio vel Maecenati, sed *Terentia* Maecenatis conjux 415. 465. 469 sqq. quo sensu eam *dominam* appellet Horatius 472.
Licymnius, Electryonis filius 463.
Livius Andronicus 20. 27. 28. cum *Laevio* aliisque a librariis confusus 31. 33. 44. 45. 53. 60. falso habitus est pro auctore (Laevii) Erotopaegnion 33. et pro poeta lyrico 35. neque fecit versus heroicos 68 sq. Homeri Odysseam Latine convertit 65. scripsit hymnum in Dianam in Supplicatione decantatum 65. [eius fabula *Centauri* inscripta 60.] usus est in Inone versibus *μειούροις* 65. quando primam fabulam docuerit 48. eius carmina in scholis dictata 29.
Longarenus 414 sq.
Lucilius, Satirarum scriptor 12 sq. Lucilius an Ennius dicatur ab Hor. rudis carminis auctor 279 sq.
Lucius, praenomen gentis Liciniae 98. unde derivandum hoc n. 2. 496. *Addend.*
Lucretius quo anno natus sit 32.
Lucus, primitivum nomen, unde descendunt Lucius et Lucilius 2.
Lutatius Catulus, Q., orator et poeta 127. eius epigrammata quaedam 128. Ciceronis de eius oratione judicium 127 sq.
Lynceus poeta 160.

M

Macer. Vid. Licinius Macer.
Maecenas. Eius vitae morumque brevis adumbratio 447 sqq. de eius eloquentia 449. et domestica vita 458 sqq. ab Hor. ficto *Malchini* nomine lacessitus 415. 446. 448. cur hoc ita fecerit Horatius 455 sq. et quando 456. 458. quando Horatium convictoribus et comitibus suis Maecenas adscripserit 457 sq. Maecenatis nomen serius *θετικὸν* factum duplici sensu 420.
Maecenatianus 439 sq.
Maecia gens 335.
Maecius Tarpa, criticus 334 sq. num publicus fuerit poetarum judex 336.
Maenia columna 105. 321.
Maeniana (aedificia) 105.
Maenius 105. 321. 421. 434. Maenius et Maevius confusi 321.
Maevius 312. 417. quid cecinerit incertum 324. pro sensu dicatur olens 282. eius nomen factum est *θετικὸν* 325. 412. [Conf. supra v. Bavius et Addenda.]
Magius Marsus 244.
Malacissare 432.
Μαλαχίζειν 432.

Μελανός, cognomen Apollonii Alabandensis 431.
Malacus, nomen proprium 433.
Malaxare 432.
Malchinus. De scriptura huius nominis 429 sqq. de eius originatione 438 sq. non est nomen proprium certae personae 440. neque fictum Demetrii aut Menodori, Pompeji libertorum 445. sed ab Hor. ad Maecenatem vellicandum effictum 415. 446. in quem unice Malchini descriptio quadrat 448 sqq. cur ita carpserit Maecenatem Hor. 455 sq. et quando 456. 458.
Malchio, nomen fictum apud Martialem 436. 439.
Malcus, nomen pr. per syncopen pro *Malacus* 433.
Malta 430.
Maltha 430.
Μαλθακοί, fabula Cratini 437.
Μάλθη 430.
Malthinus 430 sq. non est nomen Romanum 440 sq.
Μάλθων 431.
Malvae. Earum usus in scribendo 197 sq.
Manis s. Manus quid significet 2.
Manus, primitivum n. unde Manius et Manilius descendunt, unde derivandum 2.
Manius unde derivandum 496 *Addend.*
Mansonis sententia de duplici poett. schola tempore Augusti 325 sqq.
Margaritum, genere neutro 237.
Marsus, cognomen plurium gentium Rom. 243. 246.
Marsus Octavius 243.
Mattius, Cn. 87.
Μελούρος versus 64.
Melaene comoedia, cuius auctoris 262.
Melaenis, puella a Domitio Marso amata 260 sq. eius nomine Elegiarum collectio a Marso inscripta 261 sq. De scriptura huius nominis 262 sq.
Melissus, Grammaticus 167. de eius nomine et scriptis *ibid.*
Memmius Gemellus 32. 34.
Menandri fabulae num in scholis praelectae 37. eius fabula *Παλινόμενοι* a Caecilio Latine edita 61.
Menas. Vid. Menodorus.
Menodorus s. Menas, Pompeji M. libertus 443. ab Horatio lacessitus Epod. IV. *ibid.* eius mores et fata 444. non latet sub nomine Malchini apud Hor. 445.
Messala Corvinus 361.
Messius scurra cur Cicirrhus sit dictus 226.
Metia s. Mettia gens 335.
Metrum Phaliscum unde nomen invenerit 33.
Minerva crassa 26. pingui *ibid.*
Mimos versus 64.
Mnascas *Παίγνια* scripsit 38. *Σάλαξ* cognominatus *ibid.*
Modulatores 284 sqq.
Mori de carminibus dictum 180.
Movere singulari usu de vasis sacris 196.
Μοῦσα ληκύθιος 388.
Mystes, nomen servorum 232. Mystes quidam a Valgio deploratus quis fuerit 224 sqq.

N

Naevius Alcestin Euripidis Latine convertisse videtur Scaligero 56. 60. eius nomen cum Novio, Pacuvio, aliis confusum 31. 34. 48. 49.
Nanus 200.
Nasidienus, cui Hor. lib. II. Sat. 8. inscripsit, quis sit 418 sq. eius nomen commune factum serius de parasito inepto 419 sq.
Ninius Crassus 86.
Nomina ficta pro veris imposita plurimis a vett. poett. 412. eaque inprimis Graeca 230. 261. et ita electa, ut numero et quantitate convenirent veris 415. 445. huius moris exempla 4. 230. 261. 412 sq. 418. 446. 469.
Nomina fluviorum pro terra, in qua fluunt 178.
Nomina gentilia Rom. duplici modo e primitivis formata 2. interdum cognomini postposita 93.
Nomina gentium Augusti aetate valde erant confusa 375.
Nomina Graeca num Romani liberis suis imposuerint 229 sq.
Nomina peregrina gentium Rom. nominibus addita 242.
Nomina propria Graeca a Latt. poett. vario metro posita 424 sq.

Non pro nonne 30.
Nonius Struma 130.
Novius 31. eius nomen cum aliis confusum *ibid.*

O

Obtrectatores Horatii 278 sqq. Virgilii 273 sqq.
Octavianus antequam Augusti nomen ferret ab Horatio *Caesaris* nomine insignitur 220. quando *Augusti* nomen acceperit 298. prima eius ap. Hor. mentio *ibid.* tecte ab Hor. vituperatur *ibid.* operam dedit Demetrio phonasco 284.
Octavius ab Hor. commemoratus incognitus 219. non est Octavianus Augustus 220.
Octavius Avitus, Q., obtrectator Virgilii 274. refutatus ab Asconio Pediano *ibid.*
Odyssea Latina Livii Andronici 65. pueris in scholis dictata 29.
Olens tropice quid significet 282. 318 sq.
Olores de poetis adhibitum 159 sq.
Olympicus et Olympius 323.
Omasum 344.
Ὀνόματα ὑποκοριστικά 231.
Opus de Personis Horatianis 391. videtur ab Acrone scriptum esse *ibid.*
Oratores Romani plures poeticae arti operam navarunt 125 sqq.
Orbilius 28 sq. 37. quando Romam pervenerit 357. quamdiu vixerit *ibid.* in eum Bibaculi epigramma *ibid.* perstringitur eius morositas etiam a Domitio Marso 267. ab Homeri lectione auspicatus est institutionem puerorum 37.
Ostius, nomen pr., rectius scribitur Hostius 3.

P

Pacuvius cum Attio a scriptoribus saepe componitur 13. eius nomini aliorum carmina a librariis adscripta 31 sq. 43.
Padusa, ostium Padi 238.
Paeonius. De metro h. voc. 425.
Παίγνια soluta et vincta oratione composita 38. eorum inventor *ibid.*
Palaestritae 435.
Panegyricum carmen in Messalam quis scripserit 214.
Pansa, Crassitius, Grammaticus 184.
Pantilius, obtrectator Horatii 281. nomen eius fictum *ibid.* de scriptura et originatione huius nominis *ibid.* neque Bathyllus neque Tullius Cimber sub hoc n. vellicatur 282.
Pedo Albinovanus 249. 382. quo sensu *sidereus* dicatur 382.
Perilla, fictum *Metellae* nomen 4. 361. 413.
Petillius Capitolinus, Octaviani amicus 428.
Petronius quo tempore floruerit 37. 440.
Phaliscum metrum unde nomen duxerit 33.
Phaliscus poeta ap. Terent. Maurum 33.
Philetas Cous, *Παιγνίων* scriptor 38.
Philoxenus poeta 62.
Phonasci 284 sqq.
Pilare 14.
Pingue ingenium 26. pingui Minerva *ibid.*
Pitholeon (Pitholaus) Rhodius 333.
Plautia gens et Plotia et Plutia scribitur 218.
Plautius et Plotius confusa 218.
Plexui, forma Praeteriti a *plecto* damnanda 45 sq.
Plinius major Electorum Commentarios conscripserat 366.
Plorare ambiguo sensu 238.
Plotius Gallus, L., rhetor [et poeta] 218.
Plotius Tucca, Virgilii et Horatii amicus 217 sq.
Poemata in theatris recitata 285. saltata 286.
Poeta durus 211. tener *ibid.* doctus *κατ' ἐξοχήν* 6. 121.
Pollio. Vid. Asinius Pollio.
Polymetra Laevii 61 sq.
Pompejus epigrammatis lacessitus 130. 135.
Porcia basilica 434.
Porcius Latro, rhetor 368.
Pracconium Hipponacteum Calvi 136. 304 sq. 307.

Praegravare 22 sq.
Propempticon Pollionis, carmen Cinnae 190 sqq.
Propertius quando natus sit 8. Hostiam amicam Cynthiae nomine celebrat 4. imitatus est Virgilium 160.
Protesilaodamia Laevii 40. fortasse hoc nomine Erotopaegnion liber erat inscriptus 81.
Protesilaus fabula 78.
Πρυμνήσια, τὰ, 192.
Πτωχαλάζων 409.
Pudens Nardus, L. Valerius, poeta aequalis Martiali ex epigr. Martial. ab Osanno in lucem protractus 254 sq.
Puella de recens nuptis 460. quo sensu doctae dicantur puellae 6.
Pueri delicati 224 sqq. unde potissimum fuerint arcessiti 225. Graecis nominibus insigniti 229. 261.
Pugna Philippensis, cui Horatius interfuit 453.
Pulpitum num floribus fuerit conspersum 345 sq.
Πωλούμενοι fabula Menandri a Caecilio Latine edita 61.

Q

Quadratus, cognomen plurium gentium Romanarum 3. 296.
Quaerere virum 135.
Quinctius Pennus, dictator 91.
Quintilia, Calvi amica 121.
Quintius Atta 345. unde *Attae* nomen nactus sit *ibid.* de eius fabulis *ibid.*

R

Ῥαιβός 231.
Rebilus, C. Caninius, consul 205 sq. Ciceronis de eius consulatu jocus *ibid.*
Reduviosa oratio 75.
Revocare singulari usu 66.
Rhenus carmine celebratus a Furio Bibaculo 337. quo sensu *luteum caput* ei tribui possit 339.
Rhoecus s. Rhoetus pro Gigantibus ponitur 340.
Rivus et lacus tropice 389.
Rudis carminis auctor ap. Hor. quis dicatur 279.
Rufus, cognomen Caeliorum 90. et plurium aliarum gentium 208.
Rufus orator, Caelius an Caecilius 90.
Rumpere 401.

S

S litterae elisio in extremis syllabis *is* et *us* Ciceronis aetate vitata 17.
Sabinus, cognomen plurium gentium Rom. 243.
Salaputium 118 sq. unde derivandum hoc v. *ibid.*
Σαλεύειν 119. 448.
Saltare carmina 286 sq.
Sardi venales 305.
Sardinia de coeli pestilentia infamis 305 sq.
Σαρδόνιος γέλως 307.
Sardus et Sardiniensis quomodo differant 304.
Sarmentus, scurra Maecenatis 224. distinguendus a puero delicato Maecenatis cognomini 225.
Satirae Horatii, quo ordine scriptae 346. 454. Vid. Horatius.
Σάτραχος 179.
Sauroctonos Apollo 52.
Σαῦρος 52.
Saurus 52.
Scalpere uno digito caput 134 sq.
Scribae a magistratibus quibus apparebant nominabantur 226. eorum decuriae plures erant *ibid.*
Scriptum quaestorium 227. censorium *ibid.*
Σεισοπυγίς 53.
Sentius Augurinus, Catulli et Calvi imitator 124.
Septimius, poeta. Vid. Titius.
Servilius Rullus, trib. pl. 205.
Sesquipedalia verba 389.
Sextus ab Martiali memoratus quis sit 252. bellum Vitellianum fortasse versibus descripserat *ibid.*
Σικελός et Σικελιώτης quomodo differant 304.
Siculus et Siciliensis quomodo differant 304.
Sidonii. De metro huius nom. 425.

Silvanus, cognomen gentis Plautiae 219.
Simius de homine 289.
Sisenna, C. Cornelius, Graeciae Praefectus 102.
Sisenna, L. Cornelius, historicus et orator 99 sqq. quando vixerit *ibid.* Ciceronis de eo judicium 99. 101. Attici fuit familiaris 102.
Sithonii. De metro huius nom. 425.
Smaragdus an Zmaragdus 169 sqq.
Smyrna an Zmyrna 169 sqq.
Soluta tunica non differt a *demissa* 451.
Sophene. De metro huius v. 425.
Sosiorum tabernae 301.
Stultus quo sensu apud Stoicos 452.
Subductisupercilicarptores, vox a Laevio formata 54. 58.
Suburra 435.
Sulpicius Quirinus, consul 205. an sit *Κυρήνιος* in Evangelio Lucae commemoratus 206.
Sulpicius Rufus, orator, quando vixerit 100.
Summoenianae uxores ap. Martial. 434.
Summoenium 434.
Sumptuariae leges 47.
Supinus 448.

T

Tabernae Sosiorum 301.
Tabes. De declinatione huius voc. 190.
Taeniae 52.
Tarpa, Sp. Maecius, criticus 334 sq. num publicus poetarum fuerit judex 336.
Tener poeta 211.
Terentia, uxor Maecenatis 459. Terentilla appellatur in epist. Antonii ad Octav. 471. cur ab Hor. raro (bis) commemoretur 459 sqq. semel eam celebrat sub nomine Licymniae 414. 465. 469 sqq. quo sensu Hor. eam *dominam* appellet 472.
Terentius Varro Atacinus, belli Punici scriptor 11. 32. Latine vertit Apollonii Rhodii Argonautica 386. de eius oratione 327.
Terentius Varro, M. 293. eius imago prima in bibliotheca publica collocata *ibid.* videtur eius opera in bibliotheca comparanda et digerenda Pollio usus esse *ibid.*
Tesca 15.
Theodoridas Syracusanus, poeta 62.
Theseis, carmen Codri (ficti nominis poetae apud Juvenalem) 410 sqq.
Thestilus, puer a Voconio Victore amatus 260 sqq.
Theudosius, Teudotus, pro Theodosius, Theodotus 77.
Thuscus s. Turarius vicus 292.
Tibullus. Eius epitaphium a Domitio Marso compositum 264. de carmine panegyrico in Messalam ei tributo 214 sq.
Ticidas, poeta 361.
Tigellius Hermogenes, M., obtrectator Horatii 297 sqq. 300. de eius patria 299. 305. de cognomine Hermogenis 306. de eius moribus 298 sqq. fuit artis musicae peritus 297 sq. videtur Romae artem illam docuisse 302. fortasse et carmina scripsit 300. fruebatur amicitia Julii Caesaris et Cleopatrae 297. 304. 306. et Augusto fuit gratissimus 303. contra a Licinio Calvo carmine lacessitus est 304 sq. cum Cicerone inimicitias suscepit 304. 306. caussa harum inimicitiarum 304. in quod illae tempus incidant 307. cur et quibus intercedentibus Cicero cum Tigellio reconciliari studuerit 306 sq. quando obierit 300.
Tillius Cimber 242.
Timagenes, Alexandrinus rhetor. De eius vita, fatis et scriptis 393 sqq. de eius moribus 395 sq. Parrhesiastes cognominatus est 393. brevi Augusti amicus ex captivo factus, paulo post ob immoderatam et procacem linguam plane eius gratia excidit *ibid.* exceptus hinc ab Asinio Pollione 395. gratiosus fuit etiam Antonio 394. cur historias suas combusserit *ibid.* quomodo obierit 396. non distinguendus Timagenes rhetor ab historico cognomini *ibid.*
Timotheus, poeta 62.
Titius, genus saltationis 372.

Titius, C., orator et tragicus poeta 372. Ciceronis de eo judicium *ibid.*
Titius Septimius poeta 371 sqq. de eius nomine 373 sqq. alii distinguunt Titium a Septimio 376. coniectura de eius patre 377. fuit Titius inter comites Tiberii 370 sq. et Tibulli Horatiique amicus 373. de eius studiis poeticis 383 sqq. Horatii de his Titii studiis judicium 383 sqq. imprimis de eius tragoediis 386 sqq. 390. num Titius comoedias scripserit 373 sq. non vertit Latine Pindari carmina 386. ut Scholiastae opinantur 371.
Titius, Sextus 372. judicium de eo *ibid.*
Tituli librorum Graeci ap. Rom. fuerunt in usu 46. sed Latinis litteris exarati *ibid.* Grammatici in titulis librorum excitandis diligentes sunt 47.
Tractatores et tractatrices 435.
Tractatrix 435.
Trimalchio. De scriptura huius v. 436 sq. de originatione et significatione huius nominis ficti 437 sq. 439.
Τροχίλος, trochilus 51.
Trochiscus 51.
Troicus et Troius 323.
Tullia gens 2.
Tullius Cimber Spohnii 282.
Tumidus de Antimacho 182.
Tunica demissa, signum mollitiei 442 sq. non differt demissa a soluta 451.
Turarius s. Thuscus vicus 292.
Turgidus de Furio Bibaculo 344.
Turius, L., orator 97.
Turranius, poeta tragicus 222.
Turres ap. Hor. de Sesto et Abydo 379 sq.

U

Unguentum crocinum in theatris adhibitum 346.
Ungues in re magica adhibiti 52.
Urbanus 401 sq.
Urere 22.

V

Valerius Cato 165. ab Helvio Cinna laudatur 198. eius carmen Lydia inscriptum 361.
Valerius Flaccus, fortasse a Juvenale notatus 411.
Valgia gens 204.
Valgius, nomen derivandum a *valgus* 231.
Valgius Rufus, poeta 203 sqq. de eius praenomine 207 sq. fuit discipulus Apollodori Pergameni 234. Consul (suffectus) cum Caninio Rebilo 205 sq. Mystes non fuit eius filius 229. sed puer ab eo amatus 224 sqq. 230. Valgius fuit Horatii et Virgilii familiaris 203 sq. 217. exercuit studia rhetorica et grammatica 210. scripsit opus de usu herbarum ad Augustum, quod morte praeproditus non absolvit 206 sq. quando illud scribi ab eo coeptum videatur 207. Apollodori Pergameni Τέχνην Latinam fecerat et fortasse amplificaverat et exornaverat 234. poesi quoque operam et tempus impendit 211 sq. sed praeter elegias nulla carmina videtur composuisse 212. a neanullis injuria inter epicos poetas refertur 212. 215. et Eclogas Virgilianis similes scripsisse perhibetur 239. judicium de eius facultate et studiis poeticis 215 sq. reliquiae eius operum 233 — 240. Broukhusii sententia, duo vixisse Valgios tempore Augusti claros, refutata 209 sq. quibus tertium, Comicum, addidit Bothius 239 sq.
Valgus quid significet 231.
Varius et Varus in Codd. confusi 156. 259. utrumque nomen derivandum a *varus* 231.
Varius, L., poeta 158. 217. 222. 259.
Varro. Vid. Terentius.
Varus quid significet 231.
Vascones. De metro huius n. 425.
Vatiae 231.
Vatinius 115. 130. a Caesare ad summos magistratus evectus 113. eius foeditas 115. eius cum Cicerone necessitudo 115 sqq. a Calvo in foro non est devictus *ibid.* sed per Ciceronem absolutus 116. de eius consulatu joca Ciceronis 130.
Versus ecaudes 64. μείουροι *ibid.*

Vetus et vetustus, ambigua notione de scriptoribus 98.
Vibius Marsus 243.
Vicus Thuscus s. Turarius 292.
Villius 414. num significetur tecto hoc nomine Annius Milo *ibid.*
Virgilius Hostium imitatus esse dicitur a Macrobio 13. 15 sq. num Livium Andronicum expresserit 66. quando Eclogam VIII. scripserit 155. quando Georgica scribi coepta sint 314. eius Bucolica cur Eclogae inscriptae fuerint 21. eius Culex quando scriptus 165. eius obtrectatores 161 sqq. 273 sqq. 310 sqq.
Virum quaerere 135.
Visci, fratres, Horatii familiares 221 sq.
Viscus Thurinus 222 sq.
Vitellianum bellum versibus fortasse a Sexto descriptum 252.
Vivalius, vox corrupta apud Acronem feliciter a Bentlejo emendata 341.
Vivere, de carminum perennitate 180.
Vocabula a Laevio efficta 54. 58.
Voconius Victor, ignotus versuum scriptor 260.
Volcatius Sedigitus de poetis scripsit 361.
Volumnius Eutrapelus 290.

Y

ὑπαγορεύειν 25.
ὑποκοριστικὰ ὀνόματα 231.

Z

Zmaragdus an smaragdus 169 sqq.
Zmintheus, cognomen Apollinis 170.
Zmyrna an Smyrna 169 sqq.
Zoilus, homo dives sed insulsus, superbus et lividus 433 sqq. eius nomen serius factum est ὄστικόν *ibid.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

ADDENDA.

Pag. 2. de nominibus *Lucii* et *Manii* vide Varron. d. L. L. VIII. p. 142. B. „*Forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius esset; qui luci, Lucius.*“

Pag. 312. *Maevius* quidam commemoratur a Cicerone in Verrem Act. Secund. Libr. III. c. 75. f. Item *Maevius* miles, qui in bello civili inscius fratrem occidit: de quo duae exstant Elegiae Grammatici in Burmanni Anth. Lat. Libr. II. Ep. 131. et 132. Vol. I. p. 314 sqq. et in Wernsdorfii P. L. M. Tom. III. p. 134 sqq., ubi nomen θετικὸν esse, quis dubitet? Contra Macrobius Saturn. Libr. II. c. 2. p. 349. Z. memorat *Maeviam*: „*Plancus in Maevia Galla nupta male audiebat.*“

Pag. 360. Suetonii d. Illustr. Gr. c. 4. locum tractavit A. Schottus in Observatt. Libr. III. c. 14. p. 143 sq. et pro *Sigida* ex veteri Cod. *Ticida* emendavit.

Pag. 454. Marklandus in Explicatt. vet. aliq. auct. Gr. et Lat. Euripidis Suppl. (ed. Lips. 1822.) adjectis p. 306. de Horatii Epod. III. v. 20. *Jocose Maecenas* haec scripsit: „*Epitheton parum hoc loco convenire Maecenati videtur. Transfer ad puellam:* Jocosa, Maecenas, precor, Manum puella savio opponat tuo etc., *ut in poeta, nescio quo*, Puella nec jocosa. *Puella* jocosa *Horatii*, *est* ludibunda.“ Quam correctionem non necessariam esse, satis demonstratum erit.

[CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 17. leg. μειρακύλλιον — P. 33. lin. 17. leg. *ambiguam* — ib. not. 11. l. 2. leg. *ad* — P. 44. l. 28. leg. *meminens*“; — P. 51. l. 8. post *nisi* del. comma. — P. 76. l. 6. infr. leg. *est*“: — P. 103. l. 2. leg. *aequales* — P. 117. not. 22. l. 3. leg. *deponeret* et l. 5. leg. *falso* — P. 133. l. 3. infr. leg. *vel* — P. 179. l. 10. leg. *spernerentur* — P. 188. l. 5. infr. leg. *interpretatur* — P. 194. lin. ult. leg. *et* — P. 199. l. 27. leg. *geniata* — P. 243. l. 22. leg. ὑποστράτηγος — P. 283. l. 17. leg. δραματοποιός — P. 284. l. 11. leg. *magno-* — P. 371. l. 3. infr. leg. *recepit et* divise. — P. 373. not. lin. 3. leg. *de-* — P. 374. not. lin. ult. leg. *N.* 20. — P. 401. l. 29. leg. *Otacilium* — P. 442. l. 9. leg. *opperiente* — P. 448. not. l. 14. leg. *in* —.

Haec menda, quamquam ita sunt comparata ut cuivis legenti statim in oculos incurrant, propterea hic enotata sunt, ut appareat quam turpiter interdum correctorum curam pessumdet operarum negligentia et mercedulae cupida festinatio. Alia enim vitia operae jussi emendare non emendarunt, alia post ultimam inspectionem mala plagularum tractatione nova invexerunt. *L.*]

PA 6047 .W4 C.1
Poetarum latinorum Hostii, Lae
Stanford University Libraries
3 6105 034 242 649

DATE DUE

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004